

RVDOLPHI
PHARM. SPAG











fermato f 24 circa h. 11 a mat et ½
et haust° f 30. circa h. 10. mat

3. tt.

D



Pharmacopeia Spagirica.
——— 2ª. part.
——— 3ª. part
——— 4 part
Apologia ———
——— 5ª part.
6ª
7.ª
primo Apendix
medicina universalis s. aurum potabile
Novum lumen chimicum
3 pricipiis metallorum
Manque les Appendices 2ᵉ + 3ᵉ.

PHARMACOPOEA SPAGYRICA,

Sive

EXACTA DESCRIPTIO,

Quà ratione ex Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus, modo haud usitato faciliorique, utilia, efficacia, & penetrantia medicamenta fieri præparарique possint.

PARS PRIMA.

Pars I (-VII et Prima Appendix)

In usum afflictissimi Generis humani in lucem prolata,

PER

JOANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM,

CIↃ IↃ C LIV.

(1654-1669)

Collationné le 11 mars 1779

BENEVOLO LECTORI.

Causam descriptionis hujus meæ Pharmacopœæ Spagyr. forsan nonnullus libenter perciperet, dum considerat Chymicorum medicamentorum præparationes varii generis non solùm in editis meis scriptis consignatas reperiri, sed etiam ab antiquitus ad hunc usque diem ejusdem farinæ scripta multa innumerabilia, tam utilia (quorum paucissima) quam inutilia (quorum ingens caterva) publicata esse; ut videri possit planè non necessarium, plura ejus generis prælo submitti, sed quæ jam exstant, abundè sufficere. Cui ut satisfiat, hic demonstrare operæ precium duco, quod nòn solum valdè proficuum sed & summopere necessarium sit, discrimen inter bona & probata medicamenta & minus probata benè nosse, non eam ob causam, quod aliorum virorum scripta negligere, corrigere, rejicere & supprimere, mea vero è contrario extollere, in conspectum ferre & pluris æstimari velim, minimè; Etenim novi apprimè, neminem plus dare posse, quàm ipse possidet. Si quispiam quiddam ad utilitatem & emolumentum proximi, candido

animo in lucem profert, ut ut vilissimum sit, omni cum gratiarum actione acceptandum est, ideò nemo sibi præsumat inductus superbiâ, ut alterius industriam & operam rejiciat, sed illam potius laudibus extollat, licet ab ipso melius potuisset fieri. Hisce volo innuere, quod opusculum hoc hanc unice ob causam in publicum miserim, ut mea ipsa inventa humano generi morbis gravato auxiliarem manum porrigant, & ex voluntate & præcepto Altissimi more Christiano ipsis obviam eant. Et, etiamsi jam tum præparationem multorum utilium Medicamentorum, tam ex vegetabilibus & Animalibus, quàm Mineralibus in meis Furnis Philosophicis descripserim, quorum usus in casu necessitatis quemvis morbum curabilem sufficienter abigere & averruncare posset: Nihilominus placuit mihi Opusculum hoc sub tribus partibus edere, inter quas unaquæque PARS *singularia continebit medicamenta, utpote* PRIMA *talia, qualia ex vegetabilibus;* SECUNDA, *qualia ex Animalibus; &* TERTIA *qualia ex Mineralibus peti possunt. Et primariò hanc etiam ob causam unumquodque Genus Medicamentorum singulari opusculo inseram, ut invidiosi scioli & insulsi subsannatores & spretores Artis,*

tis, qui Medicamenta mineralia (quorum proprietas tamen ipſos latet) omni tempore tanquam intuta, quia illa non ex ſalutiferis vegetalibus, deſumta eſſent (quorum uſus & virtus ante multa Sæcula benè fuerit comprobata, ſed venenatis mineralibus & metallis, quibus non eſſet adhibenda fides, & illorum uſus adhuc valde rarus & operatio nimium vehemens) rejecerunt. Hoſce igitur ut compeſcam, quò videant & agnoſcant, mihi quoque virtutes vegetabilium & eorum veras præparationes, unà cum eorum purificatione, fundamentali Anatome, ac in ſaluberrima ac tutiſſima Medicamenta reductione, æque notas eſſe; Propoſui mihi in PRIMA PARTE *Pharmacopœæ meæ Spagyricæ, nulla alia tractare, niſi talia Medicamenta, quæ abſque omni additione aliarum (Animalium aut Mineralium) rerum, ſed ſolum ex notis vegetabilium ſimplicibus, utpote Herbis, Floribus, Radicibus, Fructibus & ſeminibus, arte ſeparantur & in meliorem formam reducuntur? In* SECUNDA PARTE *tantùm de iſtiuſmodi rebus agetur, quæ ab homine & aliis, tam quadrupedibus quam reptilibus, Animalibus & vermibus, & volatilibus & in aëre verſantibus, & in aquis degentibus creaturis*

proveniunt & præparantur. In TERTIA *vero* PARTE *non desistam mea præcedentibus annis delineata & ex Mineralibus præparata Medicamenta defendere, & demonstrare, ea nullatenus fugienda si legitime præparentur & applicentur, illisque prædictis ex Vegetabilibus & Animalibus longe præferenda & anteponenda esse. Quibus & adjungam aliarum plurium præparationem & usum, quarum hactenus nunquam adhuc mentionem feci. Nullus dubito quin cæcis aliquando oculi aperientur, ut veritatem videant, fateantur, ament, ad quod* DEUS, *Æternum, illud immutabile & permanens* LUMEN, *Pater & Propugnator veritatis ex gratia & misericordiâ nos promovere dignetur Amen.*

Quid sint Vegetabilia; aut Quid sub nomine Vegetabilium intelligatur?

Primò notandum venit, quod sub nomine, VEGETABILE, *omne id quod ex terra alimentum capit, crescit, augetur, sive sint herbæ, vepreta, proceræ arbores cum illarum appendice utpote radice, stirpe, foliis, floribus, seminibus & fructibus eorum, tam sativis quàm*

quàm sylvestribus, nostratibus quàm exoticis, tam notis salutiferis, quàm ignotis & noxiis, quocunque etiam nomine veniant, quarum species, forma, proprietas, virtus, potestas, apud multos priscos & recentiores Philosophos & Medicos inveniri potest, ut largiore & inutili repetitione non indigeat. Illud tantummodò dicere propositum mihi est, quo pacto quâque optimà ratione innata & à DEO *indita illorum virtus, Operatio & Efficacia per dexteritatem & industriam humanam ab inutilibus mortuis fecibus & corticibus ex illis separari, concentrari, in forma convenienti morbis applicari, & in jucundissimam gratissimamque Essentiam reduci possint & debeant. Objiciat aliquis; Cui bono, tantus impenditur labor & cura ad virtutes ex herbis eliciendas, easque concentrandas, & tum demum ægroto propinandas? Annon res eodem redit, si quis earum naturam, virtutes & proprietates noverit (quæ in multis veterum & Neotericorum Medicorum libris copioso verborum apparatu descripta inveniuntur?) potest dein recentes aut siccas, prout in promptu sunt, adhibere, aut eas prius macerare in vino, cerevisiâ, aquâ, aut alio quodam usitato in mensis potu, aut eas prius in illo coquere, aut omissà coctione de infusio-*

fusione bibere, & ita præstolari auxilium? An-non id ipsum sit effecturum, quod præstat benè præparata; subtilis, pura, suavis & efficax Essentia? Illi notum facio, quod procul omni dubio per ejusmodi infusionem vini, cerevisiæ aut alterius cujusque similis potus virtus quodammodo ex herbis eliciatur, & cum vino pariter in corpus feratur, non parum quoque efficiat, si non multum inibi averruncandum inveniat. Nemo tamen negabit, quin virtus earum extracta & concentrata in cochleari vini aut cerevisiæ sumta, celeriùs operari, jucundius assumi, & melius vires suas exserere poßit, quam cocta aut infusa, ubi ob virtutem aliquarum guttularum in manipulo herbarum delitescentium tot mensuras vini ac cerevisiæ (quæ ab herbis planè austeræ & injucundæ factæ sunt) simul haurire tenemur, quod veteres Medicorum observarunt, & ante multa sæcula accuratè indagarunt, quò pacto variis modis herbas quàm optimè præpararent ut cum suavitate introsumi inque virtute augeri poßint. Id ansam præbuit, quod tot præparationes in Pharmacopœas illatæ sint, quæ ad hunc usque diem adhuc in usu manent. Ex illis sunt aquæ destillatæ, olea, balsama, unguenta, succi, Electuaria, Conservæ, & id genus alia, quæ nulla-

late-

latenus rejicio, ſed innuo tantam, quomodo virtus herbarum, in forma multo jucundiori ægris poſſit propinari. Per me quidem licet, ut prædicta & uſitata herbarum præparatio in poſterum etiam obtineat, in eo mihi nec ſeritur nec metitur. Et ſi indigerem earum auxilio (quod DEUS *avertat) nihilque melius mihi ſuppeteret, gratias* DEO *acturus eſſem, quod conceſſerit mihi partem de ejuſmodi præparatis herbis, ne herbas ita crudas, ut vacca gramen in uſum meum adhibere cogerer, quòd ſi autem meliora ſuppetunt, nemo mihi vitio vertet, ſi illis potius utar, idque ex amore & debito proximo meo communicem. Nemo ſanè cogitur aliter factitare, quam ipſi placet, unus herbis in infuſione vini utatur, alter eas aceto, ſale & oleo comedat, alius illas adhuc virides minutim concidat, ſaccharo miſceat, & ſimulac ad ſiccitatem pervenerint, in pulverem redigat, & in aliquo juſculo aſſumat. Alius melle & ſaccharo eas inſpiſſare poteſt, prælo exprimere, & ſic illis uti. Planè nihil refert quem quis ſequatur modum aſſumendi illas. Nonnulli enim reperiuntur qui faſtidiunt pulveres omnes, quia Oeſophago eorum adhærent, & nolunt in ventriculum deſcendere. Quidam abhorrent à pilulis. Quoſdam invenias, quibus*

quævis dulcia, uti mel & saccharum, adversantur. Sunt & eorum haud pauci qui omne vinum aut cerevisiam abhorrent, in quibus herbæ tantum per noctem maceratæ sint. Hæc est ratio, propter quam venerabilis antiquitas, tot varias præparationes herbarum excogitavit, ut si fortè cuipiam in assumendis illis una via non arrideret, Medicus aliâ viâ exhibere posset, uti quoque homines de anno in annum magis magisque præparatione suaviorum Medicamentorum operam dederunt & indies paulatim Pharmacopœas excoluerunt, inque meliorem statum commutarunt. Nimirum, (dicam jam tantùm de vegetabilibus) in omnibus ferè benè constitutis Pharmacopœis inveniuntur Spiritus ardentes, qui per destillationem è fermentatis herbis producti sunt, ut & salia, quæ ex herbis concrematis eliciuntur, & iterum coagulantur: Item, Extracti, & mediante Spiritu vini eliciti inspissati succi, olea destillata, & coagulata in balsama. Et plures melioris hujus farinæ præparationes, quæ tamen non longo tempore in usu fuerunt, sed pedetentim à cordatis Medicis additæ sunt, eæ omnes quod debent præstant, nec quisquam illas rejicere potest. Quod si autem quis virtutem herbæ sciat ingeniosè elicere, & concentrare eo modo, ut unica

nica gutta tantum efficaciæ in se habeat, quantum contineat Scyphus aquâ destillatâ plenus, aut cochlear pulvere turgidum, succus, syrupus, aut conserva. Cur non quæso libentius sumatur una gutta, quam plenus Scyphus aut plenum cochlear? Quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. At, dicat fortean aliquis: Quomodo possum certus esse, quod major virtus aliquibus guttis bonæ alicui Essentiæ insit, quam toti cochleari pleno aridarum & in pulverem comminutarum, aut viridium saccharo conditarum & concisarum herbarum? aut Scypho pleno aquis destillatis? Ex virtute, odore, gustu id colligi potest, hoc nimirum modo: Si aliquot guttæ in Scyphum aqua fontana plenum mittantur, aqua spatulâ moveatur, & dein aqua fontana odorem herbæ integræ exacte referat & in sapore conveniat cum illa aqua, quæ per destillationem à virenti herba producta est. Si igitur odor & gustus adest, virtus procul abesse nequit: in usu etiam facile patescit, si ambæ simul, factâ collatione probentur. Cui jam nullo argumento probabili contraveniri potest, si quidem unicuique dilucide patet, quod ejusmodi essentia centies imò millies efficacior sit, habito respectu qualitatis & quantitatis illius, ipsâ herbâ virenti aut aridâ.

dâ.

dâ. Exin emergit & hæc utilitas, quod ejuſmodi Eſſentia, reſervata longa annorum periodo, ne hilum de virtute ſua remittat, uti cæteræ preparationes, & ſpeciatim aquâ deſtillata, quæ citò mucida & putreſcens evadit. Eſſentia verò ſi cautè cuſtodiatur, ultra decem imò centum annos æquè efficax durare poteſt; ac fuit primo die quo præparata eſt. Quum itaque abſque controverſia hæc ita ſint, attendendum nobis, ut potiùs pauca quæ ſint jucunda & efficacia, quam multa injucunda & minus aut parum efficacia eligamus. Nullus diffitebitur virtutes herbarum, longè diſperſas & in herbis abſconditas eſſe, quarum virtutum gratiâ integram herbam hoc eſt, mortuum corpus, ob exiguam in eo deliteſcentem virtutem, tenemur aſſumere, tanquam ſi loco panis aliquis crudo frumento cum adjuncto ſtramine veſceretur, quod certe ſtomacho noſtro multa nocumenta afferret, præterquàm quod famem ſedaret, illum etiam corrumperet, & concoctioni ineptum redderet. Si igitur rurales omnium hominum inertiſſimi & ineptiſſimi longâ temporum ſerie ad hanc ſapientiam & dexteritatem pervenerunt expertique ſunt, frumentum eo modo ſicuti ex terra provenit cum ſiliquis & paleis, plane homini ad uſum ineptum eſſe, &

benè norunt, longe illud utilius fore (si primum grana è spicis excutiantur, ea minutim in mola conterantur, cortices aut furfures separentur, farinam puram aqua, sale, aut fermento nonnihil inficiant, fermentare pastam sinant, & post demum furno inferant) frumento crudo. Cur igitur non omnis debet impendi opera, quò extrahantur purissimæ è medicinalibus herbis essentiæ denturque languentibus, quam herba cruda, uti à terra producta est? Quod exempli gratia tantùm profero, ut conspicuum sit, quod legitima præparatio rem in longe meliorem gradum evehat, quàm anteà habuit. Quod multis posset demonstrari exemplis, si necessitas postularet, verum nemo est adeo insulsus blatero, qui ausit oppugnare. Quum igitur res ita se habeat, quod extracta pura & subtilis medicina melius, velocius & tutius operetur, quam vulgari modo præparata, iniquum esse duco, si processus ad illam ducens celetur, neque in usum & utilitatem sui proximi dirigatur. Integrum sane cuique esto eum acceptare aut relinquere, nullus precibus invitatur, aut vi compellitur ut ea acceptet, nisi animus ipsi dictet & suadeat esse bona. Ego ad hoc usque tempus de omnibus meis publicatis scriptis nil aliud reportavi, quàm molestias,

lestias, & ni exploratum haberem, lege divinâ mihi incumbere debitum amorem ut proximo exhibeam, manum certe à scribendo removerem & non attraherem cervici meo cavillatores momos, ignorantes Artis, illamque diffamantes. Quia autem & hoc novi, DEUM *potentiorem esse satanâ, veritatisque propugnatorem, eò audacius id ago, certumque mihi persuadeo, me mercedem esse recepturum aliunde. Testor* DEUM, *quod hæc non scripserim laudem aut commodum meum quærens, minimè. Scio enim animam meam eo nihil meliorem esse, si corpus gloriam consequatur coram hominibus, neque quicquam ipsi nocere, si hoc contemptui habeatur, sed in eo situm est negotium, quales simus apud* DEUM. *Scio & certus sum, hoc meum scriptum plurimis invidiosis hominibus displiciturum mihique inimicitiam creaturum esse, non quod aut contradicere aut adjicere quidquam possint, veritas enim supprimi nescit, sed ideò tantum, quod ipsi prius non sciverint, atque in lucem edere potuerint. Neque vero affirmare queo, hanc ipsam inventionem essentias herbarum præparandi, à me primò profectam esse, me enim latet, quid alius aut habeat aut possit. Hoc tamen scio, neminem hucusque neque in scriptis,*

neque

neque aliàs hujus præparationis mentionem fecisse, illamque nullibi aut cognitam aut in usu fuisse. Quicquid sit, sciant etiam alii præter me vel non, vel sciverint ante me vel non, bonum tamen videri debet, quod ego in lucem proferam, in multorum ægrotorum commodum. Eoque mihi fuisset gratius si quisquam alius ante me id edidisset, meque hoc ipso labore sublevasset. Hoc autem certò scio, me non aliâ quam hujus Mundi mercede fruiturum apud multos, contra quàm meretur benevola hæc mea revelatio. Nam etiam sint, qui ex animo Christiano libenter vident, bene ut agatur cum ipsorum proximo, præsto tamen semper est satanas cum sui sequacibus, qui ferre non potest, ut homini bene sit, quærunt & student dies noctesque, quâ ratione bonum supprimere possint. Dici vero non potest, quantam invidiam præcedentibus meis scriptis jamdum mihi conciliaverim, (quæ tamen in nullius hominis damnum sed in cujusvis commodum scripta sunt.) Avaro qui nulli præterquam sibi favet, nimis clare & manifeste scripsi, & dolet quod præter seipsum aliis quoque aliquid innotescat. Aliis qui nihil sciunt tamen vellent, nimis obscure scripsi. Qui nihil sciunt nihil etiam discere cupiunt, illis mera somnia, ficta phantasma-

tasmata & mendacia scripsisse videor, eâ tantum de causâ, quod interrogati, quid de Glauberi scriptis sentiant, dicere ipsos pudeat, quod bona sint, nec tamen ipsa intelligant, qui nihilominus ab omnibus multiscii habentur: Ideo potius dicere amant, se nihil de illis sentire, ne ignorantes æstimentur. Quidam obscurioris sensus, explicationes petunt prolixas conscribendo literas, quibus si non statim morem geras, omnibus aliis post positis, herbam præmasticatam ori eorum ingeras, statim crabrones in te concitasti. Alii parata jam medicamenta postulant, ut experiantur quomodo succedant, si bene illis cedunt, ut grati esse posśint. Quæ si statim ipsis non mittantur, periit amicitia. Quidam inimici mihi fiunt, quando vident quod hic aut ille ex lectione scriptorum meorum hanc aut illam Medicinam paravit, felicius curat aliis, cui si obesse non valent, tunc in Glauberum invehuntur illique maledicunt, quod talia scripserit. Et si forte fortuna accidit, quod inter medendum æger moriatur, Chymicis id medicamentis imputant, licet æger citius forte interiisset, si aliis medicamentis fuisset usus. Hinc sæpenumero fit, ut boni alioquin & benevoli Medici, qui in eo toti sunt, ut proximum juvent, calumniis premantur, & apud

apud magnos & parvos falsò traducantur, ac si mera venena tractent, nec illis se fidere tutum sit. Tales ubique locorum inveniuntur, qui ferre non possunt alium plus intelligere se ipsis, ideo artem extenuant & contemnunt. Interim hoc quoque fatendum est, licèt interdum expertus Chymicus medicinam bonam ritè præparatam aliis illam petentibus communicet, illi autem imprudenter eâ utantur maleque adhibeant, non tantum eventum ex voto non succedere, sed medicinæ insuper maculam inuri, etiamsi talis sit, qualis esse debeat, quando expresse moniti, ut efficacibus medicamentis circumspectè utantur, illud insuper habentes, nimium propinent, culpam postea in medicinam falsò rejicere satagant. Perperam etiam & illi faciunt, qui hanc aut illam medicinam sub meo quidem nomine aliis divendunt, acsi illam à me accepissent, cum interim secus se habeat, quamobrem unusquisque videat cui fidat, & à quo talia petat & accipiat. Quodsi itaque fiat, ut medicamenta perperam præparata proque meis falsò divendita, alicubi non succedant, illud descriptæ à me medicinæ non imputetur, sed in illam falsam medicinam rejiciatur. Quodsi verò quis eo audaciæ devenerit,

ut descripta mea medicamenta atque inprimis Panacæam meam Antimonii culpare audeat, ac si nimium illi tribuissem, quodque illud, quod à me tributum ipsi est, præstare nequeant, ille plus dicit quam aut intelligit aut defendere possit. Nomen enim Panacææ designat Medicinam, quæ ad quosvis morbos utiliter adhiberi queat, quod quidem medicina mea mineralis, tam communis & flava ex Antimonio, quam punicea & aurea, cui nomen Panacææ indidi, præstat. Quod autem illa omnes sine discrimine morbos fugare valeat, ipsi non est concessum, neque unquam à me tributum. Quod autem ipsi tribui, id præstat nec unquam fallit, ni DEUS *impediat. Operatur sensibiliter & insensibiliter pro voluntate & rei exigentia. Nam in minori dosi exhibita suum quidem præstat, etiamsi operationem non animadvertas: Si autem in majori dosi exhibetur, tunc sentit corpus alterationem ad duas tresve horas: Majori adhuc pondere exhibita, nauseam movet, in maxima autem dosi vomitus & sedes concitat, unaquâque vice educit malos & perniciosos humores omnes, quos intra duas aut tres horas colligere & attrahere potest. Cum autem uniuscujusque natura vomitus non ferat, & quibusdam*

busdam morbis eæ non conducant, adhibendnm est discrimen, neque debilibus plus exhibendum, quam cujus operatio vix observari queat, neque ad vomitus deveniendum, & potius eò sæpius ad aliquot continuos dies adhibenda Medicina est, tunc idem præstat per sæpe repetitas vices, sed suaviter & sine sensu, quod aliàs per vomitus & sedes visibiliter & sensibiliter præstitisset. Hæc ipsa de causa magis consultum est, à robustioribus corporibus pravos hosce humores simul & semel per vomitus educi, si id ferre possunt, quam in minori dosi per sæpè repetitas vices, ubi insensibiliter solummodo operatur, & parum tantum mali quot vicibus aufert, sensim tantummodo subsequente sanitate, quæ tamen præsto adfutura est prævia operatione visibili per dictas purgationes; Nisi fortè pravis humoribus corpus adeo refertum sit, ut una purgatio non sufficiat, sed pro temporis & morbi conditione repetenda sit. Notandum autem est, quod unumquodque vomitivum per operationem suam debilitet corpus, sivè ex vegetabilibus, Animalibus, Mineralibus illud paratum sit, ad quod tamen una natura præ altera magis idonea reperitur. Quæ autem causa sit, quod Panacæa

mea Antimonialis majori dosi exhibita vomitus & sedes concitet dicam, quamvis & antea in praecedentibus meis scriptis id ipsum dixerim, tamen repetam. Naturam habet attractivam, inque stomachum delata statim agere incipit, attrahendo ex omnibus visceribus in stomachum perniciosos humores, jam parum medicinae, parum attrahit atque ventriculus illud successivè & insensibiliter ad intestina demittit, quo cum reliquis excrementis excernatur, & aegro nihil facessat incommodi. Quod si autem plus medicinae sit, plus etiam attrahit, tam multum tamque subito, ut stomacho integrum non sit, hos per medicinam attractos & collectos humores, pro temporis & loci conditione ad intestina instar aliorum excrementorum sensim ablegare, ibique expellere, sed proximam viam per vomitum quaerit, quae tamen expulsio naturae non tam amica est, quam quae per intestina fit, adeoque inter vomendum plerumque debilitas sentitur, non autem diutius quam operatio durat, quâ absolutâ vires statim recolliguntur. Haecque via omnium commodissima est in omnibus illis morbis, qui ex superfluis & malignis humoribus ortum habent & praeterea insigni debilitate carent, ut in omnibus febribus quo-

cunque

cunque nomine veniant, præsentissimum & certissimum remedium item in peste, tam qui ea jam infecti sunt, quam qui ab illa sibi metuunt, tutissima post DEUM *Medicina. Non tantum enim attrahit, ducitque præsentissimè venenum à corde & corpore in stomachum, qui idipsum postea per vomitus & sedes repurgat. Sed simul etiam venenum in toto corpore, jam dispersum per sudores expellit, adeò ut in corpore nihil naturæ contrarium aut valetudini inimicum reliquum maneat quod non expellatur, id quod experientia satis superque testata est, & adhuc testabitur. Cunctis similiter morbis vomitoriorum usus inservire potest, qui ab obstructione lienis aliorumque internorum viscerum ortum duxerunt, quales sunt Scorbutus, putredo oris, dolor lienis, pleuritis, lumbago, Cephalalgia, Odontalgia & aurium tinnitus ex superfluis humoribus orta, palpitatio cordis, deliquium animi, terror nocturnus & obambulatio in somno, Epilepsia sive caducus, cum quavis melancholia & animi tristitia, ab ascendentibus pravis & venenosis halitibus orta, tam in senibus quam pusillis trium aut quatuor septimanarum infantibus, sine metu aut periculo danda, modo*

prudenter usurpetur, nec plus exhibeatur, quam ut unus tantummodo vomitus observetur, quod quarta pars unius grani facile efficit, idque benè notandum, ne nimium exhibeatur, præstat minus idque bis usurpari, quam semel nimium. Itaque non facile suaserim, ut sine discrimine quilibet efficacia hæc medicamenta aliis propinare præsumat, nisi operationis bene sit sibi conscius. Certum est, quod multis infantibus hoc medicamento profuerim in familiari infantum morbo, qui species epilepsiæ est, ubi in somno terrentur, subito concutiuntur, pollicem manu prehendunt, oculos contorquent, facies & præcipuè labia pallescunt, os contrahunt, manibus & pedibus gesticulantur. Quidam veluti mortui & immoti jacent, quidam dies noctesque vociferantur prorsus inquieti, Huic infantum morbo præ omnibus aliis hoc medicamento post Deum præveniri & succurri potest, modo etiam atque etiam caveatur, ne in nimia dosi peccetur. Et non tantum convalescunt infantes, usurpato hoc medicamine, sed repurgantur etiam à primo fermento, quod ab utero infecti sunt, ut in exanthemata & variolos, faciem sæpenumero valde deformantes horridamque red-

reddentes, rarò postea incidant, sicuti revera affirmare possum, ex quo tempore hoc medicamentum possideo, septem liberos unâ matre mihi natos, quibus illud exhibui, adhuc vivere recteque valere, nullumque illorum hucusque variolis aut exanthematibus vexatum fuisse, nec ut spero in posterum vexatum iri. Hoc ideo tantum narro, quò appareat hanc Panacaeam modò natis etiam infantibus magno cum emolumento adhiberi posse, neque quicquam ipsis nocere. Quid illa ergo nocere possit adultis & robustis hominibus, modo cum judicio adhibeatur? Neque tamen suaserim, ut sine discrimine enervatis & decrepitis nimia dosi, quae vomitus excitare posit, propinetur. Ejusmodi enim omnes ferendo non essent, nec hujusmodi curatione indigent, sed praestat, ut illis Essentiae confortantes propinentur, de quibus mox acturi sumus. Neque etiam opus est, ut illis vomitiva exhibeantur, quorum morbus ex pravis humoribus non extitit, neque in illis etiamnum consistit, qui morbi hoc medicamine violenter non expelli se patiuntur, sed morbi remissionem paulatim sentiunt, si quotidiè in valdè exigua dosi illa utantur, quo mediante

diante humores ab internis Corporis partibus & membris retrotrahuntur, ita tamen ut ſenſibilis operatio non animadvertatur, maximè cùm Panacæa puniceí & purpurei coloris ex minera aurea extrahitur, quæ vulgari flavæ ex Antimonio, in omnibus morbis longe anteponenda venit, & infantibus, decrepitis, debilibus & clinicis loco vulgaris offerenda. Podagricis & calculoſis optime etiam convenit, pellit per urinam viſibiliter plurimum pituitæ, arenularum & excrementorum ex corpore, lenit & mollit non tantum omnes dolores, ſed prorſus ab illis etiam liberat, niſi nimis radicati ſint. Id quod huic medicamento revera adſcribere coramque mundo probare poſſum. Quod ideò monendum fuit, ut hæc medicina ab illa, quæ pro mea falsò divenditur, diſcerni poſſit. Qui rećte præparatam habet, eamque tam junioribus quam adultis rite adhibere novit, in ſupra nominatis morbis ſine metu feliciter, modo caute fiat, illam uſurpare eâque gloriam ſibi comparabit. Qui autem rite præparatam non poſſidet, neque illa rećte uti novit, abſtineat ab illa, ne damnum inferat, hæc

namque

*namque Panacæa ex Antimonio præsertim, acuto cultro comparari potest, cujus beneficio, qui mentis compos est, multa utilia efficit, stultus vero & infans tam sibi quam aliis multa damna infert. Hoc in transitu breviter indicandum censui illorum causa, qui odio & invidiâ ducti eam vituperare nituntur, plura (*DEO *volente) de hac ipsa alibi mox dicentur NB. NB. Illud etiam hic scitu necessarium, quod Panacæa hæc Antimonialis tam attractivâ naturâ pollet, ut illa (nisi in vitris benè occlusis custodiatur) ex astris illud, quod adminiculo ignis ablatum est, rursus attrahat & reassumat, imo in tantum alteretur, ut unicum jam granum vehementius operetur, quam aliàs tria à prima ejus nativitate, aut postquam in vitris asservata fuit. Quod albo calculo notandum, ut aut doses juxtà instituas aut ab aëre custodias, tum enim in pristino gradu perseverat. Quod illis dictum sit, qui illam jam possident, aut in posterum possidebunt.*

Objiciat hic aliquis & dicat: Si Panacæa tua hâc ratione operatur, pravos nimirum humores resolvendo in visceribus, inque

ventriculum ad ſe attrahendo, exindeque eliminando, cùm omnia purgantia idem præſtant, quid tua illa medicina opus eſt? Cur iis purgantibus non utimur, quæ id ipſum præſtant? Ad hoc reſpondeo: Etiamſi omnia purgantia hanc habeant proprietatem, ut pravos humores è corpore educant, fit tamen illud alia prorſus ratione, quàm per hanc meam Panacæam, quæ in fixos etiam humores agit, quod aliis purgantibus impoſſibile eſt. Et quacunque ratione hæc exhibetur, ſive illa operetur ſenſibiliter ſive non, ſemper tamen quod ſuum eſt præſtat. Purgantia autem vegetabilia minori doſi exhibita, quam ut viſibiliter operari valeant, in corpore manent, plus illi damni quam commodi afferunt, quod unicuique ſatis notum eſt. Hæc autem aliter ſe habet, quapropter in tota rerum natura non invenitur purgans vegetabile, quod cum hâc Panacæâ ullo modo comparari poſſit. Ut autem eò melius innoteſcat quid mihi velim, unicam tantum hic Hiſtoriam apponam, qua ratione mirabilem Panacææ meæ operationem expertus ſim, ita nimirum: Accidit præteritis aliquot retro annis, quod honeſti cujuſdam

viri

viri infans decem annorum, linguam haberet multis exulcerationibus perforatam, quæ dies noctesque magnos dolores ipsi causarent. Cui ut obviam iretur, parentes nullis sumptibus aut laboribus parcentes, diversos vicinos Medicos consuluerunt, illi tamen postquam omnem operam frustra impendissent, exulcerationibus indies cum dolore crescentibus & in deterius vergentibus, omnique ope destitutus infans emarcuit. Tandem & me in Consilium vocarunt, ubi narratum mihi fuit, quam multi & alioquin celebres Medici omni sua per integrum biennium impensa opera, nihil quicquam effecerint, tandemque infantem ope & opera destitutum reliquerint. Ego viso affectu animadverti, hic nihil aliud subesse quam corrosivum ex infecto sanguine catarrhum, qui linguam ita occuparet, perforaret & hujusmodi adurentis, depascentis & cancrosi affectus causa existeret, & nullam hucusque sanationem admitteret. Equidem Parenti tale responsum dedi, mea quidem opinione, huic malo meliùs obviam iri non posse, quam per purgantia minera, quæ vim haberent in humores etiam fixos agere eosque educere, & præcipuè per vomitivum

vum

vum Antimoniacum. Parentes in consilium meum consentientes, ut curam inchoarem, petierunt, quod & feci, & quidem exiguam primò dosin Panacææ meæ Antimonialis exhibui, nullus dubitans, quin unum minimum vomitum excitatura esset, quod tamen aliter se habuit, nulla prorsus sensibili operatione subsecuta. Die insequenti eandem dosin denuo propinavi, absque sensibili tamen operatione, omnis nihilominus dolor evanuerat, & infans linguam iterum movere, eaque uti potuit, cibum etiam postulavit, quod intra annum factum non fuerat sed in juscu-lis, (eo quod lingua solidi nihil admittebat) acquiescere debuit. Tertia die eandem dosin denuò administravi, cum ecce exulcerationes consolidari cœperunt, atque ita tota lingua intra octiduum penitus sanata fuit, adeo ut locus exulcerationum vix appareret amplius. Atque infans indies melius habuit, colore naturali restituto, quod omnes mecum in admirationem rapuit. Per hanc quam dixi curam, virtus & efficacia Panacææ meæ mihi demum innotuit, quæ antea me latebat, nec unquam credidissem, nisi manifestam operationem animadvertissem, sanguinem ope tam

exiguæ

exiguæ medicinæ, quæ in universum ultra sex grana non constituit, tam parvo temporis tractu tantum efficere potuisse, postea in aliis quoque morbis eundem effectum animadverti, & deprehendi, quotidianum hujus Medicinæ usum, non tantum tartarum in renibus & vesica nondum coagulatum, sed & induratam jam arenam & calculum pedetentim comminuere, longoque tempore expellere, similiter etiam podagricos inveteratos humores, successu temporis resolvere & exstirpare. Id hac de causa solummodo evenit, quod hæc medicina præ omnibus aliis medicamentis (præsertim purpurea & punicea quæque aureæ naturæ est) sanguinem in toto corpore tam in junioribus quam adultis in summo gradu purificet. Et pravos illos, acres, tartareosque humores, (debitè usurpata) paulatim solvat & expellat, & ab omnibus accidentalibus morbis, peste præsertim & malignis febribus, præservat, insuper absque externa ope, omnia interna & externa vulnera evidenter curat, & in omni morbo sine noxa & periculo tuto adhiberi possit. Ne autem nimium digrediar, sed ad propositum revertar, breviter, perspicuè tamen describere incipiam, qua ratione & virtus herba-

herbarum extrahenda & concentranda veniat, ut hac ratione in morbis efficacius operentur commodiusque administrentur, quam herbæ crudæ & non præparatæ, fit autem insequenti modo.



PRÆ-

PRÆPARATIO VEGETABILIUM ESSENTIARUM.

CApe herbæ à terrâ & corruptis foliis purgatæ, unà cum radice, caule, foliis, ſemine, ſi haberi poſſunt, quantum vis, ita tamen ut minimùm quinquaginta libras exæquet, nam in minori quantitate non adeo benè ſuccedit fermentatio, quam in juſta copia. Minutim conciſis ſuperfunde aquam, quantum implendæ æneæ veſicæ ſufficit, ad latitudinem palmæ, urge nonnihil fortiter ignem, & prodibit aqua clara & oderata tamen, cum pauco oleo, per Tritorium ab aqua ſeparando & in peculiari vitro aſſervando, herbam in veſicâ reſiduam aufer, aliam inde, atque ut prius aquam cum oleo diſtilla, idque tamdiu repete, quouſque herba deſtillanda ſuperſit. Semper oleum ab aqua ſeparando & ſeorſim cuſtodiendo. Jam herbis deſtillatis omnibus, aquam iterum affunde, addito uno aut altero cochleari recentis fermenti

menti cerevisialis, in vase ligneo tecto ad tres quatuorve dies simul fermentari sine, dein cùm herba desidere incipit, sufficit, & apta jam est purissimas suas partes, puta Sal & Sulphur volaticè per destillationem à se dimittere. Agita materiam cum baculo, ut tenue & crassum bene misceantur, eo jam imple vesicam tuam, administra ignem per gradus, ne herbæ adurantur, & Spiritus empyreuma sapiat. Destilla per refrigeratorium, quam diu aqua saporem præ se fert, quod sæpè gustando deprehendes, cùm aqua insipida prodit, cessa à destillatioue, quod egressum est in vitris custodi, vesicam evacuatam novis herbis fermentatis denuo imple, usque ad palmæ latitudinem, distilla inde Spiritum, idque tamdiu repete, quousque Herbarum nihil supersit amplius, repurgatis postea vesica & refrigeratorio, omnes Spiritus distillatos infunde, illosque rectifica, excipe tantùm fortes Spiritus, aquam in vesicâ insipidam effunde, rectifica Spiritum denuo per Alembicum in balneo, atque iterum aquam insipidam deponet, hanc rectificationem per vitreum Alembicum, si opus sit, adhuc semel re-

pete,

pete, ut Spiritus ulteriori operi deſtinatus valdè fortis & ſubtilis evadat, atque interna ejus virtus concentretur. Jam ſume herbam, à qua oleum & Spiritus prodierunt, fac inde globulos, quos in ſole aut ad ignem exſiccatos, combure in cineres, ex quibus cum aqua inſipida à rectificatione Spiritus reſidua, ſalem extrahe, & coagula, qui ſal cum nova poſtea aqua denuo ſolvi, filtrari & coagulari debet, tunc ſufficit: Ad hujus ſalis unam partem, affunde Spiritus rectificati partes duas, & in balneo lentè abſtrahe, ita Spiritus quantum indiget ex ſale fixo, in ſe recipit, ſecumque per Alembicum deducit, ſal fixum autem retinet phlegma, quod in Spiritu adhucdum latebat. Poſtquam autem ſal illud humidum iterum ignitur, æquè bonum eſt, ut prius. Huic ad ſummum jam concentrato ſpiritui, affunde dimidiam aut tertiam partem olei ex hac ipſa herba antea deſtillati, miſce illa invicem agitando, & Spiritus concentratus & alcoliſatus proprium oleum ſuum in momento devorabit, inque claram efficacem & jucundam Eſſentiam totum convertetur. In qua herbæ illius ſal & ſulphur vo-

latile cum ſale fixo unita ſunt, & jucunda, penetrans, efficax, naturæque amica Eſſentia æſtimanda eſt, quæ cum omni liquore miſceri commodeque ſumi & propinari poſſit, cujus paucæ aliquot guttæ plus virium habent, quam crudæ herbæ integer manipulus. Et operatur hæc Eſſentia non tantum efficacius in ejuſmodi morbis, cui herba ante præparationem alioquin inſerviebat, intra corpus ſumpta, ſed etiam vires ſuas propter ſubtilem puritatem celerius exerit, externè applicata, odore ſuo corroborat cor & cerebrum præ omnibus aliis quantumvis ſuavibus odoratis ex inſpiſſatis oleis, zibetto, moſcho, aut ambra paratis, quæ omnia cum hac Eſſentia comparata tanquam corpus mortuum æſtimanda ſunt: nam in hac Eſſentia ſal volatile quod cum oleo conjunctum eſt, hoc ipſum illicò introducit & ſubtile reddit, ad admirationem uſque. atque ita hæc medicina tam internisquam externis uſibus inſervit. Et certum eſt, quod herbæ alicujus ſuavis odor, utpote per quem cor velut in momento confortatur, quandoque plus efficiat, quam confortans alia medicina intra copus aſſum-

ſumpta. Cor enim hominis ex aëre vivit, quemadmodum piſcis in aqua, quo exiſtente puro, cor etiam ex eo benè habet, & è contrà, malè: cur amat homo olfacere florem, ſi ſuavis odor cor & cerebrum non confortet, ejuſque ſpiritus inde non recreentur. Quod ſi hoc præſtat flos & herba, ubi ſuaves & confortantes ſpiritus cum corpore ſuo mortuo adhuc circumcincti, involuti, late diſperſi & ligati ſunt, quid non præſtabit ſpiritus, poſtquam à corpore ſeparatus, ſummè depuratus, iterumque concentratus eſt. Præter quotidianam omnibuſque notam experientiam, quod jucundus aër cor reficiat, corruptus autem & infectus (ut tempore peſtis appareт) illud è contra debilitet & penè ſuffocet, facile fuerit Hiſtorias producere id ipſum probantes, quod tamen nimis prolixum foret. Non poſſum tamen quin unam aut alteram memoratu dignam hic apponam, quo melius ſententiam meam confirmem. Scripſit Joſephus de Acoſta, ordinis Jeſuitici, Philoſophus acutus & valde expertus, librum de conditione & proprietate inſularum Occidentalis Indiæ noviter inventarum: inter alia in libro 3. cap. 9.

non minus incredibilia quam vera, de natura quorundam ventorum qui in aliquibus provinciis ultra Chili ſituatis ex cacumine montium & deſertorum proſiliunt, nimirum dicit illos ventos propter ſummè penetrans frigus viatores nihil tale cogitantes, ideoque nec bene munitos, non tantum ad mortem uſque dejicere, verum etiam multos prorſus exanimare, tantummodo propter ſubtiliſſimum frigus humanis Spiritibus & vitæ contrarium & maxime inimicum. Nam, quemadmodum jucundus & temperatus aër Spiritum noſtrum vitalem cuſtodit, conſervat, & alit; ita è contra intemperatus & frigidus aër eundem ſuffocat & interficit, quod & ipſum in mari navigantibus evenire ſolet, ibi ſiquidem per motum ſalſi maris aër inficitur, & hujus rei inſuetos ita afficit & debilitat, inprimis verò cerebrum, cor & ventriculum (ut ſupra dictum eſt de frigido illo vento in deſertis circa Chili) ut homines ad vomitus commoveat, ac ſi vehemens vomitorium ſumpſiſſent, caput & cor ipſis dolet, cibum ac potum abhorrent, quouſque aëri aſſueſcant, illumque ferre poſſint. Aliam adhuc Hiſtoriam memora-

morabilem adjicere juvat, ut oſtendam, infectum aërem humanæ vitæ plus damni inferre poſſe, quam corporale venenum. Illud nimirum, ſtomachum tantum invadit, qui naturâ auxiliatrice facilè id ipſum rurſum expellit, quod Hiſtoriæ ubivis notæ ſatis ſuperque teſtantur, nimirum, quod nonnemo hauſtum venenum per vomitum rejecerit; Spiritualia autem ad cor properent, ut Spiritum vitalem ſuffocent, niſi benè munitus quis ſit: id quod ſequens Hiſtoria teſtatur.

Ante triginta circiter annos circumforanei duo Pariſiis non procul ab invicem conſtituti, Theriacam colonis vendiderunt, & unusquiſque ſuam pro virili commendabat, quo alteri ægrè faceret, hominesque ad ſe alliceret. Poſtquam autem inter illos conventum eſt, ut unuſquiſque ſumpto alterius veneno Theriaca propria ſe tueretur, ſuæque Medicinæ præſtantiam defenderet, factum eſt, ut illorum unus magni bufonis parte dimidiâ devoratâ, alteram ſocio devorandam exhiberet, quam & ipſe deglutivit, nullo utriuſque damno. Inſequenti die, alter adverſario ſuo etiam invitato, hoc ſtrata

gemate uſus eſt. Nimirum, viperam unà cum bufone tympano injecit, adjecto manipulo ſalis, bacillis tympanum ad tempus pulſari mandavit, quo inconſueto ſonitu tam ſerpens quam bufo exacerbati, ſpirituale de ſe venenum exſpirarunt, tympanumque eo impleverunt. Quo facto alter convivam ſuum foramini naſum adhibere juſſit, quod circa medium tympani conſtitutum ſono exitum præbere ſolet, qui ſimulac ſpirituale venenum hauſit, in tergum prolapſus, illico extinctus eſt, nihil tale cogitans nec intelligens, quod ſpiritus ſive boni ſive mali æque in corpus agant ac corporale venenum

Utramque hanc Hiſtoriam non ideò appoſui, ut chartam verbis implerem, ſed ut oſtendam ſpiritus in ſua virtute & operatione à corpore ſeparatos & liberatos centies fortiores eſſe quam ſint ipſa corpora, ſpiritibus licet ſuis conjuncta. Quod quidem in ſubjectis tam ſalubribus & naturæ humanæ amicis, quam hiſce præſentibus locum habet. Abunde notum eſt, quam multiplices, bonos, ſubtileſque ſpiritus in gratiam ægrotorum in ſecunda parte Furnorum deſcripſerim: Pauci tamen

men

men inveniuntur, qui illos parare aggressi sint. Inter quos infimum locum non obtinet spiritus salis ammoniaci, qui propter temperatum & penetrantem calorem tam interne quam externe præsentissimam operationem exhibet, dignus quem omnes norint, utque in Pharmacopoliis ubivis inveniatur. Quem tamen nusquam adhuc vidi, etiamsi ejus præparandi facilem & brevem viam descripserim, de quo in sequenti parte, Deo volente plura, ubi de illis quæ ex animalibus parantur medicamentis, tractabimus. Ut sunt illorum salia volatilia & fixa, in quibus magna virtus latet, & in quibusdam casibus, iis, quæ ex vegetabilibus parantur, longe præferenda veniunt.

Non possum tamen quin hic moneam medicamentis bonis, subtilibus, circumspecte utendum, neque in majore quantitate, quam natura ferendo sit, ægris ea exhibenda esse: Vinum bonum & sanum recte utentis cor, cerebrum, & integrum corpus confortare & in sanitate conservare potens est. Alius autem, qui eo immoderate utitur, pulmones & jecur inflammare, inficere, caput occupare, ma-

nibus tremorem, pedibus contracturam afferre, oculos obnubilare, renes & veficam calculo replere idem poteſt, in quem finem tamen à Deo neque datum, neque tanto labore comparatum, ſed ideò tantum creatum eſt, ut hominis ſanitati inſerviret. O quam pulcra ſecreta in una vite latent, ut nihil dicam de frumento aliiſque fructibus, quæ omnia Mundus neſcit nec ſcire ſatagit, quæque in opere meo Vegetabili in lucem dare conſtitui, penes Deum tamen ſtat utrum velit permittere nec ne. In vino ſolo ſatis apparet, abuſum nocere non ſubjectum: idem in aliis etiam penetrantibus medicamentis uſuvenit, quę prout uſurpantur ita operantur. Infanti & ſtulto quorum uterque mentis non eſt compos, non permittimus acutum cultrum manibus tractare, ex metu ne ſibi aliiſque damnum inferat: prudens autem homo rectè eo utitur, novitque eum tractare ad ſuum & aliorum uſum. Quod ſi quis ergo alterum cultro lædit, culpa non eſt fabri, quod ipſe acutum cultrum fecerit, ſed ejus qui illo ſiniſtre uſus fuit.

Hoc monere operæ precium duxi, ut ſi for-

forte unus aut alter de Essentiis à me conscriptis perversum judicium tulerit, ac si nimis calidæ forent, notum fiat quid respondendum sit: Fateor enim, nimium calorem vitalem Spiritum non minus extinguere (cum temperatus calor ejus nutrimentum & vita sit,) quam frigus naturæ inimicum, ideo etiam non docetur, igneas has Essentias instar ordinarii potus hauriendas sed prudenter administrandas esse, una vice pro ratione patientis, 1. 2. 3. 4. guttularum, cum cochleari cerevisiæ, vini, aut alio vehiculo. Ita Medicina pervadit corpus, illudque præstat, quod ipsi à Deo concessum est. Sciendum autem est, omnium bonarum & salubrium herbarum vim & Essentiam in calore consistere; quæ quo magis per herbam divisa & diffusa est, hoc minus observatur, quoque magis contracta est, eo magis visibilis & sensibilis deprehenditur. Quicquid temperatum calorem exhibet naturæ gratum & salutare est; contra, quod nimium refrigerat, id omne fit inimicum, & exitiale est, quod unusquisque, cui natura vel minimum nota sit, fateri cogitur.

Mors & perditio humanæ vitæ nihil

aliud eſt, quam diſſimilitudo & contrarietas, per quam ſimile & temperatum deſtruitur & diſſipatur, ſive id fiat per calorem ſive frigus nimium, utroque tamen modo. Nimius calor vires hominis è corpore evocat, ut ingens ignis exiguum attrahit ignem: Immenſum autem frigus ſpiritum & vitam hominis ad cor propellit, & calore pejus eſt, inſenſibilius tamen, quod ex vino liquet in vaſe ad ſolem, ignem, aut in calidum alioquin locum expoſitum, ubi calor ſpiritum & vitam vini ad ſe trahit, & inſipidum quid poſt ſe relinquit, quia ſimile appetit ſuum ſimile. Quod ſi autem vas vino repletum intenſo frigori exponatur, frigus iſtoc non veluti ignis ſpiritum attrahit, ſed ut diſſimile odit, illumque ad centrum vaſis in anguſtum compellit, ita ut vaſe fracto glacieque remotâ ſpiritus integer reperiatur, qui alioquin ad calorem aſcendit adaptoque receptaculo excipi poteſt. Cogitur itaque ſpiritus tam per frigus quam calorem nimium, corpus & domicilium deſerere mortique tradere.

Hîc de natura caloris & frigoris multa dicenda forent, quæ à paucis intelliguntur:

tur: Magna arcana in eo latent, quæ contemptores ſcire nefas ſit. Calidus & temperatus aër & lux diei procul diſperſa, gratia & virtus Dei ſunt. Concentratus autem calidus aër & lux diei, quid aliud eſſe poſſunt, quam Deus ipſe, habitaculum purorum ſpirituum. Tenebricoſa & frigida nox nihil aliud eſt, quam emiſſa & latè diſperſa maledictio & ira Dei. Nox concentrata & tenebroſa nihil aliud eſt, quam æternùm mortificans vis & centrum omnis mali, & domicilium malorum ſpirituum ubi ejulatus & ſtridor dentium. Conſiderate tantummodo quid non poſſit vel manipulus concentrati caloris ſolis, an non in momento calor ille lignum incendit, ſtannum & plumbum vero liquefacit, quid non præſtaret ſol tribus, quatuorve paſſibus interceptus? abſque dubio cupro & ferro colliquando ſufficeret; quid jam ſol intra milliare ſplendens poſſit, id captum ſuperat; veriſimile tamen eſt, totum terrarum orbem in momento conflagratum iri & in fumum abiturum, ſi ſol hac ratione in ipſum incideret. Hoc ipſum per concurſum radiorum ſolarium in ſpeculo vel vitro concavo demonſtrari poteſt

poteſt. Quod ſi lumen ſolis inſtrumento aliquo nonnihil collectum aſpicere non valemus, eò quòd præ nimio ſplendore viſum lædat. Quis coram Sole ipſo, quæ tamen egreſſa Dei virtus eſt, ne dicam coramDeo ipſo tanquam lucis centro, conſiſtere poſſit? Quod ſi tenebræ ita colligi poſſent ſicuti lux, quàm incomprehenſibile horridumque monſtrum, quaſi mortem, Diabolum, & infernale Barathrum viſuri eſſemus, quod Deus benigne avertat. Nam, quo pulchior, excellentior & ineffabilior concentrata lux eſt, tanquam præſentia & claritas Divina: hoc ipſo horribiliores & formidabiliores concentratas eſſe tenebras oportet, ſunt enim duo contraria. Nimium forte egreſſus ſum, conſideratione tamen hæc non indigna fuerint, ut vel hinc appareat,quomodo & extrema & centra tam caloris quam frigoris, humana natura ſuſtinere nequeat. Sed mors & venenum, temperatura autem vita illius exſiſtat. Cum itaque Medicus Philoſophus & Spagyrus eſſe debeat, ut & eſt, qui naturam in manu & poteſtate habet, difficile ipſi non eſt, veram temperaturam invenire, naturæ ſuam,

quod

quod desiderat & indiget, tribuere. Ita hoc ipso comprobatur, Essentias meas vegetabiles, ideo fugiendas non esse, quod calidæ sint in seipsis, alioquin à Deo ipso aversos esse oportebit, qui consumens in seipso ignis existit, sed in Medici manu positum est ejusmodi Essentias idoneis vehiculis ut temperet, & moderetur, prout ægro conducere judicabit.

Porro Essentiarum istarum externus & insignis usus est in frigidis membrorum affectibus, ubi ex tempore opem præstant; Spiritus enim volatilis oleum & sal volatile introducit, & familiaris est illarum usus, si gossipium eâ imprægnetur, naribusque admoveatur. Maximè infecti aëris tempore vivificat & confortat Spiritus, cor à corrupto aëre & contagiosis vaporibus præservat. In conclavibus etiam comprehensum aërem corrigit & reficit, si vitrum apertum aëri exponatur, unde subtilis Essentia indesinenter in aërem diffundi, & suavem odorem conclavi conciliare possit. Ita ut quicquid in conclavi jam existit, aut in illud intrat, amicabili odore recreetur, neque cari sunt precii, si quis rectè parare noverit, & enchiresi

non

non careat. Hæc autem, quam dixi, Methodus illis tantummodo herbis inſervit, quæ recentes & in copia haberi poſſunt, non item exoticis, ſiccis aromatibus, lignis, ſeminibus aut radicibus, quæ aliam viam requirunt, ut ſequitur.

Cum extranea beneolentia vegetabilia non ubivis in promptu ſint, ſicut domeſtica, parcius cum ipſis agendum, hac nimirum ratione: pulveriſentur illa, ſingulisque libris affundantur quinque aut ſex libræ aquæ communis, macerentur ad triduum vel quatriduum in loco tepido (ſive ſit radix, lignum, herba aut ſemen vel ſimile,) poſtea indantur veſicæ & diſtillando, juxta artem avocetur aliqua pars aquæ, & cum illa ſimul prodibit ligni aut fructus illius oleum, ab aqua ſeparandum & cuſtodiendum, quouſque ſpiritum & ſal volatile etiam poſſideas, cum oleo conjungenda, inque ſuavem Eſſentiam convertenda: Aquam cum vegetabili reſiduam è veſica exime, ligneoque vaſi inde, addendo aquam quæ ex veſica prodiit, tot ſacchari libras addendo, quot vegetabile ponderavit. Saccharo in aqua ſoluto admiſce fermentum cereviſiale recens, ſtent

in

in loco tepido, & fermentabit aroma non ſecus ac recens herba, poſtquam fermentare deſiit, pone in veſicam & dabit de ſe ſpiritum ſuum, ſicuti recens herba, ſeminis aut ligni illius quæ diſtillaſti, ſaporem & odorem fortiter redolentem, quem rectificari oportet, ut ſupra docui: reſiduum in cinerem comburendum, ſal extrahendum, ſpirituſque ab eo deſtillandus, quo cum oleum juxta pondus ſupra dictum conjungatur.

NB. Quoniam autem exotica aromata vix unâ vice in tanta copia deſtillantur, ſal ut ex reſiduo extrahi poſſit, integrum eſto alius herbæ ſale loco illius uti, aut in defectu ejus ſalem tartari ſummè depuratum pro ſuccedaneo adhibere licet; præſtat tamen proprio ſale uti, ſicuti haberi poteſt.

Hæc eſt vera, & genuina deſcriptio, qua ratione Eſſentiæ tam ex noſtratibus recentibus, quam externis & aridis vegetabilibus parari debeant, ſupereſt tantum, ut præparatarum Eſſentiarum virtus & efficacia deſcribatur, quod & præſtare poſſem, niſi nimis prolixum foret, ſingularum herbarum virtutes & efficaciam deſcribe-

ſcribere, cum itaque ejus pleni jam exſtent libri, ſuperfluum exiſtimo eadem repetere, ſed benevolum lectorem in ejuſmodi herbaria, quæ de viribus herbarum tractant, remitto. Nam quibuſcunque herba virtutibus pollet, ſive viridis ea ſit ſive ſicca, eaſdem poſſidet ipſius Eſſentia, ſed multo excellentius, utpote in anguſtum redacta, adeoque multiplicata, quam alias bona pars herbæ præſertim noſtratis, quæ in Germania provenit, in quibus virtus latè diſperſa eſt, eoque conſultiùs in anguſtum ut colligatur, quò commodius adhiberi poſſit. Ad hoc albo calculo notanda venit vegetabilium ſignatura, per quam omnium herbarum virtutes longe meliùs inveſtigare poſſumus, quam per lectionem hinc inde corraſorum librorum, neque ſemper in veterum ſcriptis acquieſcendum, quibus non minus incognitum manſit, quicquid Deus per naturam ipſos non docuit, qui Scientiarum Magiſter à vero nunquam aberrat, & cui tuto fidere nunquam non licet. O utinam ipſius ſcripta & ſigna, per quæ nobiſcum loquitur, ſaltem legere & intelligere poſſemus, non opus nobis foret tot ſeductoribus

libris,

libris, quis Mosen, Danielem, Josephum, Salomonem multosque prætereà Philosophos, ad tantum sapientiæ & artis fastigium evexit; nemo nisi Deus qui etiamnum vivit, & quovis tempore facile potest quod unquam potuit. Quis enim de eo dubitare possit, quando Deus aliquem irradiare & suis donis beare cupit, non utitur ad hanc rem libris, ex quibus illum instituat, neque cum eo disputat aut controvertit: Hunc Magistrum quærere & ab ipso discere deberemus, non ex eleganter conscriptis Arabicis, Græcis & Latinis libris, sed nunc, eò superbiæ & erroris Mundus prolapsus est, ut credere & comprehendere nequeat, quenquam extra scholas quicquam addiscere posse, cùm omnium expertissimi & celeberrimi viri, qui unquam in Mundo vixerunt, ad præclarum illud naturæ lumen absque Scholarum usu pervenerint, & quod scripserunt, non etiam in peregrina sed vernacula sua lingua consignarunt, quod satis superque constat. Hodie vero dicunt, unde huic intelligentia in scholis non enutrito? A juventute illum novi, quod nihil habuerit. Vah sapientiam! An tu plus quàm

ego tecum in mundum attulisti? Annon æque nudus infans natus es ac ego, & quod unusquisque jam habet, an id hæreditario jure à parentibus accepit? An non purum Dei donum est, sive multum sive exiguum sit? Ars non in varietate peregrinarum linguarum sed in experientiá consistit. Artis est, varias intelligere & loqui linguas, alia ars est, cursum Solis, Lunæ, stellarum calculare, temporum & tempestatum mutationes ex illis prædicere, alia iterum ars est omnium vegetabilium naturam, proprietates, virtutem & efficaciam, partim ad conservationem vitæ humanæ, partim ad declinandos accidentales morbos præparare, & purificare, & pro utilitatis ratione adhibere nosse. Alia insuper ars est mirabilium creaturarum Dei & fructuum terræ, uti sunt plurima rara mineralium & metallorum genera ad usum hominum (ad quem finem à Deo creata sunt, quibus etiam carere non possumus,) ex terra eruere, per ignem depurare, ex una forma in aliam & meliorem transmutare, eorumque omnium & singulorum scientiam, intelligentiam & experientiam habere. Alia adhuc ars est,

Histo-

Historiam, aut diu præteritam figuram variis coloribus in pannum, chartam vel parietem conjicere & ad vivum depingere, non secus quam si quod factum & præteritum jam est, adhuc præsens foret, & præ oculis conspiceretur.

Harum & similium artium, & scientiarum variæ in mundo existunt, quæ omnes à Deo in humani generis utilitatem & servitium nobis infusæ, ab omnibus meritò in honore habendæ neque tam temere ab ignorantibus irridendæ & vilipendendæ, idque tantummodo magni æstimandum, quod unusquisque intelligit, dum interim alterius dona, quæ ipse nec habet, nec intelligit, contemnit & rejicit. Deus sua dona varie distribuit, uni ad hanc, alteri ad illam artem animum inclinat, nemini autem omnia tribuit, idque ideo, ne quisquam super alium se extollat & pluris æstimet si cuncta sciret, sed ut unusquisque alteri donis & scientiis juxta S. Apostoli Pauli admonitionem (tanquam ejusdem corporis membrum) succurrere debeat & possit. Nam in Microcosmo homine non omnia manus, non omnia pes, non omnia caput, oculus, nasus,

os & auris ſunt. Sed unicuique membro ſuum incumbit officium, & cum unum quodque, quod ſuum eſt exſequitur, tunc homo tanquam Microcoſmus benè regitur & conſervatur. Eadem in Macrocoſmo deberet eſſe ratio, ut unuſquiſque quod ſuum eſt curet, ad quod nimirum creatus eſt, reliquum in ſuo loco relinquens. Multis inutilibus contentionibus non foret locus, unitas autem in Mundo obtineret. Hoc tamen diabolus tanquam artifex & author contentionis & litis ferre non poteſt, ſed quicquid in ſe eſt, ſua membra quibus ille imperat incitat & inducit, ut ex faſtu, ambitione, proprio commodo, meram & puram ſimplicitatem & innocentiam coram ſe tolerare nequeant, ſed ipſam odiſſe, deſpicere, & falſò impugnare ſatagant. Quæ hujus mundi praxis eſt, quam nemo mutare poteſt, donec Creator omnium tandem aliquando pios benigne liberatum, impios autem punitum venerit. Ubi unicuique juxta merita ſua retributio fiet. Interea tamen evidens Dei vindicta non cunctatur, ſed in hoc etiam mundo admonet & caſtigat, ita quidem ut hinc inde

tales

tales invidiosi & superbi contemptores & irrisores artis & vetitatis prostrati inveniantur. Itaque qui stat, videat ne cadat. Deus qui jústus est, extollit humiles & deprimit superbos.

Quod ad Signaturam herbarum attinet, per quam nos Deus earundem occultas vires docet, multa dicenda forent, & optandum ut talis cognitio ab omnibus illis qui Medicinam tractant, ex illaque victum quærunt, expeteretur, non opus foret tam multorum peregrinorum & domesticorum scriptorum libris caput torquere, ubi unus hoc, alter contrarium statuit, semperque dubii manemus cui parti nos addicere præstet aut fides habenda sit, sed ex ipsa signatura certitudinem & veritatem facile invenire, ab errore discernere, & in omni praxi tutius versari, imò cum tempore, Deo id permittente, in statum longe meliorem devenire liceret. Atque hic in memoriam revocandum venit, signaturam herbarum vires suas Medico ostendere, non libros tantum, qui magis in avia quam in veritatis semitam ducunt. Hicque commodus locus foret, de signaturis vegetabilium

tractare, quia tamen peculiarem libellum de illis conscripsi, mox Deo volente in lucem edendum, benevolus lector tantillam moram boni consulat, illumque expectet, ubi mira & hucusque inaudita reperiet.

Ut autem in hac prima parte aliqua saltem ejus vestigia appareant, qua nimirum ratione morbis per Essentias, quas supra descripsi, obviam eundum sit, non potui, quin contra præcipuos & maxime notos morbos aliqua specifica recenserem, quæ certissima experientia mihi comprobata sunt. Nimirum in Podagra Helleborum, & inprimis helleborastum (quæ species est hellebori,) Nicotiana Germanorum, & Tabacum occidentalium Indorum singulare specificum sunt & in omnibus podagricis doloribus maximum lenimentum & juvamen. Qua ratione autem helleborus & nicotiana in ejusmodi morbis adhiberi debeant, Medicum scire & intelligere oportet. In calculo commendo Essentiam seminis fraxini, quæ præ omnibus saxifragis & diureticis medicamentis palmam meretur. Plurimi siquidem ea ipsâ medicina liberati & in

in integrum reſtituti ſunt, qui multos annos decubuerant, adeo ut poſt illorum mortem neque in renibus neque in veſica ne minimum quidem ejus veſtigium per anatomen inventum ſit, cum tamen antequam hac medicina uſi eſſent, quotidiè ferè calculum multo dolore exonerarint. Hoc ſpecificum ex ſemine fraxini conficitur, quod in autumno matureſcit, prius illud comminuendo perque veſicam cum aqua deſtillando, oleum ab aqua ſeparando, cum ſaccharo in morſchellos redigendo ad quotidianum uſum. Integer autem ſaccus quantum homo bajulare poteſt, vix unam aut alteram unciam olei exhibet, cujus olei unica uncia duabus ſacchari libris ſufficit. Major enim ejus quantitas ſaccharum nimis ingratum reddit; oleum enim ex ſemine fraxini valde injucundum & nauſeabundum eſt, ita ut facile vomitum moveat, ſi nimium ſumatur, alioquin mira in hoc caſu præſtat. Quodſi autem ex reſiduo mediante fermento ſpiritus diſtilletur, poſt ejus concentrationem ſal fixum ex cineribus extrahatur, cumque oleo uniatur, tum præſto erit perfecta Medicina

ſummumque in calculo ſpecificum. Cum in prima hac parte de vegetabilibus tantummodo tractetur, opportunum non eſt animalia & mineralia medicamenta hic intermiſcere; in ſecunda autem parte de Animalibus aliquid manifeſtabitur, quod calculoſos & podagricos humores efficaciter educat. Ita ut talis ægri urina poſt hujus medicinæ uſum ad ignem calefacta inſtar caſei aut lactis vaccini coaguletur, in modum calcis vivæ naturalis, quæ ex lapidibus facta. Inter Mineralia etiam unum eſt, quod calculum & podagricos humores efficaciter pellit, de quo etiam ſuo loco in tertia nimirum parte dicetur. In quibuſvis internis hepatis & lienis affectibus, ut & in omni ſanguine concreto, ſive ex contuſione, caſu aut aliter ortis, ſummum locum obtinet Eſſentia Hypericonis, quæ omnes dolores abigit, concretum ſanguinem reſolvit, & noxio affectui medetur, niſi malum nimis ſit inveteratum.

In uterinis mulierum affectibus quando uterus refriguit locoque ſuo motus vel aliàs læſus eſt, quod multos difficiles & chronicos morbos mulieribus cauſatur, Eſſentiæ Nicotianæ, Tabaci & Hyoſciami

mi per ſpongiam ex inſtrumento uterino applicatæ, certiſſimum remedium lenitivum exiſtunt. Matricem in locum & quietem ſuam reſtituunt, omneſque ejus infirmitates ſanant. In debilibus, decrepitis & enervatis hominibus mirum quid vera roſarum & cinamomi Eſſentia non præſtet, ſæpius aſſumta, confortat cor & cerebrum præ cunctis aliis medicamentis, ita autem hujuſmodi Eſſentia præparata inque anguſtum concentrata eſſe debet, ut una aut altera gutta ſive linguæ impoſita ſive naribus admota totum corpus virtute ſua corroboret, & circumſtantes ſuavem odorem non ſatis mirari poſſint. N B. Si cui talem Eſſentiam parare animus ſit, oportet ut vero roſarum oleo prius inſtructus ſit, quod ex calicibus quibus flavi flores adhuc inſunt, & non ex ligno rhodio deſtillatum eſt, ex aqua tantummodo elicitum, (fermentatione non adhibita priuſquam oleum ablatum ſit,) poſtea cum recenti fermento fermentationi demandetur, quò ſpiritus inde elici poſſit, abſque hac methodo nihil efficies, ratio hæc eſt, quia poſt fermentationem oleum tanquam optimum & efficaciſſimum cum

ſpiritu miſcetur & unitur, lateque diffunditur, ut poſtea ægrè iterum concentrari poſſit. Quid attinet plura commemorare de virtute & efficacia vegetabilium Eſſentiarum, cum jam ſatis nota ſit herbarum natura & virtus, illud tamen fateri cogor, me per vitam non vidiſſe quicquam factum, quod ſuavius, amicabilius & efficacius fuerit his ipſis ex vegetabilibus. Juxta deſcriptionem hanc meam ritè præparatis Eſſentiis, vix illarum odore ſatiamur, quando ex beneolentibus herbis, utpote roſis, violis, caryophillis, meliſſa, chamomillo, pulegio & aliis conſimilibus paratæ ſunt. Poſſunt etiam ex odoris gummatibus hujuſmodi eſſentiæ parari, cum per ſpiritum ſatis illorum oleum propellitur, ne empyreuma ſapiant, & injucunda fiant, ea tamen lege, ut beneolentem ſpiritum alcoliſatum alius herbæ, cujus odor huic non ſit abſimilis, adhibeas, eo quod gummata ſpiritum non exhibent, inprimis aſſa dulcis ſive Benzoin, ſtorax, maſtix, camphora, ſuccinum & hujuſmodi, poſſunt etiam zibettum, moſchus, & ambra, per ſpiritum alcoliſatum in præclaras, & pelluci-

lucidas Eſſentias redigi, longè jucundiores vulgari moſcho, ambra & zibetto, ſal enim volatile in ſpiritu contentum, corpus efficit volatile & ſpirituale, ita ut ad aperturam vitri cui talis eſſentia ineſt, totum conclave ſuavi odore repleatur, de quo in ſecunda proximè ſequente parte plura, ubi docebitur, qua ratione ex noſtratibus Germaniæ animalculis ſuavis odor zibetto non abſimilis extrahi poſſit. Quid plura dicam? ſatis mihi feciſſe videor, hoc qui non intelligit, multo minus ſi his ſubtiliora deſcriberentur, intelligeret, quod equidem præſtare, viamque præparandarum Eſſentiarum longè compendioſiorem indicare poſſem, interim hoc ipſum nimium fortè eſt, conſiderata mundi ingratitudine: quod ſi quibus hoc carpere placet, dent prius his meliora, à quo tamen procul dubio ſibi cavebunt. Nam qui intelligentia præditus eſt, is etiam intelligit, alterius operam & diligentiam minimè vituperandam eſſe, nimirum veritas manebit veritas, utcunque injuriis expoſita. Quemadmodum autem dictum eſt, quod ex jucundis & beneolentibus vegetabilibus bonæ & efficaces

Eſſen-

Eſſentiæ præparari poſſint. Ita & conſimili ratione itidem ex maleolentibus vegetabilibus & animalibus, quæ ſuum etiam uſum & commodum præſtant, utpote in ſuffocatione matricis, ubi plerumque quæ ſummè fœtent naribus mulierum adhibentur, ut per graveolentiam uteri aſcenſum impediant & reprimant. Quod etiam nonnunquam ex voto ſuccedit, qualia ſunt aſſa fœtida, caſtoreum, incenſus pannus, pennæ & ſimilia, quæ peſſimum odorem præbent, quod ſi autem non præparatum corpus in quo odor latè diſperſus eſt, notabilem tamen operationem præſtat, quid futurum exiſtimas, ſi tam maleolentium oleum cum ſimili ſpiritu volatili alcoliſato conjungeretur; Non dico decies ſed vel vigeſies aut trigeſies plus effecerit quam crudum corpus. Inter omnia autem fœtida & male olentia quæ tamen naturæ inimica non ſunt, hæc ipſa reperi, nimirum oleum tartari nigrum, quod per deſtillationem elicitum eſt, nec non quod ex hircorum cornibus, porcorum unguibus, avium plumis, omniumque animalium crinibus deſtillatum eſt, quæ

omnia

omnia & ſingula ſupra modum male olent, nec homini tamen nocent, quemadmodum illa fœtida quæ ex putredine proveniunt, uti ſunt mortua animalia, piſces, ova putrida & ſimilia, quorum fœtor ſpiritui vitali prorſus inimicus, interitum ipſi minatur, quo quantum fieri poteſt, quiſque ſive caveat. Nam cor, cerebrum & totum corpus eo inficitur & debilitatur. Quæ autem ratio ſit, cur graveolentia olea ex animalium cornibus, crinibus & unguibus hoc ipſum non præſtent, in ſequente ſecunda parte dicetur, ubi de animalibus, & quod de illis ad Medicinam uſurpari poteſt, tractabimus. Hiſce primæ Pharmacopœæ Spagyricæ meæ parti finem imponam, lectoremque admonitum volo, ut, ſicubi hac mea Eſſentiarum deſcriptione uti velit, bene diſpiciat, à quonam illa confecta ſit, neque unicuique fidat, qui vix prima artis limina ſalutaverit, & nihilominus medicamenta conficere aliiſque propinare audet, ſub hoc enim nomine magna fraus exercebitur, nimirum quidam proprii lucri gratia tantum operæ & ſumptuum non ſunt adhibituri, ex bonis & recenti-
bus

bus herbis ut Eſſentias conficiant, ſed omnia corraſuri, ut aliquid ſaltem proferant, quod herbæ odorem & ſaporem quomodocunque referat. Et quamquam tales Eſſentiæ ex optimis quibuſque vegetabilibus præparatæ forent, proprii autem commodi cauſa in majori, quam par ſit, quantitate ſpiritus adhiberetur, id quod facillime fieri poteſt, ſi nimirum ad unam partem olei, 5. 8. 10. 12. partes ſpiritus ſumerentur, eo quod hic facilius comparari poſſit quam oleum, (cum tamen juxta meum præſcriptum duæ tresve ſolummodo partes ſumendæ ſint) facile conjici poteſt, hujuſmodi Eſſentias eò minori efficacia præditas fore: ſumma enim virtus in oleo conſiſtit, quod per ſpiritum alcoliſatum volatile & penetrabile factum, introducitur. Nec vero alius etiam abuſus hic locum non habet, quum quis labori parcens olea non ipſe conficit, ſed vili precio ea ab aromatariis (quæ quandoque temporis tractu ſubtiliſſimam ſui partem exhalarunt, tenacia & rancida facta ſunt) uſurpare nititur, ex quo laudabile nihil fieri poteſt, ut cuivis patet. Et poſito, recentia olea nec haberi nec pro-

pria

pria manu parari posse ob defectum commoditatis, possunt tamen olea utcunque inveterata & tenacia usui inservire, modo per spiritum salis ex retorta prius distillentur & rectificentur, tunc clara prodeunt, & apta fiunt, ut spiritus alcolisatus ea solvere possit, quod antiqua alias olea non patiuntur, idque ideo monendum fuit, ne, qui bona medicina se potiri existimat, culpam mihi imputet, aut essentiæ vitio vertat, exspectationi autem effectus non respondeat, is sicuti meis medicamentis hactenus accidit & etiamnum quotidie usu venit, quod plurimi diversis in locis falsò præ se ferunt, ac si secretorum meorum essent conscii, quod tamen falsum est & diabolica impostura, propinant aliis inutilia sua medicamina, pro meis venditantes, & in primis Panacæam meam & tincturam Antimonii, quæ tamen cum mea nihil habet commercii, & quod magis est, affirmare non verentur, talia medicamenta per menstruum meum Universale, (quod tamen nec intelligunt nec usurpare norunt) facta esse, quoniam autem hujus menstrui mentio incidit, aliquid de illo dicendum venit, quid nimirum

rum per illud intelligatur, cùm tam varia de eo ſint judicia. Maxima pars exiſtimat, quod Alkaheſt ſit aqua ſubtilis ſive per inſtrumenta ex aëre attracta ſive alias per ſubtiles diſtillationes parata, in quo tamen errant, cum interim non negem efficacem etiam aquam non tantum ex aëre ſed ex intenſiſſimo etiam Solis lumine elici poſſe, qualia & ego ipſe aliquando paravi, hoc autem humido-ſiccum menſtruum, quod *Alkaheſt* nomino, nil niſi ſal terræ eſt, tam in liquida quàm ſicca forma uſurpandum, quod & ipſius etymon præ ſe fert, ſi recte inſpicitur & legitur, nimirum *Alkali* & *eſt*. Nam vocabulum *Alkaheſt* ex duobus vocabulis eſt compoſitum, ex *Akali* & *eſt*, ubi *l* & *i* per tranſverſam lineam in unum coaluerunt, literamque *h* conſtituerunt, & legitur jam *Alkaheſt*, dempta autem tranſverſa linea legitur *Alcali eſt* : ex quo cuilibet manifeſtum fit, quod nomen iſtud huic menſtruo temerè non impoſuerim, ſed eo ipſo ſubjectum aperte nominaverim. Hac ipſa de cauſa conſultum foret judicium ſuſpendere, nec tam facile ſententiam dicere, de eo quod penitus cognitum non

habe-

habeas, potiùs cogita quis ſcit an forte rem perſpectam habeo, fortaſſe temere quid dixero, quod facile refutari poſſit, quod quidem hic fieri videmus. Varii enim de hoc menſtruo fuerunt diſcurſus, acſi immeritò tam celebre nomen ipſi affinxiſſem, eò quòd ex ſale tantùm ortum ducat, ſubtilis autem Aqua ſit Alkaheſt; hic autem apparet, quod alienum nomen ipſi non tribuerim, ſed proprio ſuo nomine inſigniverim, quod in contendentium gratiam (ne impoſterum de nomine amplius controverſia eſſet) indicandum fuit. Quomodo autem ad illa ſecreta, quæ in Miraculo mundi continentur, uſurpandus ſit, non eſt hujus loci. Suffecerit benevolum lectorem denuò atque iterum certiorem reddidiſſe, quod omnia & ſingula quæ ibi dicta ſunt, abſque controverſia per hoc unicum ſubjectum (ſal terræ nimirum) præſtari poſſint. Atque ideo, Tractatus iſte jure merito miraculi mundi titulum meretur. Coronidis loco tandem iterum moneo, quod ſi cui videbitur hac mea Eſſentia uti, hæc autem perperam præparata ipſi in manus veniat, culpam in me non rejiciat,

acſi inutilia conſcripſiſſem, ſed in illum potius convertat, qui eam non rite præparavit.

Dubium tamen non eſt, quin cujuſcunque conditionis homines temporis decurſu operam daturi ſint, ut ejuſmodi Eſſentias parari curent, non ſolum tanquam jucundum & efficax medicamentum, verum etiam propter confortativum, penetrativum & ſummè gratum odorem, crudus & frigidus in conclavibus aër non tantummodo temperetur, naturæque acceptus & amicus reddatur, ſed etiam in externis caſibus & morbis pro rei exigentia feliciter adhiberi ac tuto uſurpari poſſit. Uniuſcujuſq; igitur erit diſpicere qua commodiſſimum ratione illa potiatur, præparatio facilis eſt, modò diligentia adhibeatur ejuſmodi eſſentiarum ex omnibus vegetabilibus & aromatibus, quorum in Pharmacopoliis uſus eſt, facili negotio bona quantitas conciliari poteſt. Qui autem commoditate inſtructus eſt, ut illas præparare ipſemet poſſit, ille utique quid habeat omnium optime novit, eique tutò fidere poteſt: inter illas enim magna aliquando deprehendetur differentia, unus illam curioſe pa-

ſeparabit, alter obiter; differentia autem facile apparebit, tam ex efficacia, quam ex ſuaveolentiâ. Nimirum, quæ juxta præſcriptum pondus & proportionem rite paratur eſſentia, illam abſque dubio valde ſubtilem, ſuavem, efficacem, fortiſque tam odoris quam ſaporis eſſe oportet. Secus autem ſi ſit, indicio eſt oleum deficere nimiſque parce additum fuiſſe, & pro rite præparata eſſentia æſtimari nequit. N B. Quæ autem de odore & ſapore hic dicta ſunt, quam eſſentiæ habere debeant, de beneolentibus duntaxat Vegetabilibus intelligenda veniunt, qualia ſunt roſæ, majorana, roſmarinus, violæ, chamomilli, ex his paratæ eſſentiæ merito efficaces & bene olentes eſſe oportet. Quæ autem eſſentiæ ex ejuſmodi vegetabilibus parantur, quæ inſigni odore deſtituta ſunt, nec eſſentiæ etiam ex illis paratæ plus odoris præſtare poſſunt, quam vegetabile habuit, modò præſentaneam efficaciam nihilominus exhibeant. Exempli gratia: Eſſentia vini quæ præ omnibus confortantibus primum locum facile obtinet, inſigni tamen odore deſtituta eſt, nec alium forte refert, quam flos vitis

in vere: itaque intra corpus ſumpta vires ſuas exerit, non autem per odorem quemadmodum & ipſum vinum non tam odore ſuo quam intra corpus ſumptum operatur.

Huc pertinet doctrina qua ratione ad hanc eſſentiam perveniendum ſit, cum ea non paretur ad conſimilem modum, quem de vegetabilibus in genere tradidi, idque ideo quod jucundum vini oleum, abſque quo nulla eſſentia parari poteſt, comparatu difficile ſit, ejus itaque parandi rationem etiam docebo, ſed in debilium & decrepitorum ſenum nec non pauperum tantummodo gratiam, non autem naſutulis & indignis irriſoribus hæc ſcribo; jamdum enim cognitum habeo, quod nonnemo poſtquam hunc libellum legerit, præ Philautia dicturus ſit, hoc mihi novum non eſt, hoc ante complures annos ſcivi, Glauberus hoc de ſuo non profert, ſed aliunde habet ex antiquo forte libro conquiſitum; qui ita de me ſentit non alia de cauſa hoc profert, quam ut odio & invidia ductus mihi ſcriptiſque meis detrahat, hujuſmodi invidioſis hominibus reſpondeo, quod mihi non conſtet; utrum aliquis hoc

aut

aut illud ſecretum, cujus in ſcriptis meis mentionem facio, vel antehac habuerit vel etiamnum habeat. Fieri poteſt, quod talia ſecreta ante centenos etiam annos extiterint, & etiamnum apud quoſdam (me inſcio) in uſu ſint, id mea nihil refert: quod autem eorum ſecretorum, quorum in Miraculo mundi aut aliis meis in lucem editis ſcriptis mentio fit, vel unicum ſaltem nedum plura aut omnia juxta invidorum meorum effatum, vel ab alio vel ex antiquis libris mutuatus ſim, manifeſtè falſum eſt, ſed per multa tentamina, multis ſumptibus, opera & labore, ea quærendo per DEI gratiam ſum adeptus. Quod cum mihi invideant, talia de me mendacia clanculum ſpargunt, quod brevi DEO dante demonſtrabitur. Poſito autem, me quæcunque ſcripſi ab aliis aut ex antiquis libris hauſiſſe, an ideo plus minuſve profutura ſunt, quam ſi mea eſſent, an non unum idemque eſt modo eximium quid edatur, quis illud ſcribat aut à quo proficiſcatur, modò adſit, & quam plurimis prodeſſe poſſit. Propter hanc invidiam & calumniam quam à malignis ſuſtineo, plurima penes me recondo

quæ in commune commodum edere alioquin cogitavi. Quodſi illud, quod in Miraculo mundi commemoratur, (& nihilominus tam altæ indaginis non eſt quam inexperti putant;) illud tamen comprehendere & credere nequeunt, quomodo crederent ſi iſtis altiora proponerentur? Obtinet ergo vetus proverbium ſecreta ſecretis, ſtulta ſtultis, relinquenda eſſe.

Sequitur proceſſus præparandi ex vino olei, & ex ejuſdem ſale fixo & volatili confortantem & jucundam eſſentiam præparandi. Nemo negabit opinor hucuſque apud neminem, eorum qui vinum diſtillare ſolent, alicujus olei mentionem fieri, præterquam apud illos qui ſcripſerunt, quod vini oleum in tartaro & fecibus quærendum ſit, ſicuti omnibus Chymicis jam ſatis innotuit, quod tam ex ſiccatis vini fecibus quam ex tartaro nigricans oleum diſtillari poſſit, illud autem per hanc procedendi methodum tam ingratum odorem acquirit, ut ideò (quamquam bonis virtutibus præditum) nec intra nec extra in uſu ſit. Equidem non novi, an inter omnia magis fœtens inveniatur illo quod

ex

ex tartaro paratur, quo homines & animalia fugare possis, quia quem de se spargit, odor intolerabilis penè exsistit. Hoc autem cujus hic fit mentio, jucundum & amicum, clarum & perspicuum est, & fit hoc modo: Tempore vindemiæ, quando uvæ exprimuntur, colligatur mustum purum, illud in dolio fermentet, quousque albescat, & maxima fecum pars subsidat, quo facto distillare incipe, & ex ænea vesicâ quæ stanno interius obducta sit, aut alio vase distillatorio Spiritum provoca. Cujus non erit magna quantitas, postquam ille cessavit, aufer à vesica capitellum, & quod superest infunde vitris puris, stet ad aliquot dies, & supernatabit oleum album, interdum etiam fundum petit, quod à musto separatum illud conficiendæ quam supra dixi essentiæ inserviat. Mustum autem à quo spiritus & oleum ablata sunt, cum reliquo musto confundatur, denuò fermentabit & in vinum abibit, quodsi autem artificii istius ignarus sis, fac ex eo acetum. Hæc compendiosissima & facillima est oleum vini præparandi ratio, & tametsi alia præter hanc via mihi innotuit, quomodo etiam extra autumnum

tale oleum haberi poſſit, inconſultum tamen mihi videtur omnia ſimul & ſemel effutire, multis hoc ipſum quod jam docui parare difficile ſatis fuerit, tametſi hic ſatis clarè deſcriptum ſit. Et notatu dignum eſt, ut debitum diſtillandi tempus in hoc labore obſervetur, nimirum quando muſtum eo fermentationis devenit, ut ſapor ejus nec plane dulcis nec plane vinoſus ſed intermedius fiat, quo neglecto culpa mihi non imputetur, quoniam omnia ad amuſſim monui, cum nimis mature diſtillare incipis, antequam muſtum ſatis ſolutum ſit, oleum non porrigit, cum nimium expectas, oleum cum fecibus præcipitatur, nec quicquam obtinebis, itaque omnia debito tempore facienda ſunt. Quomodo autem hoc oleum cum proprio ſpiritu, ſale fixo & volatili in eſſentiam redigendum ſit, ſupra dictum eſt, cui vero uſui illa inſerviat, deſcriptione non indiget. Unicuique enim notum jam eſt, quàm vino inſit vivificans & confortans virtus, quod vinum tamen pauco oleo, (optima vegetabilis parte ut ſupra dictum) præditum eſt, & præterea magna inſipidæ aquæ quantitate tartaroque

crudo

crudo unitum, eſſentia autem cruditatibus iſtis aqua & tartaro nimirum liberata, & in debita proportione puriſſimarum partium, ſive ex tribus principiis ſalis, ſulphuris & Mercurii compoſita, merito quinta eſſentia ſeu anima vini appellari poteſt.

Quiſquis jam eam poſſidet, videbit cui bono ſit, & quomodo uti illa debeat. Mihi quidem illa videtur antidotum contra venena præſtare poſſe. Nam cum antiquitus ſcriptum reperiatur, quod ſerpens aut aliud venenoſum animal in vinetis durare non poſſit, quo tempore vinea floret, oleum autem & eſſentia vini hunc ipſum odorem referat, non malè illam quadrare contagioſis morbis ſanandis.

Hoc circa eſſentias notandum venit, quod non debeant illis muniri quæ ab eſſentia liquefierent, ſed duplici potius veſica, ne ſpiritus volatilis evolare poſſit. Hoc enim ſi fieret, oleum debilitatum ſuum ſpiritum iterum deſereret, & eſſentia corrumperetur.

Et quoniam propoſitum mihi fuit de vegetabilium eſſentiarum præparatione

verba facere, non autem ampliſſimum illorum uſum deſcribere, huic rei jam finem imponam, unicuique permittens, ut ſenſu ſuo ſapiat, nihilominus ſi præſens tempus permiſiſſet, aliquorum ſpecificorum mentionem feciſſem, quod aliàs fortè fiet, illud tantùm dico, in vino plurimum latere, paucis autem notum eſſe, quod ſi quis commemorare vellet, nulli non admirationi futurum ſit. Huc autem non pertinet, ſed ad opus vegetabile, quod (ubi DEUS permiſerit) mox etiam ſequetur; cum vinorum facta ſit mentio, unum quin huic addam facere non poſſum: nimirum adhuc cui uſui herbarum eſſentiæ inſervirent, ſi in Pharmacopoliis illæ ſemper paratæ proſtarent. Nam 1. 2. 3. vel plures guttæ eſſentiarum, cantharo vini pro lubitu injectæ & agitatæ, ut vinum cum eſſentia uniatur, ſtatim dant vinum clarum & jucundum, genium & naturam eſſentiæ injectæ referens, hac ratione ex uno eodemque dolio diverſi generis vina ex tempore exhiberi poſſunt, ad placitum & recreationem hoſpitum, quæ ratio longè præſtat uſitatis jam extractis, quæ vina reddunt turbida, hæc autem relin-

linquit clara. Non opus itaq; fuerit diverſa in ſingulis doliis vina cellæ committere, ubi ſucceſſive ſingula deficiant, niſi continue repleta conſerventur, ſed unicum tantummodo dolium variis vinorum generibus pro lubitu ſufficit, quod ſecretum valdè utile eſt pro magnatibus & aliis, quibus incumbit varia quandoque exhibere vina. Multis in uſu eſt mane jejuno ſtomacho hauſtus vini medicati ad præſervationem à noxio aëre ad roborandum debilem ſtomachum, ſi habere poſſent: quod ſi illo utendum ſit, quod ex vini reliquiis & vappa, vulgò conficitur, illud virtute caret, pluſque damni quam emolumenti affert. Habitis autem herbarum eſſentiis illis generoſum vinum inficere, vinumque medicatum conficere facile fuerit, hac ratione certus eſſe potes, quod vinum habeas ſanum, ex vappa aut ſtillicidiis non confectum, quo ad conficienda vina medicata vulgò utuntur, ex quo ſæpenumero tormina & alia incommoda exiſtunt; illud verò quod ex generoſo vino & bene præparata Eſſentia compoſitum eſt, ſalubris vini medicati nomen meretur. Hiſce primæ Pharmacopœæ

Spa-

Spagyricæ parti coronidem imponam: benevolumque lectorem rogatum volo, ut laborem, diligentiam & intentionem boni consulat & interpretetur. In duabus subsequentibus partibus, DEO volente plura de bonis medicamentis tractabuntur. Finis Primæ Partis.

Commonefactio ad lectorem.

Coronidis loco facere non potui, quin porrò lectori indicarem, quod in animo habeam Miraculum mundi (quod hucusque multos offendit & tanquam impossibile judicarunt,) non tantum proximè explicare atque comprobare, sed & alia quam plurima secreta edere, eum tantum in finem, ut nunc & inposterum interrogationibus & literis quibus subinde me fatigare consuerunt, omnis occasio præcidatur; quia plane constitui mecum, tam Medicinæ quàm Alchymiæ tandem aliquando valedicere, & exiguum temporis, quod mihi DEUS reliquum concesserit, ad DEI honorem in tranquillitate & quiete transigere; si quis artificium examinandi & fundendi mineras quærit, ille mea & aliorum scripta legat, medi-

medicamenta autem aut ipſe paret, aut ab illis, quibus fidere poſſit, præparata ſibi comparet; horum enim apud me nemo quicquam inveniet, vel propter unicam fraudem, qua nonnulli utuntur, qui ſub meo nomine talia medicamenta aliis ſubſtituunt mihique hac ratione moleſtiam creant.

FINIS.



Pharmacopœæ Spagyricæ

PARS SECUNDA.

De Vegetabilium, Animalium, & Mineralium præparatione, per Solvens Universale.

In quâ

Clarè demonstratur; & exactè describitur, quod Nitrum sit verum Solvens Universale, & quomodo omnia Vegetabilia, Animalia, & Mineralia eodem solvantur, corrigantur, & venenosa, ac noxia eorundem proprietas in salubria medicamenta contrà multorum ignorantium opinionem mutetur.

Veritatem testandi, & proximo inserviendi causa sincero animo in lucem edita

à

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
M. DC. LVI.

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM LECTOREM.

QUa de causâ Pharmacopœæ Spagyricæ pars hæc de Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus secunda, maturius in lucem non prodierit, Lector Benevolus facili conjectura providebit, si judicii sui sinceri lance perpenderit, quantas turbas scriptis meis hactenus editis mihi concitaverim, & quàm prægnantes ideo causas habeam, ut à scriptione ejusmodi imposterum abstineam, & meipsum laboribus & molestiis, commodo aliis, mihi autèm damno futuris, posthac non onerem.


Quoniam autem illa undiquè ab iis, qui tantæ rei desiderio flagrant, studiosa inquisitione expetita fuit, & plurimi adhuc eam summa contentione requirunt,

ægrorum causâ eam diutius non ſupprimere, ſed, ut communi Bono, ac inprimis humano generi morbis infinitis cruciato, & remediorum penuria laboranti inſervirem, in publicum emittere volui; non quidem prolixè, ut conſtitueram, ſed quam breviſſime fieri potuit, ac quatenus tantum Menſtruum, vel Solvens Univerſale concernit. Atque id ea de cauſa, quod jam imperiti & craſſi homines multis ſuggillationibus Miraculum Mundi à me editum roſerint, ac ferè nemo comprehendere ac credere voluerit, quod in Nitro, creatura Dei tàm Nobili, verum Solvens Univerſale inveniri queat. Ac quamvis in tractatu dicto, cui Miraculum Mundi titulus, omnia puncta, quæ continet, articulatim declarando ob oculos poſuerim, reique poſſibilitatem apertè demonſtraverim, hactenus tamen parum profeci, adeò ut

nulla lucis tam apertæ habita ratione plurimi Thomæ increduli, & veritatis oppugnatores ſe mihi opponere conati ſint. Quanquam autem illos uſque deque habere, ac cuivis ſuam opinionem relinquere, Veritatique ſui ipſius tutelam permittere potuiſſem; Neceſſaria tamen remedia, & auxilium, quo miſeri ægri maxime egent, facilè nihilominus iſto medio comparanda, anſam mihi & occaſionem præbent, ut ſcriptis meis iterum prodeam, & clarius, quam huc uſque feci, omnia detegendo in commune conſulam. Nulla alia quam ægrorum cauſa negotium hoc ſuſcepi, ut verum Solvens Univerſale, ejuſque in Medicina uſum nobiliſſimum aliquantò clarius deſcriberem, & uniuſcujuſque oculis ſubjicerem, quam rudis, ignarus & hoſpes in luce Naturæ ſit præſens hic mundus, & quanta aſtutia & impoſtura in te-

 nebris

nebris vivat, & versetur, nihilque aliud conetur, quàm ut lucem illam Naturæ clarissimam extinguat. Spes me tenet, inventum iri, qui relictâ pertinacis sui cerebri contumacia veritatem plurimorum ægrorum emolumento, & solatio arrepturi sint. Ut hoc fiat, Lux illa æterna, Deus noster Omnipotens, gratiam & benedictionem suam largiatur.



Pharmacopœæ Spagyricæ

PARS SECUNDA.

De Vegetabilium, Animalium & Mineralium præparatione per Solvens Univerſale.

Quid Animalia ſint, & quid iis intelligatur.

ANimalium voce hîc omnia ea intelligenda, quæ vitâ & motu vitali fruuntur, ut ſunt homines, omnis generis bruta, vermes, & inſecta in & ſupra terram, piſces in aquâ, aves in aëre, & omnes creaturæ, quæ ſe movere poſſunt, & viſibilis vitæ participes ſunt. Inter has animales creaturas hoc diſcrimen tenendum, quod aliæ medicinali uſui inſerviant, aliæ verò ad medicinam ineptæ ſint. Omnia enim animalia, quæ humanum genus nutriunt, corpuſque alunt, non medicandi ſed nutriendi vim habent, adeò ut ex illis medicamenta morbis reſiſtentia parari nequeant. Nam licet ex animalibus nonnullis, bobus, puta, ovibus, capris, hircis, gallinis, & avibus, ac aliis ſimilibus artis beneficio Eſſentia bona extrahi poſſit, ut morbis debilitata corpora reſtaurent, & roborent, ut in meo de arte culinaria libello videre

eſt; labor tamen iſte ad culinam potius ac coquos, quàm ad Pharmacopœos ablegandus eſt. Itaque in hoc tractatu de nulla alia re agetur, quàm de animalibus ejuſmodi, quæ corpus humanum non nutriunt, ſed comeſta, aut quovis modo ventrem aut alias humani corporis partes ingredientia veneno ſuo maximè nocent. Sed per Spagyricam artem inverſa, optima medicamenta evadunt, & ſine emendatione illa venenata & noxia manent. Talia ſunt viperæ, ſerpentes, bufones, ſcorpiones, araneæ, & alia venenata inſecta, quæ veneno ſuo ſpoliata, aut per artem mutata penetrantis efficaciæ medicamenta evadunt. Serpens quidem & bufo, ſimiliaque animalia venenata, communi aqua tantummodo decocta, veneno ſuo nudari, ac ſine ullo damno comedi poſſunt, cum venenum ipſorum non in carne, ſed in ſpiritu conſiſtat, & ſola decoctione evaneſcat. Exempla plurima hoc confirmant, quandoquidem in propatulo eſt, anguillarum loco ſæpius ſerpentes coctos, & comeſtos fuiſſe. In Indiâ certe novum non eſt, quod magnis ſerpentibus coctis, cibi loco, populi iſti veſcantur. E contrario alia inveniuntur animalia, ut ſcorpiones, taratantulæ, & ſimilia, quæ ſola decoctione venenum non deponunt, ſed retinent. Si verò ejuſmodi vermibus tam noxio veneno imbutis fortioris efficaciæ aqua, aut liquor addatur, in quo digerantur, venenum ipſorum in antidotum ſalubrem mutatum ipſi veneno reſi-

ſtit,

ſtit, ut poſtea probabitur. Hoc certum eſt, quod Omnipotens Deus ne minimum quidem vermiculum fruſtrà creaverit, qui commodum aliquod afferre non poſſet, quanquam à rudibus hominibus ſuſque deque habeatur, & planè negligatur. Quoniam verò penè cuncti tales vermes, & inſecta ejuſmodi ob venenum ſuum raro ad medicandum adhibentur, ac ferè nemo occultas eorum vires ex ſignatura ipſis à Deo data agnoſcit, aut agnoſcere vult, uſus ipſorum ignotus tenebris occultatus eſt. Imo bene factum eſt, cum venenum tale corrigendi, aut in medicamentum convertendi ratio maximam doctorum partem latuerit, quod ex apothecis uſus eorum ejectus fuerit. Temporis tamen progreſſu ejus generis vermes nonnulli uſum aliquem Medicis obtulerunt. Ejus farinæ ſunt Scorpiones, Cantharides & alii ſimiles. Scorpiones olivarum oleo ſuffocati proprium ſuum venenum domant. Cantharides, lumbrici, millepedes urinæ promovendæ adhibentur, non tamen ſine periculo ob venenum, quo pollent. Auſi nihilominus ſunt homines iis uti, idque ſæpius haud abſque fructu magno. Si verò eorum emendatio innotuiſſet, iique correcti in uſum adhibiti fuiſſent, ſine omni periculo majorem uſurpatoribus honorem conciliaſſent. Omnibus autem correctionis modum ignorantibus, talia animalcula exſiccata, & cruda in pulverem redacta ægris propinabantur, & maximo eorum periculo nonnunquam admirandas

A 5 cura-

curationes efficiebant. Si vermium talium ſignatura probè examinatur, uſuſque ad medicinam addiſcitur,& poſtea ipſi Univerſalis Solventis adjumento convertuntur, ac in medicamentum tutum mutantur, remedia adeò tuta & efficacia evadunt, ut graviſſimos, & opinione aliorum planè incurabiles morbos tollant, & vegetabilium operationes debiles multis modis ſuperent. Etenim Animalia, quæ Deus vita donavit, longè vegetabilibus virium efficacia præſtare, haud difficulter quis crediderit. In meo de Animalium, Vegetabilium, & Mineralium Signatura libello propediem in lucem prodituro mirabilia invenientur, ac præter ſignaturam vires quoque ipſorum tàm notæ, quàm ignotæ & occultæ indicabuntur. In hoc autem tractatu præcipuorum animalculorum ad medicinam adhibendorum, quo pacto Solventis Univerſalis opera emendari, & in optima, & tutiſſima medicamenta redigi poſſint, mentio tantum fiet. Eorum vires, & efficaciam ex aliorum ſcriptorum libris Benevolo Lectori petere integrum erit. Quamvis enim admirabiles in nonnullis vermibus hactenus neglectis vires offenderim, quas etiam in proximi mei commodum deſcripſiſſem, ut mihi illud prolixâ deſcriptione exequi propoſueram, proximi tamen, quem multis ambagibus erroneis circumducere nolo, amor, quo minus id facerem, mihi impedimento fuit. Omnes enim rerum vires in omnibus vegetabilibus & minera-

libus

libus sigillatim dispersæ; cunctæ in uno minerali concentratæ, & perfectè unitæ inveniuntur, ità ut tot vegetabilium, animalium & mineralium medicamentis separatim opus non sit, quò etiam Lectorem benevolum remitto. Ut autem iis quoque satisfiat, qui à medicamentis ex mineralibus petitis abhorrent, & ea tanquam venenum aliquod reformidant, nonnullorum ex præcipuis animalibus ad medicinam idoneis virtus & potestas detegetur.

De Scarabæi tauri, vel lucani, aut cornuti signatura, proprietate, & viribus in medicina.

EX maximis & volantibus scarabæis mihi noti sunt, qui semiunciæ aut unciæ pondus habentes castanearum colorem referunt, sex acutis pedibus rei alicui firmiter adhærent, & duplicatis alis vestiuntur, superiores duræ & læves sunt instar cornu; inferiores admodum tenues, & pellucidæ sicut papaveris folia siccata cernuntur. Mas femellâ plerunque major duobus armatur cornibus, ramis suis cervinorum cornuum figuram exprimentibus, instar cornu duris & lævibus, ac intus sine medullâ cavis, quibus se defendit. In mensa virgulis sæpius verberatus, lacessitus & ad iram provocatus aliorum animalium more in fugam se non conjecit, sed erectis, & divaricatis cornibus hostem suum petit, de injuria sibi illata quasi vin-

dictam sumpturus. Quicquid ipsi porrigitur, cornibus mox arripit, ac tàm firmiter tenet ut ægrè ipsi extorqueri possit. Si quid nimis grave est, eo relicto abit; Sin leve, illud aufert, & ablatum posteà ex cornibus dimittit. Femellæ cornua duo sunt minora & curva, quæ forcipis instar aperta & clausa, quicquid apprehendunt, firmissimè constringunt, si quid porrigatur, cornibus illud, si durum non fuerit, tamdiu constringit, donec cornuum cuspides se mutuò attingant. Cati aut canis alicujus auri appensa mox eam perforat, tàm firmiter adhærens, ut canis adhærentem pedibus amoliri nequeat, &, quid sibi acciderit, nesciens, hinc inde discurrat, & clamando ac ejulando aliorum opem quasi imploret; tanta huic animalculo ira & malitia innata est. Gramine & arborum foliis, ut scarabæi alii, non vescuntur, sed solo mollium resinarum æstivo tempore ex arboribus fruges nucleos habentes ferentibus, quales sunt nuces, cerasi, pruni, mali persicæ, & similes, emanantium succo nutriuntur. His adhærentes resinam emanantem exsugendo vitam sustentant. Verè Martialia hæc animalcula perinde se habent, ac si à natura armis induta, & armata essent. Cornua decerpta quidam secum ferunt, quasi præsidio sibi futura contrà ferarum noxiarum impetus & invasiones, quod superstitiosum judico. Quosdam cum alis in pulverem redacta eadem usurpasse, & ita internos corporis dolores & punctiones sanavisse, ac quartanas curasse,

curaſſe, imò in omnibus febribus collo appendiſſe ſcio, plus tamen commodi allatura arbitror, ſi debito modo præparata intra corpus ſumantur. Quid autem in cæteris partibus corporis præſtare queant, ignoro, nec hactenus comperi, quod ad alium aliquem uſum adhibita ſint. Certo tamen mihi conſtat, ſaluberrimam huic inſecto virtutem ineſſe, quippe quod reſinoſis illis ſuccis vivit & nutritur, qui ex arboribus fructus nucleis præditos ferentibus effluunt, adeò ut Balſamicæ Naturæ totum ejus corpus eſſe cenſeam, ac ex ſignatura ejus judicem, quod omnibus internis & externis læſionibus, à tundendo, feriendo, cædendo, pungendo, & jaculando ortis, cum fructu curandis adhiberi poſſit, ſi prius mea methodo in eſſentiam redactum fuerit. Cornua, & alæ illæ duræ ſeparatim in Magiſterium redigi poſſent per Solvens univerſale ad internum uſum, ac ipſum corpus præparatum tam externè quam internè ad omnes dolores ſedandos admovendum eſſet. Procul dubio pluribus aliis viribus occultis pollet, quæ me & alios fugiunt.

De Scarabæo pilulario.

ALii etiam ſunt Scarabæi in medicina utiles, nigri nempè, & pilularii, in equorum ſtercoribus commorantes, ut & illi, qui in quercubus vivunt, cinerei coloris ſunt, & gratum cibum gallinis præbent, quæ his veſcentes plurima ova pariunt, ſed ab illis abſtinent. An hi poſte-

riores aliquid ad medicinam adjumenti conferre ſoleant, me latet. Ita tamen cum iis comparatum eſt, ut contuſi, & cuti nudæ impoſiti, aut allegati veſicas excitent, quod etiam faciunt, qui roſis & ſambuci floribus inſidentes aurei ſcarabæi appellantur. Uterque hanc poteſtatem internè & externè exercent, ut & Cantharides, ſeu muſcæ illæ virides, quæ Hiſpanicæ nuncupantur, & vehementiſſimè urinam movent. His per artem mutatis ſi venenoſa ſua qualitas adimatur, in podagra, calculo, & aliis gravibus morbis tutò curandis proderunt, & multum commodi afferent. Nigri & pilularii ſcarabæi Martiales ſunt, & ſcarabæis cornutis haud multum diſſimiles. Cinerei Saturninæ naturæ, virides Venereæ, & rubri ac parvi ſolaris participes exiſtunt. Hi ultimi apud Germanos aurei, & Domini Dei aviculæ vocantur, ex quibus nonnulli aurum probum in cineritio ſe expurgaſſe gloriantur, quod mihi veriſimile fieri nequit. Cordis humani roborationem, ſeu Cordiale, ut vocant, in iis occultum eſſe, ſi præparatio aut correctio præceſſerit, haud abnuerim: Crudis, & non emendatis uti haud libenter vellem. Præter enumeratos alia ſpecies eſt ſcarabæorum nigrorum, qui Majo & Junio menſibus gramen perrepentes, priorum mare volare nequeunt, quamvis alas parvas habeant. Tardi admodum in rependo, & manibus impoſiti grave olentem liquorem emittunt, & Maji aviculæ, ac adipis vermes Germanis, Scarabæi unctuoſi

Latinis

Latinis dicuntur. Efficaciſſimè operantes à multis ad graviſſimorum morborum, Podagræ, Calculi, Lepræ, Morbi Gallici, & Hydropis curationem adhibentur, quorum in pulverem redactorum 1. 2. 3. aut plura grana in vehiculo aliquo appropriato propinantur. Vehementiſſimè per vomitum, ſeceſſum & urinam ſordes expellunt, adeò ut urina podagricorum, leproſorum, aut calculo laborantium lactis inſtar coaguletur, aut ſicut lapis, tenax evadat, & dureſcat, quod in admirationem jure aliquem rapere poteſt. Plurimos profectò podagra correptos priſtinæ ſanitati reſtitutos eſſe ſcio, quamvis medicamentum ob vehementiam virium periculo non careat. Sed prius per ſal univerſale correctum tutiſſimè poſtea in dictorum morborum curatione applicari poterit. Wierus Medicus admodum doctus antehac de Arthritide vaga tractatum in lucem edidit, ac hunc vermem Majalem nonnullis dictum ut & lumbricos in curatione ejus mirè commendavit. Nec abs re eſt, quod omnibus cæteris virtute morbis medente præditis vermibus hic noſter longè antecellat. Eum longo intervallo ſequuntur Cantharides, & has cœruleæ muſcæ, quæ nullibi, quàm in cadaveribus reperiuntur. Succedunt muſcæ illæ grandiores apud homines in ædibus commorantes, ac tamdiu ſuſurrando circumvolantes, & quærentes, donec crudam carnem inveniant, cui ſordes ſuas inſtar minimorum ovorum aut lendium immittunt, in vermes ſe unius

diei ſpatio mutantes. Vix ullam creaturam odoratu tàm acuto & ſubtili præditam huic muſcæ reſpondere credo, eaque de cauſa eam in occultis morbis vires ſuas exercituram non dubito: Némini tamen author ſum, ut eas uſurpet, cum homine carnem talium muſcarum ſordibus inquinatam caſu edente, ac excrementa illa in ſtomachum demittente, Natura ipſa eadem tolerare non poſſit, ſed mox tanquam venenum aliquod per vomitum rejiciat. His muſcis Mercurialem naturam aſſigno: Lumbricis etiam vires medicas ineſſe ajo: Fortiter enim urinam, & ſudorem expellunt, ac crudi in uſum adhibiti excrementa movent, & vomitus excitant. Sed ſolventis univerſalis correctione in ſuavem eſſentiam tranſmutatos contrà impotentiam ſpecificum inſigne futuros, ac Venereo ludo feſſos inſigni corroboratione refecturos eſſe confido. Indicio eſt ſignatura, & corporis figura ipſorum, qui modo in longitudinem ſe extendere, modo in brevitatem contrahere, jam in craſſitiem expandere, mox iterum, & quandocunque volunt, extenuare poſſunt, quod nullum aliud animal facere novit. Nec ullum animal ſcio, quod in coitu femellæ tenacius adhæreat, quam hic vermis, quem ſepiſſimè verno tempore, quando terra frigore ſoluto iterum aperta eſt, vidi non ſub terra femellæ ſe jungentem, ſed dimidio corpore ex terra erepentem, & femellæ parti dimidiæ, quæ ex terra quoque emerſit, ſe applicantem, ac tamdiu cum illa laborantem,

donec

donec utriusque corporis omnimoda conjunctio facta est; In quo labore adeo pertinaces sunt hi duo vermes, ut occidi se potius quàm separari patiantur. Labore hoc Venereo peracto in cavernulas suas utraque pars se recipit. Gallinæ magna eorum copia vescentes quotidie ova, & quidem bina nonnunquam pariunt, quam fertilitatem ipsis frumentum nullum conciliabit. Vermis itaque ille terrestris sive lumbricus Venereâ Naturâ & proprietate dotatus est. Præter hos alii etiam sunt vermiculi ad veneream naturam longè procliviores, qui sex pedibus celerrimè currunt, & alas quidem habent sed iis non utuntur. Parvi & lati in muris & equilium ac hararum asseribus putridis magna copia concurrunt, ova sua in muris & lignis deponunt, sereno tantum cœlo se conspiciendos præbent, pluvio & frigido cœlo in latibula sua se recipiunt, sereno in conspectum redeunt, & nullo ordine coëunt. Masculum sibi insidentem femella ire pergens secum provehit, hunc fortior deturbat, & femellam quoque conscendit, ac iterum, ut prior, deturbatus novo equiti locum cedet, adeo ut ludo hoc equestri totus dies consumatur, & femella equitum mutatione indesinenti exerceatur. Cibo aliquo vesci non cernuntur. Eorum aliquot vitro inclusi, vitrumque ità obturavi, ut evadere nequiverint; In ipsa captivitate actui suo Venereo indulserunt, ac tandem, sibi invicem insidentes, fame interire, quam separari maluerunt. Parvi sunt adeò, ut

ipſorum centum ſemiunciæ reſpondeant: Alæ ipſorum rubræ maculis nigris diſtinguuntur. In currendo ſunt celerrimi. In ſcriptoribus nihil quicquam de ipſis invenire potui. Canibus & catis in cibo comedendos dedi, & mirabilia comperi. Gallinæ & aliæ aves ipſis veſci nolunt, quoniam forſan nimis vehementem ipſorum operationem perferre nequeunt. Singularibus dotibus præditi ſint oportet, quarum qui periculum facere voluerit, id quidem tentare poterit, ità tamen, ut ſine correctione miſſos faciat, quippe veneno Venereo maximo inter omnes, qui mihi innotuerunt vermes, maximè excellentes. Varii adhuc alii ſuperſunt vermes in medicinâ faciendâ utiles. Aſellis putria ligna nutrimentum præbent. Si tangas, in globulum ſe convolvunt. Calculo reprimendo ut plurimum adhibentur. Cimices colore rubro noctu homines divexant, ſanguinem exſugunt, & in veteri ligno pineo, ac cubilibus antiquis hoſpitantur, ob fœtorem, quem emittunt, deteſtandi. Aliud talium vermium genus viridi colore, & veneno majore, turpiorem, quam rubri vermes, fœtorem reddit. Alis veſtita hæc inſecta cimices quater magnitudine excedunt & in gramine vitam degunt, ac frigida hyeme vivunt, in cavis arboribus, aut rimis murorum ſe abſcondentes. Si caſu bos, aut vacca cum gramine vermem ejuſmodi abligurivit, intumeſcit, ac nonnunquam moritur, à quo tamen ita ſibi cavere noverunt beſtiæ illæ ut haud facile talem in ventrem recondant.

dant. Hinc ſingulare quid in eo reconditum latere autumo propter mirabilem indolem, quam habet, cum fœtorem continere, & emittere pro lubitu poſſit, quod certis experimentis expertus ſum. Admodum callidus & fallax eſt, quod mirabilibus hiſtoriis ſtabilire poſſem. Omnium verſipellium, libidinoſorum, venenatorum, & beſtialium hominum indolem perverſam exactè imitatur. In univerſali menſtruo fœtorem illicò amittit; ſed quid ità correctus præſtet, ulteriore indagatione hactenus ſuperſedens dicere nequeo. Horum ac ſimilium inſectorum proculdubio non fruſtrà creatorum infinitus eſt numerus, quæ mutuo & hoſtili odio ſe invicem proſequentia mutuis etiam inſidiis vitam extinguere conantur. Parvum novi vermem, qui lumbricorum ſuccum & vires exſugens pingueſcit, & ubique illo ſuperior eſt. Verno tempore macilentus vermiculus blattas farina viventes magnitudine non æquat; ſed æſtivis menſibus lumbricis ſe adeò ſaginat, & adeo pinguis redditur, ut vix repere valeat. Inſtar carbonis niger, multis & brevibus pedibus ſe movet, pennæ ſcriptoriæ craſſitiem, & articuli in digito longitudinem exæquat, ſub terrâ morſu acuto lumbricum optimi ſucci ex eo ſugendi cauſâ apprehendit, qui nulla defenſione ipſum à ſe amoliri valens, præ anxietate è terra erumpit, hoſtemque adhærentem ſecum trahit. Hic firmiſſime adhærens nullo pacto abigi poteſt, ac tamdiu ſugit, donec ſucco fartus, &

plenus tandem ipſe decidit. Sæpius hos vermes luctando ſe mutua convolutione tam diu agitare vidi, donec vermiculus lumbricum tranſverſum morſu ſuo dividat, coaleſcentem tamen iterum, ſi modo in terram pervenire poteſt. Hinc veteres lumbrici diverſos ejuſmodi morſus qui iterum coaluerunt, oſtendentes hujus vermiculi malitiam loquuntur; Nam præter hunc & talpam terreſtribus hiſce animalibus hoſtem alium eſſe neſcio. Niger hic & Martialis vermiculus uno lumbrico confecto alium aggreditur, optimoque ſucco exhauſto corpus viribus ſpoliatum relinquit. Magnarum eſt virium, cæteriſque omnibus vermibus virtutum ſuarum excellentia præferendus, ſi benè præparatus fuerit. De araneis multa prædicantur, quod veneno infecti ſint, quod tamen nunquam comperire potui in iis, qui annuo ſpatio creſcunt, & iterum evaneſcunt, quales ſunt, qui in arboribus, frutetis, & virgultis muſcarum capiendarum cauſa retia ſua expandunt, & aranei crucigeri nuncupantur, quod crucem in tergo gerunt. Singulis menſibus veterem cutem deponunt, quod & ii faciunt, qui in ædium angulis, & foraminibus telas ſuas expandunt, & ſine cibo & potu tres menſes vivunt antequàm moriantur. Hi quidem prioribus aliquanto pejores, non tamen tam venenati ſunt ut quidem fertur, & creditur. Virides variorum generum, qui gramine, & foliis vivunt, veneno carent omnes, exceptis iis, qui in frigidis locis, puta cellis,

&

& humidis fornicibus commorantur, afellis fe nutriunt, nigra & hirfuta cute holofericum referente teguntur, tardo gradu incedunt, & tanquam omnium araneorum reges cæteros morfu occidunt, ac devorant, fi in poteftatem fuam eos redigere poffunt. Si araneorum unus in alterius nidum conjicitur, fortior debiliorem expellit: Sed hos araneos cæteri fuftinere nequeunt, præfentiam eorum horrentes, & fummâ celeritate fugientes. Imò iis nec merulæ, nec aliæ aves, quibus cæteri aranei nutrimentum præbent, vefci folent. Tardè confenefcentes multos annos in cella vivunt, utpote qui frigoris patientes funt, & cutem cæterorum more non renovant. Ii quoque veneno imbuti funt, qui hyberno tempore in hypocauftis mufcas devorant, aut ad minimum dulci mellis, facchari, fimiliumque rerum fumo aut vapore aluntur, & ad fenectutem perveniunt. Omnes hi ad medicinam rarò ufurpantur, quandoquidem eorum in tanta bonorum medicamentorum copia nemo indiget. Unicum hoc in ipfis commodum animadverti, quod gallinas ægras ita purgent, ut recuperata priftina valetudine mox pofteà vires refumant, & pinguefcant. Formicæ arborum fuccis & refinis vitam fuftentantes in medicina quoque in ufum venerunt, pauca tamen miracula edentes. Locuftæ, Grylli, & fimilia infecta, licet viribus occultis prædita fint, tamen negliguntur, cùm unicum minerale omnibus magnis & parvis animalibus, vermibus & in-

infectis plura efficere possit, adeò ut jure illa despiciantur. De magnorum animalium corporibus etiam nonnulla ad medicinam depromi solent. Lupi stomachum, intestina, & dentes: vulpes pulmonem, & alia animalia fel, pilos, cutem, excrementa, cornua &c. offerunt, quibus tamen hactenus parum effectum est, eò quod partes sunt ejusmodi animalium, quæ veneno carentia hominibus alimentum præbere possunt, aut præbent. Si verò animalium naturam alterantium, aut veneno infectorum dentes, ossa, cornua, aliæque partes mutarentur, & in tuta medicamenta redigerentur, aliquid iisdem præstari posset. Naturam alterantibus annumerantur canum, luporum, ursorum, leonum, & similium animalium rapacium dentes, & alcium, caprarum, hircorum, damarum, cervorum, & elephantorum ossa atque cornua, ut & hominum aliorumque animalium capilli: In veneno infectorum numero sunt viperarum, serpentum, bufonum, salamandrarum, similiumque dentes, & exuviæ: In tertio gradu sunt canis marini, & balenarum dentes, ac piscium cornutorum, & illorum, quos Belgarum nautæ Walrussen, ac alii monocerotas nuncupant, cornua, ut & alia ejusmodi monstra marina, quorum caro venenosa est, ac ideò dentes virtute medicinali præditos esse oportet, si immutati, ac in essentiam commodam conversi fuerint. Cæterum in omnium animalium excrementis virtus & medicina singularis, & insignis

latet,

latet; quorum nec ſal volatile contemnendum, præcipue illorum, quæ veneno turgent. Sal fixus multorum morborum domitor non parum adjumenti etiam ad medicinam faciendam confert. Sed de his in præſentia agere non conſtitui, illud tantum indicaturus, quo pacto cuncta animalia univerſali Menſtruo ſolvenda, & venenum in medicinam ſaluberrimam convertendum ſit. Vires ipſorum jam non ignotæ ſunt; nihil aliud requiritur, quàm præparatio debita, cujus cognitionem hoc tractatu manifeſtare in animum induxi. Re ipſa conſtat, eò meliorem & efficaciorem antidotum eſſe venenatorum animalium dentes, cornua, pellem, pilos, & ungulas, quo majore, & præſentiore veneno carnem imbutam habent, quod ut credamus, experientia nos docuit. Qui plurium de animalibus ejuſmodi venenatis cognoſcendorum deſiderio tenetur, libellum meum de ſignatura rerum legat, in quo multa utilia, & conſideratione digna inveniet.

Omnium venenatorum animalium & vermium præparatio & in medicamenta tuta, & efficacia mutatio.

QUantum ad præparationem attinet, ea non conſiſtit in hactenus uſitato modo, quo ad medicinæ uſum animalia præparari ſolita fuerunt, quæ vel in pulverem rediguntur, vel in Balneo per diſtillationem in ſpiritus, aquas &

olea convertuntur, aut per calcinationem in cineres mutantur, ut ex ipsis sal fixum extrahatur, aut per sublimationem in sal volatile abeunt. Has & alias hactenus usitatas animalium, ut in medicina in usu esse queant, apparandi rationes & modos, ut re ipsa bonos & utiles, neutiquam contemno. Sed quoniam mihi cuncta talia efficiendi via melior, & compendiosior innotuit, eam, ut humano generi commodo, & ægris auxilio & solatio esset, occultare diutius nec volui, nec potui. Ut autem Lector Benevolus discrimen inter veterem parandi hæc medicamenta rationem, & modum meum perspicere possit, paucis & breviter illud indicabo, & demonstrabo. Hactenus nullam aliam viam auditu percepi aut legi, quam eam, quæ sequitur: Aut animalia, sive tota, sive partes ejus in aëre exsiccantur, in pulverem comminuuntur, & in formâ pulveris vehiculo aliquo appropriato ægris propinantur: Aut mel sive saccharum pulveri adjungitur, ut electuarium evadat: Aut animalia recentia in oleo digeruntur, exprimuntur, & in Balsamum mutantur, ut necessitate postulante interno vel externo usui inserviant: Aut quibusdam medicamentis medicata & condita ad usum reponuntur: Aut recentia per Balneum in aqua distillantur, residuum in cineres per calcinationem comburitur, & sal fixus destillatæ aquæ beneficio ex cineribus extrahitur: Quidam animalium corpora sicca vel humida per retortam destillant, & fœtentem spiritum, oleum

oleum & ſalem volatilem nanciſcuntur, quas partes à ſe invicem ſeparant, rectificant, & ad uſum neceſſarium ſervant: Alii venenata animalia viva in olivarum, aut aliud ex aliquo aromate vegetabili per diſtillationem elicitum oleum conjecta ſuffocant, oleumque illud poſtea ad externos & internos uſus adhibent, ut ex ſcorpionum oleo apparet. Hi ſunt modi hactenus ad medicamenta ex animalibus paranda uſurpati, qui partim fructu non caruerunt. Quoniam verò vidi & animadverti, quod animalia dictis modis parata adhuc cruda & venenata maneant, & in primis tantum ſiccata, & in pulverem mutata, ac ad uſum adhibita non ſine periculo ægris propinentur, quia nimia vehementia naturam adoriuntur, ſi vel minimus in doſi error committatur; ac præterea ſapore ſuo ingrato & faſtidioſo ægris nauſeam pariunt: Quod animalium ſpiritus, olea, & aquæ deſtillationis adjumento evocata ut plurimum empyreuma redoleant, ac Naturæ vehementer adverſentur: Quod ſal volatilis & Fixus maximas animalis virtutes continentes commodius quidem intrà corpus aſſumi poſſint, quàm oleum, quod ob fœtorem nimium planè ab ægris faſtiditur, modus tamen hic, eò quod in operatione tali potiſſima virtus comburitur, & corrumpitur, ac proinde medicamentum ità deſtillatum ipſo crudo animalis corpore minus utile eſt, inter optimos locum invenire neutiquam poſſit. Quia inquam hæc omnia vidi & animadverti, aliam

viam meliorem & utiliorem excogitandam esse omninò necessarium duxi, talem nimirum, cujus operâ unumquodque animal, aut saltem pars ejus, pro ut res tulerit, sine ulla totius corporis in partes diversas separatione, tota substantia per solventem, & corrigentem aquam aliquam ipsi infusam solvi, & immutari, ac venenum in medicamentum converti possit: Aqua verò solvens, & Medicamentum solutum ità comparata sint, ut illa post solutionem & correctionem à corpore soluto & correcto iterum abstrahi & separari, hoc verò correctum & purgatum aut per se, aut vehiculo aliquo appropriato ægris exhibere queat, quod ex sequentibus clarius patebit.

Menstruum Universale, cujus adjumento omnia Vegetabilia, Animalia & Mineralia solvuntur, corriguntur, & in purissimum ac tutissimum medicamentum rediguntur.

IN Miraculo mundi Nitrum Universale solvens verum esse docui, & monui, quod tribus modis operetur: 1. Ut in sua propria Natura & forma est, 2. quando in fixum & igneum liquorem mutatur, 3. quando ignis beneficio in spiritum acidum distillatur. His tribus instrumentis omnia, quæcunque in rerum natura sunt, solvuntur, emendantur, & in meliorem ac puriorem substantiam transmutantur. Quo pacto autem illud fiat, in hoc tractatu clarè docebitur, & explicabitur,

bitur, ut omnes, qui aut crassâ ignorantiâ, aut nasutâ superbiâ, aut planè Diabolico odio & invidia Miraculum Mundi à me editum, ut Farnerus fecit, hactenus contempserunt, despexerunt, & tanquam rem impossibilem traduxerunt, pudore suffundantur & mera ignorantia, superbia, & invidia lucem meridianam se oppugnasse, eamque extinguere, delere, & obscurare voluisse fateantur. Quamvis verò in Miraculo Mundi, ejusque explicatione, ut & Apologia contra Farnerum hominem ex impietate & malitia compositum Menstrui universalis præparationem & usum descripserim, plures tamen sibi persuadent, descriptionem illam nimiis tenebris involutam esse, utpote quæ sine accuratiore, & planiore explicatione intelligi, & proinde effectui dari nequeat. Hos ut præmansus, & in os ingestus cibus à molestiore meditatione & labore vacuos præstet, interpretatione dilucidiore exequi operam dabo, & in Nomine Dei, in cujus honorem, ut & totius Generis Humani commodum hoc facere constitui, initium faciam, & perfectè demonstrabo, quod Nitrum dictis tribus modis omnia in Rerum Natura solvere, alterare, & in meliorem substantiam reducere valeat. Hisce autem cum omnibus risoribus, & veritatis osoribus in arenam descendo & postulo, si hoc solvente universali ex Nitro aliud melius & potentius habeant, ut illud in lucem producant: Sin minus, ut hoc missum faciant. Unicuique liberum est,

si

ſi quid melius habet, ut illud boni publici cauſa in medium proferat; Quod ſi facere neſcit, & nequit, jure ac meritò veritati ſe ſubmittet. Si quis melius ſolvens univerſale in lucem protraheret, profectò rem gratam faceret mihi, qui commiſſos in hac materia errores animo lubentiſſimo agniturus, & propria mea ſcripta refutaturus eſſem. Aliquem tamen venturum & hoc facturum eſſe minimè vereor. Si venerit, eum audiemus, & videbimus, ac reſponſione decente excipiemus. Interea in Dei honorem, & Proximi commodum ad bonorum medicamentorum præparationem nos accingemus. Metallorum emendatio & correctio per dictum Nitrum perficienda in 2. 3. & 4. parte tractatus de proſperitate patriæ agentis exacte deſcribitur, & demonſtratur: Hîc de medicamentis ſolis agere conſtituimus. Qua autem ratione Nitrum in liquorem fixum, & igneum, ac etiam volatilem, acidum, & igneum ſpiritum redigatur, in aliis quidem ſcriptorum locis jam docuimus, ita ut eadem hîc repetere planè non neceſſe eſſet. Sed quoniam artium amanti lectori commodum eſt, ut utramque præparationem conjunctam hîc inveniat, utramque etiam hîc ob oculos ponere neceſſarium duxi.

Salempetræ in liquorem igneum mutandi Proceſſus.

℞. Saliſpetræ puri, & omni ſale communi liberati,

berati, lib. 1. impone forti & benè cocto tigillo ac tecto, quem venti furno immittes, ac prunis tamdiu urgebis, donec candescat, & nitrum totum fluat. Huic liquato, & fluenti injice parum farinæ seu pulveris carbonum ligneorum contusorum, ut salipetræ fuso innatantes conflagrent. His conflagratis aliam ejusdem pulveris portiunculam submitte, ac hac injectione toties ac tam diu perge, donec carbones injecti flammam concipere desinant, & ipsæ Salpetræ viridi & cœruleo colore appareat. Fusum & liquatum effunde in mortarium aut pelvim calefactam, (nam in frigidum vas infusus tibi in faciem involabit) ac tam diu ibi relinque usque dum frigidus evaserit. Salem hunc exemptum ac linguæ admotum instar salis Tartari igneum esse senties. Eum contusum Phialæ alicui immitte, ac in cella aliqua humida & frigida repone, ut paucis diebus aut horis in clarum & igneum liquorem solvatur, quem per chartam bibulam, seu filtrum, ut vocant, colabis, ac ad usum sepones.

Ejus in medicamentorum ex animalibus, aut etiam vegetabilibus parandorum præparatione usus.

QUandoquidem hujus Menstrui usus in prima mea contrà Farnerum Apologia, & prima hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte, in qua herbarum essentiæ docentur, jam demonstratus est;

eſt; in hoc autem tractatu medicamentorum ex animalibus parandorum mentio tantum fiet, hîc modum & operationem apponam, quæ non ſolum animalia, ſed etiam vegetabilia corrigere, & in tuta medicamenta tranſmutare poteſt. Notandum hîc, quod hujus Menſtrui uſus in fortiter operantium,& quaſi venenatarum herbarum, & animalium, quorum malitia tollenda, correctione locum ſolummodo habeat. Nam herbis ad culinam deſtinatis quæ bonæ ſine noxa uſurpantur, nulla correctione opus eſt, niſi quis forſan per ſpiritum vini ex ipſis extractum aut ſpiritum ardentem, & oleum, ut & ſal fixum conficere, artis beneficio conjungere, ac ſuaves eſſentias componere velit, qui labor in prima Pharmacopœæ meæ Spagyricæ parte accuratè deſcriptus eſt. Hîc tantum de animalibus,vegetabilibus, & mineralibus ſaliſpetræ beneficio in ſuavia medicamenta mutandis tractatur. In aliis meorum ſcriptorum locis ſatis ſuperque docetur, quibus modis aliis, iiſque variis, ac ſine hoc univerſali ſolvente, medicamenta varia parari queant, quò Benevolum Lectorem remitto, hîc perrecturus docendo præparationem dictorum medicamentorum per ſolvens illud igneum hactenus ſæpius nominatum, quæ ſine ullis additionibus effectui datur.

Anima-

Animalium, vel Vegetabilium per Igneum Nitri Liquorem ſolvendorum, corrigendorum, & in ſalubria medicamenta transſmutandorum Præparatio.

℞. Quodcumque animal, aut quamcunque herbam volueris, ſi recens eſt, concide, ſin ſiccum animal, aut arida herba fuerit, in pulverem comminue, & liquorem nitri fixi affunde, ut animal aut herbam probè humectet, & ubique contegat. Vitrum Balneo impone, & venenatum animal aut herbam diem & noctem unam digere, quo tempore Nitri Liquor venenatum animal aut herbam maturabit, mutabit, ac ex veneno medicamentum conficiet. Poſteaquam Cucurbita in Balneo refrixerit, eam exime, & Liquorem cum correcto animali aut herba in aliud vitrum longum collum habens effunde, & optimum ſpiritum vini aut frumenti ardentem, & ab omni phlegmate purgatum ſolutioni affunde, ut eam duorum digitorum altitudine ſuperet. NB. Tam Liquor Nitri, quàm ſpiritus Ardens ab omni phlegmate liber ſit oportet, ut hic cum illo ſe non conjungat, ſed ſuprà eum conſiſtat. Nam ſi uterque adhuc aquoſus eſſet, utriuſque conjunctio aut commixtio fieret, & labor ſperato eventu careret, quod probè obſervandum eſt. Cum igitur per aquoſitatis ablationem commixtio prohibita ſit, ſpiritus Ardens in calida digeſtione

veram & correctam herbæ aut animalis essentiam ad se trahit, & Liquorem fixum cum herbæ aut animalis fecibus inutilibus relinquit. Spiritum ardentem Essentiæ plenum, & nihil amplius attrahentem effundendo à liquore separa, aliumque eidem affunde, laborem hunc toties ac tamdiu iterans, donec omnis essentia ex Nitri liquore extracta fuerit. Omnes has collectas extractiones, quæ mutatum & correctum herbæ, aut animalis venenum continent, conjunctas in cucurbita Balneo impone, & leni calore spiritum ardentem abstrahe, ut tandem crassus, & subfusco rubore coloratus liquor residuus maneat. NB. Optima spiritus ardentis pars etiam in Balneo separari, & ad usum ulteriorem conservari, reliqua vero, & debilior ejusdem pars cum extracto ex Balneo eximi, & in phiala supra Balneum vaporosum ad mellis consistentiam evaporari potest. Hoc enim facienti metuendum non erit, ne Balneum nimis calidum evadens extractum in cucurbita comburat, ad quod maxime attendendum erit. Si autem evaporatio in phialis vitreis per Balneum Vaporosum fieri non posset, quando Essentia eò usque confecta est, in parva cucurbita eidem aliquid de spiritu ardente, qui primus ascendit, affundendum, ac mox cum eadem concutiendo & movendo probè miscendum est, quod illicò purissimam essentiæ partem iterum eliciet &, paucas feces, cum pauco Nitri fixi liquore relinquet: à quibus spiritus ardens cum essentia mox effundendo

dendo ſeparandus, ne diutius apud feces manens, etiam ſal ad ſe rapiat & eſſentiæ ſaporem & odorem haud ſuavem conciliet. Qui verò Eſſentiam adhuc puriorem & ſuaviorem reddere cupit, tertia vice eam modo mox dicto extrahere poterit, poſt quem tertium laborem aliquid ſalis iterum remanebit, & Eſſentia ſuavior evadet. Horum omnium ſi diligenti obſervatione ratio non habita fuerit, ut plurimum aliquid ſalis fixi adhuc apud Eſſentiam manebit, eamque injucundo ſapore inficiet. Quare admonitio hæc non negligenda, & labor omnis ſumma diligentia perficiendus illi, qui boni quid nanciſci cupit.

Hæc eſt deſcriptio exacta modi, quo ex maximè venenatis herbis & animalibus efficaciſſima medicamenta parantur. Porro hic notandum: quando per ſpiritum ardentem ex Alcaliſata herba, vel animali eſſentia extracta eſt, reſiduum in terreo & vitreato tigillo ad ſiccitatem excoquendum, ac poſtea probè candefaciendum eſſe, ut per calcinationem omnis impuritas conſumatur, & Nitrum fixum purum ſuperſit, quod in cellam repoſitum & in liquorem denuo ſolutum, priſtinis ſuis viribus pollet, atque ità ſepius, ut & ſpiritus ardens, ad ſimiles labores adhiberi poteſt. Quamvis autem hoc Nitrum fixum tàm mineralia venenata, quàm animalia & vegetabilia mutet, & ipſorum venenum in medicamentum ſalubre redigat, ad vegetabilia, animalia & mineralia ſulphurea tamen magis idoneum eſt, quam ad mer-

curialia; quibus Nitri ſpiritus acidus aptior eſt, licet vegetabilia, animalia, & mineralia etiam ſolvat, corrigat, & mutet: quod cumprimis in mineralibus obſervandum, ut ità mirabilis proprietas, & omnia mutans efficacia ignis addiſcatur. Nam Nitrum crudum, ut eſt in primo ſuo corpore, cum animalibus ac vegetabilibus combuſtibilibus mixtum, & incenſum omnia comburit, & cum flamma in aërem expellit, ut præter ſal fixum nihil ſuperſit, atque ideo illud ad hæc vegetabilia & animalia planè ineptum ſit, ſiquid boni ex ipſis conficiendum eſt. In Mineralibus autem venenatis officio ſuo melius fungitur, quam Nitrum fixum, aut ſpiritus volatilis corroſivus & acidus, ut poſteà, ubi de Mineralibus agendum, demonſtrabitur. Hoc ut monerem, operæ pretium duxi, atque ideo feci, ut artis cupidi diverſas Nitri operationes addiſcerent. Nitrum crudum flamma ſua in venenata animalia vires ſuas exerit, & paucarum horarum intervallo eadem in tuta medicamenta mutat. In fixum liquorem redactum omnia ſulphurea vegetabilia, animalia, & mineralia ſolvit, quod commune aut crudum Nitrum, ut & ſpiritus acidus & corroſivus nunquam præſtabunt. Quemadmodum autem hic Nitri Fixus Liquor Mineralia Sulphurea penitus ſolvit, ac nihil, præter feces relinquit: Ità ſpiritus Nitri acidus omnia Mercurialia Mineralia diſſolvit, ut nihil reſiduum maneat; Ex quo conſtat, unamquamque

natu-

naturam ſibi ſimilem amore complecti, & libenter eidem conjungi, præcipuè quando naturæ puræ & mundæ nullis aliis rebus mixtæ ſunt. Ut melius hæc intelligas, paucis hæc accipe. Nulla eſt herba, nullum animal, nullum minerale, quod ſuis tribus Principiis ſale nimirum, Sulphure, & Mercurio non conſtet, admodum tamen inæqualibus. Nam in uno ſubjecto ſal potentior eſt, in altero Sulphur, in tertio Mercurius. Quando in ſubjectis ex his tribus principiis conſtantibus inæqualitas nimia non eſt, nullumque Principium præ altero nimium dominatur, æquè ſpiritus acidus, ac ſal fixum Nitri illa ſolvit, ut ex plurimis vegetabilibus, Animalibus ac Mineralibus patet, quæ ex temperatis principiis compoſita æquè Liquoris Fixi, ac ſpiritus volatilis acidi ſolutionem, & correctionem admittunt. Exempli gratia; ſumo herbam aliquam, ſive Napellus ſit, ſive Mandragora, ſive opium, aut ex animalibus aranea, ſcorpius, vel ſcarabæus auratus; hoc ſubjectum Nitro Fixo, ut ſupra docui, tracto; totum ſolvetur, mutabitur, & medicamentum tutum evadet, cum principiis temperatis conſtet. Sin vero eidem Nitri ſpiritum acidum affudero, in eodem ſolutum, mutatum & correctum ſalubris medicamenti naturam æquè induet, ac ſi priori liquore ſolutum eſſet: Cum tamen uterque Liquor nimirum Fixus, & ſpiritus Acidus, ex una radice licet orti, naturâ ſuâ maximè diſſideant, & quaſi odio hoſtili ſe

invicem proſequantur: idque ideò quia Liquor Fixus, æquè ac ſpiritus acidus aliquatenus adhuc adverſarii ſunt, & tanquam in una Naturâ abſolutè non dominantur. Sunt enim ex uno, nempe vulgari Salepetræ in duas contrarias partes, & in hoſtes ſe invicem oppugnantes ab igne redacti. Si vero iterum conjungantur, ut ab igne accepta hoſtilitate ſe mutuò adoriantur, vincant, & occidant, nec Liquor igneus, nec ſpiritus acidus amplius animadvertitur, ſed ad illud redeunt, quod antea fuerunt, & ex quo nati ſunt nempe ad Nitrum, aut Salempetræ communem. Optime igitur Philoſophi, Fac, ajunt, fixum volatile, & volatile fixum. Hermes quoque, Draco, inquit, noſter non moritur, niſi cum fratre & ſorore. De hac materia multa dici poſſent, quæ huc non pertinent, ſed ad quartam partem proſperitatis Patriæ, in qua de auri, & argenti in tincturas concentratione agitur. Si unum autem principiorum nominatorum, ſive ſulphur ſive Mercurius, (ſal enim hic non conſideratur) nimium in ſubjecto aliquo dominatur, utrumque ſolvens illud ſolvere pari modo non poſſunt, ſed illud tantum, quod naturæ ſubjecti illius appropriatum eſt. Exempli gratia: Herbæ alicujus ſemen, quanquam mercuriale ſal habet, in eo tamen ſulphur primas tenet; ideoque Liquore Fixo, quam ſpiritu acido ſolvi mavult. Oleo vero per expreſſionem, vel diſtillationem ex ſemine extracto, & à ſale Mercuriali ſeparato, Liquor Fixus majorem

in

in ſibi ſimile operandi efficaciam habet, & illud oleum totum, etiam minima parte non relicta ſolvit. Contra autem quia oleum Mercuriali ſuo ſale, qui ſpiritum acidum admittit, ſpoliatum eſt, ſpiritus acidus oleum aggrediendi, illudque ſolvendi nullam poteſtatem habet, cum tamen ex uno eodemque ſubjecto cum fratre ſuo Liquore fixo oriundus ſit. Ita operatione ſimili fratri non reſpondet, ac ſorori illa præſtare, quæ frater facit, impoſſibile eſt. Quando autem uterque Frater & ſoror commiſcentur, iterum parentum ſimiles liberos, id eſt hermaphroditos pariunt, cujus originis etiam fuerunt, ad ſimplex & crudum Nitrum revertentes, ex quo rurſus ſimiles maſculini & fœminini ſexus procreationes & generationes exiſtunt. Ità in infinitum unus partus in alterum ſe tranſmutat, auget, & emendat, ſi verum ſuum thorum conjugalem nanciſcatur, & more Philoſophico tractetur. Quod de Vegetabili Sulphure tradidimus, idem de Animali & Minerali intelligendum eſt. Nam ejuſmodi ſulphur ſale & Mercurio ſuo privatum ſpiritus Nitri acidus non ſolvet, quod Liquor ejuſdem Sulphureus lubens facit, qui commune Sulphur minerale totum diſſolvit, cum ſpiritus acidus illud intactum relinquat. Subjectum autem utriuſque, Sulphureæ puta & Mercurialis Naturæ particeps utriuſque etiam, Fixi nimirum Liquoris, & Acidi ſpiritus ſolutioni ſe ſubjiciet, ſive ex Vegetabilibus, ſive ex animalibus, aut mineralibus peti-

tum ſit. Itaque Extrema, principium nempe, & finis, primum Ens & ultimum Eſſe, volatile, ac combuſtibile, fixum & incombuſtibile inter ſe comparanda ſunt. Sulphur comburens commune, & quod mineralibus ac metallorum venis adhæret, nobis principium; & finis aurum eſto. Illud liquor fixus totum ſolvit, hoc maturum ſolvere neſcit, quod ſpiritu acido ſolvitur, cujus ſolutionem illud plane reſpuit. Subjecta illa media, quæ utramque naturam Sulphuream ſcilicet, ac Mercurialem participant, ut ſunt ♄, ♃, ♂, ♀, ☿, ☽, Utroque nimirum Fixo Liquore & Acido ſpiritu diſſolvuntur. Quò magis autem unumquodque ſulphuris comburentis particeps eſt, eò facilius Fixi Liquoris ſolutioni cedit. Sic Liquor hic ex mineralibus Antimonium, Auripigmentum, ſulphur commune, Arſenicum rubrum, &c. facilè, ex metallis ♂, ♀, ♃, ♄, difficulter, ☽, difficilius, ☿ difficillimè, ☉ omnium ultimum & optimum minimè ſolvit, quoniam à Natura Sulphure ſuo ſuperfluo, extraneo, & comburente planè liberatum, & in puriſſimam Mercurialem ſubſtantiam lotum & maturatum eſt. E contrario ſpiritus acidus, ſi ſatis fortis fuerit, à ſupremo Metallo uſque ad ultimum minerale omnia ſolvit, omiſſo tamen Sulphure communi, cui ſolvendo non eſt. Unum tamen ſubjectum altero facilius ſolvit, pro ut ipſius naturæ propius, aut ab illa remotius eſt. Ex utriuſque igitur horum ſolventium ſolutione uniuſcujuſque metalli &

minera-

mineralis naturam & proprietates quivis Chymicus facilè agnoſcet. (NB. Hoc medio, quæ metalla & mineralia Auro proxima ſint, expertus ſum) inveſtigatio hæc certior & tutior ipſi erit, quàm multorum librorum lectio, nec ipſi noceret, ſi mineralium & metallorum Signaturam intelligeret, & eorum naturam & proprietatem ex ea addiſcere noſſet, qua de re, ut hîc tractemus, inſtituti noſtri ratio non permittit; in alteram noſtri de Patriæ proſperitate tractatus partem, ubi de metallorum & mineralium concentratione agendum, hunc laborem rejicimus. Sed ne de metallorum diſcrimine diſſerendo plus temporis teram, pergendum mihi erit, ac deſcribendum, quomodo venenata vegetabilium & animalium ſubjecta ſpiritu Nitri acido ſolvenda, mundanda, maturanda, ac in tuta medicamenta mutanda, ac convertenda ſint. Proceſſus & præparatio eſt, ut ſequitur.

℞. Nuces Vomicas, venenatos verſicolores bufones, Scorpiones, Cantharides, aut ſimilia venènata vegetabilia aut animalia: Vegetabilia conciſa, animalia vero integra, ut moriendo virus ſuum augeant, & majora ac efficaciora medicamenta evadant, vitro alicui immitte, E. G. Unam aut alteram unciam ſpiritus Nitri vitro anguſtum collum habenti, ut obturari poſſit, infunde, ac vegetabilia ſolvenda in illum ſpiritum demitte, quibus in liquorem ſolutis iterum alia adde, toties hoc faciens donec ſpiritus craſſeſcens

plura ſolvere deſinat. Eodem modo cum animalibus procedes, ſi mortua fuerint. Sin viva, ſpiritui aliquantum aquæ addes, antequam vermem immittas. Nam ſpiritus nimis validi vires ita infrigendæ, ut vermis vivus immiſſus non illicò moriatur, ſed ſe ipſum proprio ſuo veneno inficiat. In ſpiritu enim nimis forti momento citius ejuſmodi animalia moriuntur, nec quid ſibi acciderit, ſciunt. In ſpiritu mitiore diutius vivunt,&, cum ſibi mortem imminere vident, vehementi irâ accenduntur, ſe ipſa pungunt, & mordent, ac veneno proprio occidunt, adeò ut venenum augeatur, & medicamentum majores vires acquirat. Solutis ergo, quæ injeciſti, plura adde, uſquedum ſpiritus craſſior à ſolvendo ceſſet. Solutionem hanc per tenue linteum colando in aliud vitrum demitte, & ipſi ſenſim, aut guttatim Liquorem Nitri Fixum affunde, ut ſpiritum acidum occidat, & uterque viribus amiſſis in priſtinum Salempetræ redeant, ac correctum vegetabile aut animale in forma pulveris ad fundum præcipitetur. Poſt hanc præcipitationem plus aquæ dulcis, aut pluviæ affunde, ut Salpetræ melius ſolvatur. Totam ſolutionem per linteum tenue in fundibulo vitreo impoſitum in aliud vitrum effunde, ut Salpetræ, qui antea partim ſpiritus acidus, partim Liquor fixus fuit, & denuo Nitrum factus eſt, aqua affuſa ſolutus per linteolum tranſeat, & vegetabile aut animale illud correctum in eodem ſubſiſtat, quod multimoda

aquæ

aquæ dulcis affuſione ab omni ſalſedine liberandum, ac poſtea cum linteolo chartæ bibulæ multoties complicandæ imponendum. Hæc charta omnem humiditatem imbibet: Animalis autem & vegetabilis reſiduus pulvis in charta manebit, qui ſiccatus ad uſum ſeponetur, ac poſtea per ſe in pulveris forma, aut in pillulas redactus uſurpabitur, & longè tutius ac ſecurius, efficaciuſque omnia ea præſtabit, quæ anteà non tutò & cum ſummo periculo præſtitiſſet. Eſt & alius animalia & vegetabilia per ſpiritum Nitri acidum vel Liquorem fixum in medicamenta ſalubria mutandi modus, qui ità ſe habet. Subjecta illa, quæ Liquoris fixi ſolutionem reſpuunt, ſpiritu acido ſolvuntur, & Liquore fixo præcipitantur; Aut contrà, quæ ſpiritu acido ſolvi recuſant, Liquore fixo ſolvuntur, & ſpiritu acido præcipitantur. Poſtquam omnia præcipitata, & ſolvens ſatis occiſum eſt, aliquantò plus Liquoris fixi affunditur, ità ut hic ſpiritum acidum quantitate multum ſuperet. Quo facto phlegma in Balneo vaporoſo abſtrahitur, & Liquori remanenti affunditur ſpiritus ardentis quantum ſuffici, ut digeſtus extrahat, quicquid extrahendum eſt. Hic nihil aliud aggreditur, & nihil aliud ad ſe rapit, quam ſolam & unicam eſſentiam herbæ aut animalis, ac ſolventia intacta relinquit: Eſſentia autem illi, quæ modo prius deſcripto parata eſt, nec viribus, nec efficacia cedit. Hæc de vegetabilium medicamentorum præparatione dicta ſufficiant. In nomine

C 5 Domini

Domini etiam ad Mineralium & Metallorum medicamenta nos conferemus & videbimus quid boni Deus omnipotens horum beneficio nobis largiatur.

Metallicorum medicamentorum præparatio præcedenti vegetabilium & animalium præparationi ferè vicina & affinis eſt, atque in eo tantum differt, quod plurima Mineralium & metallorum pars nitro crudo & purgato ſolvantur, corrigantur, & in tuta medicamenta convertantur, ut ſequens modus indicat: ℞. Antimonii pulveriſati, & Nitri purgati ana; miſtas has partes æquales in tigillo tecto, ne maſſa exſiliat, calcina, poſt calcinationem effunde, & maſſam in pulverem redige, & aqua Salempetræ elue, ac antimonium, quod nigrore amiſſo album evaſit, ſicca; miſce iterum æquali Saliſpetræ ponderi, calcina, & ablue, laboremque hunc tertia vice itera. Quo facto Antimonium omni nigrore & veneno depoſito album, & medicamentum tale evadit, quod in omnibus morbis per ſudorem expellendis 2. 3. 4. uſque ad 6. granorum doſi tutiſſimè adhiberi poteſt. NB. Si Antimonii crudi loco ejuſdem Regulo uſus fueris, prima operatione mox Diaphoreticum album eadem doſi exhibendum nanciſceris. Eodem planè modo venenatum Arſenicum, Auripigmentum, & ſimilia venena omni ſuo veneno nudabis, & in tutiſſimos pulveres diaphoreticos tranſmutabis. Quoniam autem eorum præparationes unicuique non conveniant,

veniant, imo ignorantes & imperitos facilè damno afficere possent, ejusmodi hominibus consulo, ut eorum tractatione supersedentes soli Antimonio adhæreant, ac probè eum figant, cum eo longè tutius uti possint: Quæ enim de summis illis venenis hîc dicuntur, eo tantum spectant, ut unicuique innotescat, quod etiam summa venena solius Nitri adjumento etiam se corrigi, & in saluberrima medicamenta transmutari patiantur. Qui Antimonium adhuc tutius ac melius reddere desiderat, sequentem præparationem usurpet: ℞. Supradictum & Nitri opera fixum Antimonium diaphoreticum, quod in valida aqua forti clarè solves, & solutum Liquore Nitri fixo præcipitabis, ut instar nivei pulveris in fundo subsideat, humiditas effusa, parte aliqua per evaporationem spoliata, & seposita ut sal concrescat, tibi Nitrum tuum reddet. Pulvis siccatus, & probè aquâ elutus, præstantissimum in omnibus morbis sudore expellendis medicamentum jure Bezoarticum Minerale appellari potest, cujus dosis grana 1. 2. 3. 4. 6. usque ad 12. pro ratione morbi & personæ; Sed de hoc medicamento in aliis meis scriptis satis prolixè egi, ut hîc repetitione non opus sit. Tribus his modis per Nitrum crudum, fixum, & acidum omnia metalla, mineralia, lapides, & quicquid in mundo est, solvi, corrigi, & in medicamenta omni periculo carentia transponi possunt. Spiritu Nitri acido omnia metalla, unico auro excepto solves, quem si par-

va

va ſalis Armoniaci acceſſione auxeris, aut ſale communi rectificaveris, aurum quoque ſolutioni ejus cedet. In ipſo omnia quoque mineralia ſolvi ſolent, uno Sulphure vulgari excepto; Mineralia autem ſoluta Liquore Nitri fixo præcipitantur, præcipitata communi aqua eluuntur, & eluta ad medicinam faciendam adhibentur. Pulveres evadunt ſubtiles, pro natura & proprietate ſuorum metallorum, & mineralium. Pulvis auri flavus eſt, & fulminans appellatur, argenti cinereus, cupri viridis, ferri ruber, ſtanni & plumbi albus, Antimonii, ſtanni albi & ſimilium albus, lapidis calaminaris, tutiæ & cadmiarum cinereus &c. Sulphur commune, omneſque lapides pretioſos & vulgares ſolvere neſcit, Fratrique ſuo Liquori Fixo ſolvendos committit. Ità quæ ſoror facere neſcit, id fratri factu facile eſt; quodque frater effectui dare nequit, id ſoror faciendum ſuſcipit, & quæ utrique impoſſibilia ſunt, ea patri aut matri eorum Nitro crudo poſſibilia eſſe videmus, ita ut huic Subjecto quidvis faciendi poteſtas data ſit. Ut autem perfectè demonſtrem, quod Nitrum omnia quæcunque in mundo ſunt, ſolvere queat, ac ſimul indicem, quomodo illa Subjecta, quæ acidi Spiritus ſolutioni non obediunt, Nitri fixi poteſtate ſubigantur, pergo, & à Sulphure vulgari initium facio.

℞. Sulphuris in pulverem redacti p. 1. Nitri fixi p. 2. quibus in cucurbitam immiſſis aquam duplo pondere utrique reſpondentem p. nempe

ſex

ſex affundes. Unius circiter horæ ſpatio in arena decoque, qua decoctione Liquor Nitri fixi Sulphur ſolutione rubra ſolvet. Hæc per chartam bibulam colata, & per ſpiritum acidum in fundum præceps acta, poſt elutionem, album & ſubtilem exhibet pulverem, in pulmonum morbis utilem. Reſtant adhuc ſilices, arena, Cryſtalli, & omnis generis lapides pretioſi & vulgares, quibus diſſolvendis cum acidi ſpiritus vires pares non ſunt, neceſſe eſt, ut à Nitro fixo vires ſuas exerente diſſolvantur: quod hoc pacto fit. Silicem, Cryſtallum, Marmor, aut alium lapidem in ignè in vitrum fuſione abeuntem probè candefac, & aqua frigida iterum extingue, aut ſicca, ut facili negotio in pulverem contundi queat. Hujus pulveris cape partem unam, Nitri fixi partes 3. vel 4. commiſce, tigillo fuſorio immitte, ac in furno venti probè tectum igne forti funde, ut vitrum pellucidum evadat. Effunde, in pulverem redige, in vitrea phiala in humidam cellam repone, ut lapis in liquorem mutetur. Aut vitro dicto fuſo & contuſo aquam communem affunde, quæ pulverem ſolvet: Cui ſolutioni claræ ſi Spiritum Nitri acidum infuderis, Nitrum fixum viribus igneis privatum in pulveris forma lapidem ſolutum dimittet, qui multimoda ablutione aquæ eluendus, & ſiccandus eſt, ac magiſterium erit illius lapidis, cui hæc operatio impenditur. Hi lapides quoque in forti vitro Nitri Liquore fixo affuſo arenæ imponi, digeri & ſolvi poſſunt. Sed

tardior

tardior hæc humida quam prior via ſicca per fuſionem. Ipſa etiam vitra hunc liquorem diu non ſuſtinent, ſed eodem etiam ſolvuntur. Magiſteria autem hæc, vel lapides ita præparati, utiles ſunt in Calculo, quem non modo ex renibus verum etiam ex veſica expellunt, ſi non nimium adhuc induratus fuerit. Si medicinam hanc adhuc meliorem reddere cupis, ita procedes, Liquorem ſilicum aut Cryſtallorum poſt liquefactionem in cella ſolutum, infunde in phiolam longum collum habentem, eique ſpiritus vini duplo plus affunde, ita tamen ut phiolæ dimidius venter tantum plenus ſit. Da alicui vitrum in manus, ut indeſinenti concuſſione & agitatione liquorem & Spiritum vini commiſceat, ac hic illum probè penetret, ſolvat ac dulcem reddat. NB. Agitatio hæc neceſſaria eſt, quandoquidem ſine agitatione Spiritus vini ſupra liquorem conſiſtens Nitrum fixum non attraheret. Si Spiritus vini primo affuſus ſatis acer evaſit, eo effuſo alium affunde, ac iterum ſatis acrem effunde, novoque affuſo laboris hujus repetitionem tamdiu itera, donec lapidum liquor dulcis factus fuerit. NB. Spiritus Vini omni phlegmate careat oportet, cui ſi adhuc aqua ineſſet, liquor lapidum præcipitaretur, & pulvis fieret. Benè autem, ac rite qui proceſſerit, nobile contra calculum Microcoſmi medicamentum conſequetur. NB. Poſtquam Liquor lapidum ad dulcedinem reductus eſt, Vini ſpiritu in vitro tegendus eſt, ut Liquor in liquiditate ſua permaneat;

neat; alias enim paucorum dierum ſpacio in lapidem in vitro mutatur. Liquore uſurus pollice vitri orificium claude, vitrumque inclina, quo inclinato Spiritus vini tanquam levior cedit, & liquor, qui Spiritu vini gravior eſt, fluet ad pollicem, qui parum remotus tantum liquoris tibi promet ac demittet, quantum tibi neceſſarium fuerit. Hanc præparationem de induſtria in hunc locum conjeci, ut eo minus in ea aberrari poſſit, cum hic labor hominem expertum & non rudem ac inſipidum aliquem Farnerum requirit. Arenæ, ſilicum, Cryſtalli ſimiliumque lapidum Liquorem, & Magiſterium iiſdem viribus pollere experientia teſtatur. Quiſque opinione ſua alterutrum ſibi eligere poterit. Vulgares & albos ſilices in rivorum arenis commendo. Horum Magiſterium debilibus ſtomachis etiam maximè conducit, nec eodem quicquam corrumpitur ad quoſcunque etiam morbos adhibeatur. Pulveris Doſis gr. 4. 8. 12. 20. 30. Liquoris autem Doſis gr. 1. 2. 3. 4. uſque ad 10. Liquor hic quocunque veniat, cuicunque materiæ adhæreat, ſi in ſicco loco conſervetur, naturalis & pellucidus Lapis evadit. In corpore humano autem ſibi ſimile attrahit, & ſecum evehit. In eo plura alia ſecreta recondita latent, quæ huc non pertinentia, in aliis meis ſcriptis reperiuntur. Porro lapides inveniuntur, qui nec Liquoris Nitri fixi, nec Spiritus acidi ſolutionem admittunt. Hinc etiam domentur; Ita procedendum erit. Ejuſmodi Lapis

nec Liquoris Nitri Fixi, nec Acidi Spiritus Solutioni se subjiciens in pulverem subtilem comminuitur, & comminutus cum pulvere Nitri puri & siccati commiscetur, ità tamen ut hic triplo pondere illum superet. Postquam tigillum aut crucibulum usque ad mediam partem hac mixtura impletum est, pruna oblonga forcipe arrepta materiæ immittitur, & in ea firmiter tenetur, ne à flamma iterum exturbetur. Ita Nitrum à pruna incensum cum lapide flammam concipit, ac tam celerem & vehementem ignem excitat, ut lapis penetretur, aperiatur, ac post operationem communi aqua solvi possit. Quo facto, solutio, quæ lapidem solutum imbibit, per colationem chartæ bibulæ beneficio purificanda, & Spiritus acidi instillatione præcipitanda est, ut lapis in forma pulveris subsideat, aquâ eluendus, siccandus, & ad usum conservandus. Ita jam omnia metalla, omnes lapides, omnia vegetabilia, & animalia solvimus, ac in Medicamenta sua traduximus: Et si quicquam adhuc aliud in rerum Natura, præter hæc Subjecta, superesset, aut inveniri posset, illud hoc meo Menstruo Universali solvendum docuissem. Quia autem extra Vegetabilia, Animalia, & Mineralia, ut & omnis generis lapides, imo vitrum ipsum nihil aliud reperio, nec reperire possum, jure Menstruum & Solvens Universale manet (rumpantur licet ilia Momis, risoribus, ignorantiæ fratribus, & veritatis osoribus) constans, invictum, & incomparabile, quam-

quamdiu mundus ſteterit. Quid in metallorum emendatione & correctione præſtare poſſit, 2. 3. & 4. de Patriæ Proſperitate tractatus partes, in quibus de Metallorum concentratione agitur, in lucem prodeunt. Quæ verò alia veram Hermeticam Philoſophiam concernentia myſteria in hoc Subjecto mirabili recondita lateant, in meo de Natura Dei, & Concentratione Elementorum tractatu, in quo ſtudioſus Lector Divinis & Humanis miraculis ſe delectare poterit, accuratè & ſuccinctè deſcripta invenientur.

Jam igitur probatum & demonſtratum eſt, quod Nitrum Solvens & Menſtruum Univerſale ſit, cum nihil ſit in rerum natura, quod ejus viribus ſolventibus reſiſtere queat: nec etiam tale quid inveniri poſſit. Æquiſſimo jure ergo illud manet, quod reipſa eſt, & à me & omnibus peritis Chymicis eſſe judicatur. Quod autem quis objicere poſſet, allatas probationes ſibi neutiquam ſatisfacere, nec etiam demonſtrare, quod hoc Solvens ad Philoſophicum opus etiam aliquid commodi conferat: Ei reſponſione mea non occurram, nec exploratoribus ſcrinium meum compilandum exponam, ut Arnoldus Lullio fecit; Sed Secreta in Secreto loco relinquam. Satis multa dixi, atque etiam dico in meo de Concentratione cæli & terræ tractatu. Qui dicta non intelligit, imò adhuc contemnit, non eſt cur ſe Adeptis, & Hermeticis filiis annumeret, quippe cui apud Farnerianam ſodalita-

tem, & porcinum lintrem potius manendum erit.

Usus, potestas, & vires medicamentorum ex Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus, quæ supra docuimus.

QUantum ad Vegetabilia attinet, pauca ex iis sunt, quibus correctione per Solvens Universale opus est. Nam quæ natura sua salubria & sana sunt, nullo medicamento indigent. Rosmarinus enim, amaracus, salvia, thymus, & similes herbæ correctione non egent, & secundum modos in prima parte à me præscriptos in Essentias suas suaves deduci possunt. Herbæ autem illæ, quæ fortiter operantur, & ad usum medicum adhibitæ, periculo non carent, quales sunt hyoscyamus, cicuta, mondragora, opium, tabacum, napellus, cocculi de Levante, nuces vomicæ, &c. correctione bona emendentur, oportet; alias haud tutò intra corpus sumi possunt. Si Igneo Menstruo operante, ut in præcedentibus monstravimus, solvantur & corrigantur, sine omni discrimine, & quàm tutissimè intra corpus sumi possunt, & in medicinâ mirabilia præstant. Quicquid antea venenum fuit, postea est antidotus venenum domans. Ex. gr. hyoscyamus, mandragora & opium natura suâ stupefactivam vim obtinent, spiritum vitalem supprimunt, humidum radicale inficiunt, nimium somnum conciliant,

ciliant, imò perpetuo ſomno vitam claudunt: Sed igneæ aquæ viribus correctæ illæ herbæ, & veneno ſuo ſpoliatæ non amplius nocent, ſed omnes internos & externos dolores ſopiunt, concitatos ac iratos Spiritus vitales ſedant, omnia inquieta ſuavi quiete componunt, venenatos humores per ſudorem ex corpore expellunt, & cunctis in ſtatum quietum redactis multis morbis medentur. Cicuta, napellus, cocculi de Levante & nuces vomicæ non ſolum lethalem ſomnum, verum etiam vomitus vehementiſſimos, & punctiones acutiſſimas in corpore excitant, ſenſibus & intellectu hominem privant, ac tandem mortem ipſam afferunt, ſi nimia quantitate in corpus veniant, & per vomitus vehementes non eliciantur. Sed herbæ tales correctæ venenumque in ſalubria medicamenta mutantes, tàm horribilia, doloreſque ſummos excitantia, ac mortem inferentia ſymptomata amplius non cauſantur, ſed innoxio & inſenſibili modo totum corpus penetrantia omnes obſtructiones tollunt, omnia noxia per ſudorem, urinam, ac ſedes ex corpore ejiciunt, viſcera interna ab impuris humoribus purgando liberant, & occultos morbos feliciter tollunt. Si antea caput gravedine ſumma onerarunt, ac inſanum & amens reddiderunt jam illud mundant, purgant, à gravibus & noxiis vaporibus liberant, cerebrum corroborant, & ingenium aut memoriam melius reddunt; Ità quod ante correctionem corruperunt, jam poſt eam

emendant, & reficiunt. In eam tamen hæc accipienda partem, ut in ejusmodi medicamentorum usu etiam necessaria cautione adhibita probè provideatur, ne modum excedendo quid erroris committatur, cum ludere ejusmodi medicamentis penetrantibus non liceat.

Fortissima medicamenta purgantia, ut esula, cataputia, Staphisagria, Gummi gutta, ac similia in hoc Menstruo soluta & præcipitata vehementem & quasi venenatam qualitatem suam amittunt, & tuta ac lenia purgantia evadunt. NB. hoc, quantum ad solutionem hanc attinet, hic animadvertendum est, cum semen esulæ, cataputiæ Staphisagriæ, ut & Gummi gutta, ac Scammoneum pinguem ac resinosam naturam obtineant, non acido Nitri Spiritu sed Liquore Nitri Fixo, aut melius Spiritu Vini per Nitrum Fixum corroborato & alcolisato solvenda, ipsoque Spiritu acido præcipitanda esse. Sic eodem Spiritu Vini Nitri Fixi adjumento fortiore reddito omnia Gummi qualitatem pinguem habentia, & è contrario illa quæ pinguia non sunt, Spiritu acido solvi, & contrario suo liquore præcipitari possunt. Ità quoque omnes amari succi, ut Aloë, Myrrha, ac similes, eodem soluti & correcti suaviorem & gratiorem saporem acquirunt. Inservit etiam gravissimè olentibus Gummi, ut asæ fœtidæ, aliisque ejusmodi fœtentibus animalium, & vegetabilium rebus corrigendis, fœtore suo gravi spoliandis, & in odorem gratum convertendis.

tendis. Adeò nonnulla etiam fœtorem ingratiſſimum emittentia ità immutari poſſunt, ut jucundum odorem poſteà ſpirent. Quanquam autem antè plures annos in primo libro Furnorum, ubi de Spiritu Salis agitur, hujus laboris mentio facta eſt, eodem tamen non ſuperſedebo, ſed in ſequutura hujus meæ Pharmacopœæ tertia Parte plures, & magis compendioſos effectui talia dandi modos deſcribam, eò ſtudioſum jucundorum, & efficacium medicamentorum relegans.

Quoad animalia, carni bubulæ, vervecinæ, porcinæ, gallinarum, anſerum, & reliquorum culinæ inſervientium animalium, piſcibus & avibus multa correctio ut adhibeatur, neceſſe non eſt. quæ annum ſuperant ætate animalia, aut quæ provectiora ſunt, aqua, ſale, aromatibus, condimentis, vino vel aceto probè elixentur, juniora veru affixa aſſentur. Hominibus bona valetudine præditis non nocent, ſi iiſdem ipſis veſci, ac bonum vini, aut cereviſiæ melioris notæ hauſtum addere licet, ut quæ in gutture reſidua hærent, eluendo, in ſtomachum promoveantur.

Venenatorum vermium, & inſectorum ſiquis in medicina uſus eſſe debet, quoniam nonnunquam etiam plus, quàm vegetabilia, in medicina præſtant, ut experientia teſtatur, ea tamen ſine correctione non adhibenda. Sed hic non culinariam correctionem intelligo, cui perficiendæ vinum, ſaccharum & aromata ſe offerunt; verum talem, in qua omnia unà manent, & ab Igneo

Menſtruo corrigantur & emendantur, idque ſine ullius alius rei additione, ut ſupra docuimus. Sic correcta non ſolummodo tutò, ſed etiam majore multorum ægrorum auxilio & ſolatio in deſperatis morbis ad medicinam uſum ſuum conferunt, & authoribus ſuis majorem gloriam conciliant. Lippis & tonſoribus notum eſt, quid interdum lumbrici, ſcarabæi, cantharides, aſelli, & ſimilia urinam promoventia inſecta, cruda, ſicca, in pulverem redacta, & ægris propinata efficiant. Qui lumbricorum copiam colligendi cauſa eoſdem quærit, baculum terræ infigit, & vermes, eundem agitando inquietat. Hoc itaque ipſi ſentientes ſe devorandi cauſa talpam adeſſe putant, ac catervatim ex terrâ prorumpunt, ut capi facile poſſint. Si cui vermes ipſi nauſeæ eſſent, terram capiat, quam lumbrici poſt calidam pluviam verno tempore inſtar tuberculorum plurimorum ſupra terram ejecerunt, quaſi dicentes, hujus terræ gratia nobis vitam relinque, & ex ea eſſentiam extrahe, quæ tibi perinde utilis erit, ac ſi nos ſumas. NB. Hanc terram merulæ quærunt, ſuiſque pullis in nido cubantibus afferunt, quod non facerent, ſi nihil boni contineret, quippe quæ vermes potius ipſis allaturæ eſſent. Deus & Natura nil fruſtra faciunt. Canis, qui multa oſſa devoravit, locum aliquem purum quærit, ubi ſuum ſtercus deponat, ſive in lævi lapide ſive in gramine: quaſi dicturus, hoc tibi, gratias pro cibo, quem mihi largiris, agens, exhibeo:

beo: ſerva, & eo utere ut ſcis. NB. Maximæ animalium vires ſitæ ſunt in ipſorum excrementis, & non in carne. Excrementa ſequuntur corporum ſuperflua, qualia ſunt in hominibus capilli, dentes, & ungues; in beſtiis capilli, dentes, ungulæ & cornua; in avibus ungues, & plumæ, &c. Quod vermis majalis podagrâ, & calculo liberavit Doct. Wierus peculiarem tractatum edidit de arthritide, vagis artuum doloribus, intrinſeco, & occulto ſcorbuto, aliiſque ejuſmodi morbis diuturnis, &, vulgari opinione, incurabilibus, quos majalium vermium, aut ſcarabæorum unctuoſorum medio removere docuit. Nec abs re quidem eſt, quod tàm abjectis, & contemptis vermiculis plus quandoque quàm pretioſiſſimis, & maximè æſtimatis vegetabilium compoſitionibus effectum ſit. Crudi & non correcti hoc faciunt: Si verò lumbrici, ac cumprimis hoſtes ipſorum, nigri, læves, multos pedes habentes & lumbricis ſuccum & vires exugentes illi vermes, ut & lati, verſicolores, venerei illi vermiculi, quorum ſuperius mentio facta, Igneo Menſtruo, corrigerentur, non modò urinam & calculum tutò ac ſine noxâ propellerent, ſed etiam virilem naturam mirè corroborarent, & multis debilibus equitibus ſolatio eſſent. Correcti ſcarabæi virides, cantharides, & muſcæ virides, naturæ venereæ omnes non tantum calculum & urinam pellunt, ſed etiam in podagra, arthritide vaga, & aliis gravibus morbis, qui altas jam radices egerunt,

mirè vires ſuas exercent: omnium tamen efficaciſſimè niger & tardè repens ille vermis Majalis, ſive ſcarabæus unchioſus, quem ſufficiente copia Majus & Junius ſuppeditant. Res tota in eo conſiſtit ut vermes tales Liquore Alkaheſt probè corrigantur, & parentur, antequam in uſum veniant, Scarabæi magni, & cornuti, nucum, ceraſorum, & prunorum ſucco ac reſinis viventes, qui toti balſamicæ ſunt naturæ, ſi correcti ſunt, ut intus, & exterius exhibeantur, maxime ſuadeo, nempè quando membra interna & externa vehementibus punctionibus, & doloribus maximis cruciantur. Formicæ ſalubrem & efficacem balſamum poſſident, & internis æquè ac externis doloribus medentur. Ex iis præcipuæ ſunt quæ in ſylvis abietibus & pinis abundantibus commorantes earundem arborum reſina vitam ſuſtentant, nec reliquarum more foliis & gramine veſcuntur, ſed æſtivis menſibus reſinarum illarum grana copioſa in cavernulas ſuas congerunt, hyberno tempore ſibi alimento futura, quæ ſylvarum iſtarum incolæ cognita habent, conquirunt, & maſtychis loco Pharmacopœis vendunt. Nam efficacia, viribus, forma, & odore Maſtychi ex India venienti reſpondet, quo Gummi forſan nobis non opus foret, ſi hoc noſſemus, quæreremus,& uſurpare ſciremus. Horum & ſimilium inſectorum copia & varietas eſt magna, quorum in medicina magnis proculdubio uſus eſſe poſſet, quæ cum tanta copia, ut vegetabi-

getabilia, & mineralia, acquiri nequeant, uſu eorum ſuperſedetur, utpote quæ rarò quærunrur. Nec etiam neceſſarium eſt quærere & longè petere ea, quæ præſentia antè oculos verſantur. Cuncta, quæ hîc ſcribo, eò ſpectant potiſſimum, ut demonſtrem, omnia venenata animalia corrigendi, veneno ſpoliandi, & in medicamenta ſalubria mutandi vires ineſſe Menſtruo Univerſali, in cujus honorem & gloriam hæc conſcribere coactus ſum. Quod in venenata Mineralia operationem dictam exerceat, jam ſatis ſuperque notum eſt, ut ex ſolo etiam Antimonio clariſſime elucet, quod bis vel ter vulgari Nitro crematum nigrore ſuo penitus viduatur, & albiſſimum colorem induens pulvis evadit diaphoreticus, & ἀλεξίκακος. Idem uſu venit Arſenico & Auripigmento venenis vehementiſſimis, quæ paucarum horarum ſpacio ita mutari poſſunt, ut poſtea ſine omni noxa & periculo intra corpus ſumpta venena maxima debellent, & expellant. Quanquam non opus eſt, ut venenata illa ſubjecta adhibeantur, cum alia plura media ſuppetant. Sufficit demonſtraſſe, Nitro tantas ineſſe vires, ut cujus vis vegetabilis, animalis, & mineralis naturam venenatam invertere, ac venenum in ſalubrem medicinam traducere poſſit. Quoniam animalium vires vegetabilium efficaciam ſuperant, & his duobus mineralia ſuperiora ſunt, in medicina jure in uſum veniunt illa mineralia, quæ efficaciſſima, ſuaviſſima & tutiſſima ſunt.

Interim animalia & vegetabilia ſuum honorem, & locum, ut retineant, volumus, quorum diſcrimen oſtendendo, ut proximo noſtro recte & ſincere inſerviamus, neceſſitas prolixiorem explanationem poſtulat. In genere igitur notandum: Quò maturiora ſunt mineralia, juxta cum animalibus, & vegetabilibus, & quo propius ſoli admota ſunt, & in eo morantur, eò tutius & ſecurius intra corpus ſumi poſſunt. Omnes herbæ, vermes, & animalia calido aëre gaudentia, & in eo commorari amantia tanto, veneno nunquam infectæ ſunt, quanto illæ, quibus obſcura, umbroſa, & tenebroſa loca magis arrident. Nam Napellus, Mandragora, Cicuta & ſimiles herbæ nunquam, aut certe rariſſimè alibi, quam in tenebris & umbra obductis locis reperiantur: Maxime venenata animalia & vermes in terræ foraminibus & ſpeluncis frigidis & obſcuris lubentiſſimè commorantur, & ob aëris calidi defectum venenata manent, ac neceſſario generi humano damnum afferunt, Nitri autem fixi liquore digeſta venenatam ſuam qualitatem deponunt, & medicamenta ſalubria fiunt. Omnis igitur rerum maturatio in calore, venenum verò in frigore conſiſtit, quod vinum & arborum fructus teſtantur, quibus Solis calore ad maturitatem perductis homines ſine noxa veſci poſſunt, crudis & immaturis veſcentes ſtomachum ſuum corrumpunt. Quicquid autem hic de animalibus & vegetabilibus dicitur, de mineralibus & metallis im-

maturis

maturis intelligendum quoque eſt. Quò immaturiora & crudiora, eo magis nocent, & medicinæ faciendæ ineptiora ſunt. Ac metalla quod attinet, de gradu ad gradum perfectionis finem petunt, quemadmodum infans ſenſim ad ætatis gradum ſummum pervenire ſolet. Sicut autem apud hominem in virili ætate conſtitutum plus reperitur, quam apud infantem: ita & apud mineralia & metalla longo temporis ſucceſſu maturationem ſuam adipiſcentia. In quibus cum tutiſſima, ſuaviſſima, & efficaciſſima medicamenta inveniri poſſint, neceſſarium duxi ipſorum dignitatem & gradus paucis detegere, & quaſi ſcalam quandam oſtendere, in qua metalla conſiſtunt, & qui ex ipſorum ſignatura perfectio, quam gradatim conſequuntur, agnoſci poteſt. Metallorum mineras arbori ſimiles eſt judico: Saturnus radix eſt, Mars truncus, Jupiter cortex arborem veſtiens, Mercurius inter corticem & truncum hærens ſuccus, Venus folia viridia, Luna flos, & Sol fructus. Veteres Phyſici metalla 7 præcipua cum 7 Planetis compararunt, quæ comparatio optimè quadrat, cum & Planetæ & metalla ſibi mutuò reſpondeant. Chymici Saturno plumbum, Jovi ſtannum, Marti ferrum, Veneri cuprum, Mercurio argentum vivum, Lunæ argentum, & Soli aurum adſcribunt. Quemadmodum verò ſplendore, virtutibus, & aliis rebus Planetæ ſe mutuò antecedunt, ita & metalla, quod natura ipſorum docet, & ſignaturæ diſcrimen

men ipſorum innuens teſtatur. Veteres certè, quando rem perfectam deſignare voluerunt, rotundo circulo eam notarunt, ac quanto imperfectior res indicanda erat, eo minorem rotunditatem eidem attribuerunt. Solis nota hæc eſt: ☉, circulus nimirum in medio punctum oſtendens. Circulus perfectionem auri, punctum in medio circuli perfectionis originem ſignat. Lunæ ſive argenti ſignum hoc ☽ dimidiis duobus circulis conſtans dimidiam perfectionem loquitur: Ita etiam cum cæteris metallorum ſignis & ſignaturis comparatum eſt. Quò magis ad rotunditatem accedunt, eò perfectioni propiores ſunt, & vice verſa. Sol omnibus ſtellarum nobiliſſimus nobiliſſimum quoque metallum aurum nempe efficit: quod deinceps etiam de aliis metallis obſervandum. Quo perfectiora autem ſunt metalla, eo meliora ex eo exiſtúnt medicamenta. Saturnus ſive plumbum interno corpori haud multum conducit, niſi in Peſte, & aliis calidiſſimis morbis. Externo corpori applicatum humidos corporis affectus, & ulcera humida ſiccat, ac calori omnibuſque inde orientibus affectibus externis medetur. Jupiter ſive Stannum aliquanto calidius Saturno, ſed tamen etiam admodum ſiccum: Mars ſive ferrum calidum & ſiccum, Venus ſive Cuprum humidum eſt & calidum, Mercurius ſive Argentum vivum calidius & humidius, Luna ſive Argentum mediocris caloris & humiditatis, Sol ſive Aurum tandem temperati

caloris

caloris, & humiditatis. Si quid boni jam ex Auro conficitur, cor tanquam nobiliſſimum corporis humani membrum roborat; Pari ratione Argentum cerebro, Argentum vivum epati, Stannum pulmoni, Ferrum felli, Plumbum lieni, & Cuprum renibus vires ſufficit. Sic veteres Philoſophi & Medici metalla diſtribuerunt & diſtinxerunt, quæ in ſtatu ſuo relinquo, quamvis forſan adhuc nonnulla alio modo diſtinguere poſſem. Sed tamdiu manere poſſunt, donec Elias Artiſta adventu ſuo nos ex erroribus noſtris expediat. Ex mineralibus primum nobilitatis locum obtinet Antimonium, auri primum Ens verum, in quo omnium vegetabilium, animalium & mineralium virtutes collectæ, & concentratæ ſunt, ut ſignatura ejus indicat. Signarunt enim id Philoſophi ſphæra rotunda, qua terra depingitur, cum impoſitâ cruce propterea proculdubio, quod terra nullum ad medicinam ſubjectum aptius unquam produxit, ut omnes veri Chymici teſtantur, ſicuti in eorum ſcriptis legere eſt, ac inprimis Baſilii Valentini curru Triumphali de Antimonio, quem in hujus mineralis honorem ſcripſit. Idem teſtatur Philoſophus ille dicens: Aurum & argentum vulgarè non faciunt, niſi ipſorum Primum Ens illud efficiat. Antimonium autem auri verum & genuinum Ens primum eſſe teſtantur non ſolum omnes Philoſophi ſed etiam experientia ipſa quotidiana, ex quâ luce meridiana clarius patet, rarò antimo-

nium

nium aliis in locis reperiri, quàm in ipsis fodinis auri, nec ullum præterea Antimonium dari, quod auro non prægnans sit, ità tamen, ut aliud plus auri, aliud minus contineat. Imò inter auri venas ipsás Antimonium sæpè occurrit, ac proinde quasi immaturum aurum jure vocari potest. Ipse frustum venæ aureæ vidi, quod ex aurifodinis erutum plura continebat pondo aut libras, ac in uno latere aurum purum duræ silici mixtum, in altero verò ipsam antimonii venam nigram. Est locus in Germania Goldgranach appellatus, propè quem in sudetis montibus, Germanis Fichtelberg appellatis, olim multum auri inventum est, hodie autem solum antimonium duris silicibus & scopulis insidens effoditur. Huic immixta est marcasita aurea, quæ ab eo separata, & debito modo præparata optimum evadit medicamentum, de quo postea mentio fiet. Si autem & hoc experientiæ quotidianæ testimonium nobis deesset, testem tamen habemus ipsam veram Alchimiam firmissimè asserentem, quod artis adminiculo ex antimonio aurum verum elici queat. Nec verò hoc solum ars illa incomparabilis præstare potest, nimirum quod antimonium ad veram auri maturitatem perducere soleat; sed etiam ità aurum, animam extrahendo, ita mutet, ut non amplius sit aurum, sed & à quovis antimonii regulo ob formam, volatilitatem, naturam, & proprietates discerni planè non possit. Quamvis autem vel infiniti homines his meis dictis contradicturi

essent,

eſſent, nunquam tamen à ſententiâ meâ me abducent, qui credo, quæ oculis meis vidi. Pluris eſt oculatus teſtis unus quam auriti decem. Qui his contradicunt, nullis aliis fundamentis nituntur, quàm iis, quæ legendo, & audiendo poſuerunt, & experientiæ ipſi neutiquam reſpondent. In mea ſententia conſtans permanſurus re ipſa demonſtrabo, nullum in rerum natura ſubjectum reperiri quod in Medicina Antimonio præponi queat, ſi in veram ſuam Eſſentiam debito modo deducatur. Non præparatum, & adhuc crudum venenum merum, ejuſque uſum cum magno periculo conjunctum eſſe fateor. Qui vitro ejus vulgari, aliiſque ejus rudi modo præparatis medicamentis ad medicinam utuntur, ac damnum ægris inferunt, ſibi, non antimonio, culpam adſcribant neceſſe eſt. In Miraculo meo Mundi, ut & prima Pharmacopœæ Spag. parte medicamenti ex antimonio parati mentionem feci, illudque panaceam appellavi. Superavit hoc captum plurimorum rudium, & ignorantium hominum, quibus veriſimile videri non poteſt, in tàm contempta & abjecta re tàm admirandæ efficaciæ medicamentum latere, quod tanto Panaceæ titulo inſigniendum eſſet: præcipuè cum nonnulli imperiti homines hujus panaceæ loco crudum antimonium ægris exhibuerint, & meam panaceam eſſe dicendo homines ſceleratâ audaciâ fefellerint, ac hoc pacto meam veram medicinam apud plurimos in odium & contemptum ad-

duxe-

duxerint. Ex his eſt infidus ille Farnerus haud minimus, imò cæterorum anteſignanus quem maculam & ſcandalum aliorum jure appellaveris. Per me quidem antimonium odio proſequi unicuique liceret: Sed quoniam illud jam laudibus extuli, & res ipſa etiam proximi emolumentum concernit, intermittere non poſſum, quin laudes ipſius adhuc majori præconio efferam, & reipſa ſtabiliam, medicinam ex eo talem concinnari, qualem ego deſcripſi, ac proinde unicuique ſine præjudicio aliquo de veritate judicanti fatendum eſſe, quod nullum melius, efficacius, & magis innocuum, ac viliori pretio acquirendum medicamentum divitibus juxtà cum pauperibus ſuppetere poſſit, nimirum, ut par eſt, præparetur & exhibeatur. Ut antè bonorum medicamentorum ſtudioſus videat, quod non in antimonio ſolo, ſed etiam in aliis ſubjectis labores meos triverim, antimonii præparationibus adhuc aliorum ſubjectorum præparationes, uſum, & efficaciam deſcribendo adjungam, & ipſe in humani generis, ac ægrorum utilitatem medicamenta illa paranda, & inter egenos diſtribuenda curabo. Hac ratione conſcientiæ meæ ſatisfaciens non accuſabor, quod concreditum mihi talentum ex proximi odio & invidia defoderim. Si quis alius quid boni habet, illud in commune conferat, & miſericordia commotus proximo ſuo inſerviat. Sin nihil habet, aut nihil melius novit; horum contemptu ſuperſedeat, nec ea contemnat,

nat, quæ ipſi ignota ſunt: Quin ægros miſeros iis non privet, quæ ipſis dare non poteſt, ut vir honeſtus & pius maneat. Quantum autem ad medicamenta attinet, de quibus hîc agetur, ea pauca quidem ſunt, ſed talia, quibus poſt Deum confidi poteſt.

De Panacea vulgari ex antimonio paranda antehac ſcripſi, & ejuſdem parandæ rationem docui. Cum verò deſcriptio diverſis tractatibus diſperſa, & obſcurior ſit, nec unus quis illos tractatus omnes habeat, eam deſcriptionem hîc repetere, & in hunc tractatum conjicere conſultum duxi. Præparatio maxima ex parte in calcinatione per nitrum conſiſtit, quod antimonii venenum, & immaturam qualitatem corrigit, & immutat. Poſtea per Spiritum Vini pura pars extrahitur, & extracta per abſtractionem Spiritu Vini liberatur, ac tener, & ſpadiceus fit pulvis, qui efficere poteſt, quæ ipſi hîc adſcribuntur. Manè, antequam quid cibi capiatur, vino, cereviſiæ, calido alicui juſculo, ovo ſorbili, vel pomo aſſo miſtus abſorbetur, ſequente aliquot horarum jejunio, donec ejus operatio abſoluta fuerit. Doſis eſt $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$, 1, 2, 3 aut 4 granorum ad ſummum, & quidem ratione ætatis & morbi, una vice; qua de re Lector Benevolus in primâ hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte, & in Miraculo Mundi plura inveniet, quæ in ægrorum commodum hic etiam apponam.

De communi hujus Medicinæ uſu.

UNiverſalis hæc medicina in omnibus etiam recens natorum infantum, & ſenio confectorum æquè ac fortium hominum morbis naturalibus tutò, & ſine omni periculo, adhiberi poteſt, & quidem in doſi minima, quæ nemini faſtidium aut nauſeam movet, vt vulgarium potionum pocula integra exhauſta facere ſolent. Nam doſis iſta 1. 2. 3. aut ad ſummum quatuor grana non excedit, & commodè juſculo alicui calido, vino, cereviſiæ, aquæ, vel lacti in cochleari aliquo, prout ægri ratio fert, miſta ſorbetur. Diverſis modis operationem ſuam abſolvit, prout quis cupit, aut ægro opus eſt, vel morbus poſtulat. Nam doſis hîc præſcripta ſi obſervetur, inviſibili modo fit operatio, dum radicale humidum roborat, & purgat, & omne noxium mirabili ratione ſenſim ex toto corpore expellit, ſi quotidie, aut poſt alterum vel tertium diem in uſum adhibeatur, ſingulis diebus ſemel, prout cujuſvis conditio & ratio illud permiſerit. Ab omnibus noxiis caſibus & morbis unumquemque defendit, & ne minimam auram venenatam admittit. Si verò doſis augetur, etiam viſibili operatione vires ſuas exerit, & per ſudorem, aut urinam, & ſputum, quandoque etiam per ſuperiora & inferiora omne noxium exturbat, operationemque ſuam pro lubitu cujuſvis exercet, & doſios augmenta-

gmentationem aut diminutionem ſequitur, ut utramque morbi ratio poſtulaverit. Doſi admodum exigua, & ſine viſibili operatione multos morbos, imò maximam eorum partem ſanare ſolet. Sunt verò morbi, qui altas radices egerunt, atque ideò etiam viſibilem operationem requirunt, cum exigua doſi, quæ inviſibiliter operatur, penitus expelli non queant. Ideò cuique, quem hujus medicamenti præparatio & adminiſtratio occupatum tenet, accuratè hoc obſervandum eſt, ut in adminiſtrando hoc medicamento modi rationem habens eundem nec excedat, nec minuat, ac recte faciendo laudem & gloriam conſequatur.

Ut clarius tota res percipi, & intelligi queat, certioribus circumſtantiis, ejuſdem medicamenti uſum, quem mihi experientia ſæpius demonſtravit, in nonnullis morbis graviſſimis, ob oculos ponam, ut ægris conſulatur, & eò minus erroris committatur.

In Peſte, aliiſque æſtuoſis, ac contagioſis febribus, poſt auxilium divinum, hoc medicamentum quotidie dimidii grani ab infantibus, unius ab iis, qui mediocris ſunt ætatis, & duorum, aut ad ſummum trium granorum doſi ſumptum unumquemque præſervat. Sin verò aliquo iſtorum morborum correptus aliquis fuerit, pro ætatis ratione doſis duplicanda, aut triplicanda, ut æger probè tectus ſudare poſſit. Si unâ vice morbo liberatus non fuerit, proximè ſequenti, aut al-

tero die ejuſdem medicamenti doſis repetenda, & ſic porrò pergendum eſt, donec morbus debellatus ejiciatur.

Præſervandi, & curandi modus hic non ſolum in Peſte, ſed in omnibus contagioſis, & frigore aut æſtu impetum facientibus morbis, & in omnibus cujuſcunque generis febribus obſervandus eſt. Aliis medicamentis ægri non indigent, cum hoc ſatis potens & efficax ſit, ſi ſeriæ preces ei adjungantur, ut horribilem, & abominandum illum morbum, peſtem nimirum, ut & pleuræ affectum pungentem, cum febribus vulgaribus, Deo adjuvante abigat: Imo ex cæteris medicamentis etiam optimis nullum eſt, quod huic præſtet.

In epilepſia infantulorum, quorum auxilio tali deſtitutorum magnus numerus morte abripitur, panacæa hæc expertiſſimum & certiſſimum eſt remedium, mox poſt partum recens nato infantulo octavæ aut quartæ partis grani unius doſi in pauco lacte, aut butyro non ſalſo calido in os inſertum, quod tertio, & octavo poſt die repetendum eſt. Si autem poſt aliquot dies, ſeptimanas, aut menſes paroxiſmus iterum ſentiatur, doſis aliquanto validior, ſi infantulo opus fuerit, toties exhiberi poterit, uſquedum morbus abactus receſſerit. Omnibus matribus hoc medicamentum maximè commendo, quandoquidem plurimi infantes aliàs ſatis ſani & valentes ſine auxilio aliquo mortis violentia abripiuntur. Medico-

rum

rum nonnullorum error hîc jure taxandus eſt, qui infantulis vitra aquâ perlarum nullis viribus pollente plenâ, lapidis bezoar pulverem cum vel ſine aqua, & ſimiles res inutiles infundunt.

Provectioris ætatis homines quotidie unius, duorum, aut trium granorum doſi utantur, ſi ipſis commodum fuerit; ſin minus, ſecundo, aut ad minimum quarto die poſt doſin iterent, idem tam diu faciendo, uſque dum morbus victus abierit. Non neceſſe eſt, ut aliquid aliud adhibeant, hoc tantummodo obſervantes, ut illo die, quo hoc medicamento uſi ſunt, frigidum aërem vitent, & 3 aut 4 horas ad minimum à cibo abſtineant.

In lepra & ſimilibus morbis deteſtandis, quocunque nomine etiam appellentur, ac omnigena ſcabie nullum reperitur remedium, quo ſine omni moleſtia & labore affectus iſti facilius tollantur, ſi hoc unum excipias, quod nunquam ſperato effectu carebit, ſi æger earum adhuc eſt virium, ut curam ſuſtinere queat.

In deteſtando & venenato morbo meretricum, qui Morbus Gallicus appellatur, hoc medicamento nil tutius, nil ſecurius adhiberi poteſt, ſi doſis eouſque, tantum augeatur, ut non ſolum validus ſudor erumpat, verum etiam vomitus & ſedes excitentur, ac alternis diebus medicamentum exhibendo tam diu pergatur, donec æger convaleſcat, quod 8, vel 14 diebus fieri poteſt.

Hydrope obrutus æger quotidie doſi una uta-

tur, & aliquot horas poſt medicamenti uſum à cibo abſtineat, quod & in aliis morbis factu neceſſarium eſt, ſed non tàm fortiter, ut gradatim tantummodo ab uno grano ad alterum aſcendatur, uſque dum nauſea ſine vomitu exoriens moneat, quantâ doſi ægro opus ſit, aut quantam ipſe ferre queat. Quod cum fit, poſtea doſis uno aut altero grano diminuenda, & diminutio eouſque continuanda, uſque dum omnis aqua per ſudorem, urinam, & ſedes exturbata, & æger priſtinæ valetudinis compos factus fuerit. Nec eſt, quod quiſquam dubitet, an hic morbus, niſi planè deploratus fuerit, ſolâ hâc meâ panaceâ radicitus tolli poſſit, cum experientia illud ſole meridiana clarius demonſtrare ſoleat.

In Podagra morbo cum leprâ & hydrope apud Medicorum vulgus incurabili habito hoc medicamentum admiranda operatur, & brevi temporis ſpatio plura efficit, quàm quis opinari aut credere poſſit, ſi modò rectè adhibeatur. Brevi enim tempore affluxum noxiorum humorum retrahit, & inviſibiliter ex corpore humano educit, ità ut de die in diem dolores pedetentim remittant, tumores minuantur, & paroxiſmus tolerabilior evadat, tardius revertatur, ac tandem penitus evaneſcat. In Doſi obſervanda ea, quæ in hydrope modò docuimus, nimirum ut uni grano quotidie augmentum dictum accedat, ac tandem adveniens nauſea doſin uno ac altero grano diminuendam oſtendat. Æger hoc quotidie jejuno

no ſemper ſtomacho faciat, in calore ſe contineat, ac quatuor horas poſt medicamenti uſum à cibo abſtineat, neceſſe eſt, quam diu opus fuerit. Hæc, quæ dico, plures forſan offendent credituros, fieri omninò non poſſe, ut talis ac tantus morbus ab omnibus ferè incurabilis habitus, dicto medicamento extirpari poſſit: quam ipſorum opinionem in malam partem interpretari nequeo, cum & ipſe ante paucos adhuc annos, priuſquam hujus medicamenti miram efficaciam expertus eram, eadem opinione imbutus fuerim. Sed poſtquam experientia me aliud docuit, ut aliter jam judicare poſſim, verè ac ſanctè aſſero, quod hic morbus neutiquam incurabilis ſit, ſed bono & commodo medicamento (ſi modo non nimium inveteratus fuerit, & ægri vires ob ſenectutem & imbecillitatem medicamenti operationem ferre non recuſent, & Deus ipſe benedictionem ſuam non ſubtrahat) ſi non radicitus extirpari, maxima tamen ex parte expelli poſſit. Non eſt autem cur aliquis ſibi perſuadeat, ſi panacea hac utatur, perinde eſſe, ſive ſobriè vivat, ſive quotidie noxiis, & vetitis cibis ſtomachum ſuum farciat, & vinum pro lubitu ingurgitet. His toto cœlo errantibus vel ipſe Philoſophorum lapis morborum omnium extirpater decantatiſſimus adjumento foret. Quicquid enim præſtantiſſima ejuſmodi medicamenta antè meridiem emendarent, & corrigerent, illud pomeridiana crapula, & copioſius cibi & potus exceſſus iterum deſtrue-

ret & corrumperet. Nec locum hic etiam habet eorum opinio, qui putant, ab hoc morbo se liberos fore, si modo à vini usu planè abstineant. Nam non semper vini potus hunc morbum procreat, cum notissimum sit, hoc morbo affligi quandoque etiam pauperrimos, qui nunquam vinum biberunt. Unde non soli vino culpam imputandam manifestum est. Unaquæque repletio, sive vino, sive cerevisia nimia fiat, morbum quidem procreare, & augere, sed non sola potest. Plures aliæ sunt causæ, ex quibus hic morbus exoriri solet. Ira frequentior profectò viscerum internorum œconomiam vehementissimè perturbat. Libido, & frequens sexus sequioris usus, qui plerunque tanquam pedissequus ebrietatem comitatur, vires corporis vehementer enervat, & debilitat. Hinc natura enervis & debilis quisquiliis & excrementis copiosis, ac à nimio potu & cibo relictis ex corpore expellendis non sufficit, ac proinde excrementis illis in corpore manentibus, & pro lubitu vires suas exercendo gravissimos morbos procreantibus non resistit. Nam qua parte natura imbecillior est, ea hostis primum impetum facere studet, ut proverbio Germanorum vulgari hîc sit locus, Sepem quisque conscendit, quâ parte humilior est. Idem plærumque in hujus morbi procreatione usu venire solet, quando nimirum corpus nimio cibo & potu gravatur, & repletur, nimia vini fortioris ingurgitatione obruitur, & mox sequente coitu immo-

immoderato maximè debilitatur. Etenim Natura hoc pacto debilitata ſatis virium non habet, ut expellat excrementa illa reſidua, quæ ſummo totius corporis damno & incommodo vires acquirunt, & ſibi ſedem fixam parant, quod probè de hoc morbo notandum eſt.

Porrò Medicamentum hoc longè efficacius, quàm omnia alia medicamenta, reſiſtit omnibus lienis & hepatis obſtructionibus, quæ ſanguinem corrumpunt, & graviſſimos morbos, ut ſcorbutum, dolores arthriticos, eryſipelatas, diuturnos capitis dolores, membra debilia, fœtentem anhelitum, & apud mulieres matricis ſuffocationem, menſium ſuppreſſionem, cordis palpitationem, ſyncopen, lipothymiam, vertiginem, & ſimiles plures cognitos, & incognitos morbos excitant. His morbis omnibus dictum medicamentum medetur, pro morbi ratione ſæpius aut rarius ſingulis ſeptimanis adhibitum, & miros effectus producens.

Præterea hoc medicamentum omnibus illis commendo, qui Chirurgiæ operam dant, ut ejus tanquam ſummi remedii, quod nanciſci poſſunt, rationem habeant. Nam quotidie doſi parva vulneratis propinatum omnia recentia carnis vulnera ſine ullarum potionum vulnerariarum adjumento, & externorum, ac ex plurimis ſimplicibus compoſitorum emplaſtrorum impoſitione ſanat. Omnia enim ſymptomata prohibet, ſanationem ab interiori fundo ad exteriorem partem promo-

 vet,

vet, & consolidationem absolvit, quod tamen de iis vulneribus intelligendum, in quibus ossa non læsa aut fracta sunt, quandoquidem ad hæc & manualis ars requiritur, quæ ossa fracta iterum componat, & reponat. Profundæ item punctiones more solito, & ut ipsæ operationes Chirurgicæ postulant, turundis necessariis obturandæ sunt. Præterea nihil externi adhibeatur necesse est, nisi propria ægri urina, & aqua salsa, quibus vulnera lavanda, & post ablutionem puro linteo tegenda, ne ab aëre frigido lædantur.

Si autem vulnera periculosa & nimis magna essent, ipsis adhuc balsamus aliquis vulnerarius, & emplastrum ex floribus mineralium aut metallorum, cera, terebinthina & oleo compositum (qualia emplastra in aliis meis scriptis componere docui) adhibendum est. Ita non necesse est, ut tot olea, unguenta, emplastra, & similia vulneribus recentibus applicentur, si hoc nostrum medicamentum quotidie vulnerato alicui absorbendum detur.

In apertis, fistulosis, putridis, & fœtentibus ulceribus cum admiratione hoc medicamentum officio suo fungitur, nec externis remediis ullis opus est, nisi balsamo aliquo minerali, ulcus purum conservante, & communi ex cera, & terebinthina emplastro aërem frigidum arcente. Sic enim hoc medicamentum ab interno fundo sanationem ordiens eam feliciter usque ad externam cutem deducit, & omnia ulcera, sine ullis

aliis quàm dictis remediis externis penitus consolidat, & perfectè curat.

Postquam autem éa mentem meam incessit meditatio, quod non cujusque sit medicinam præscriptam parare, & tamen plurimi inveniantur, qui ejusdem participes reddi velint, consultum mihi visum fuit hanc adjungere admonitionem, & ab iis, qui hoc medicamentum parare noverunt, postulare, ut eos, qui modum præparationis ignorant, ejusdem etiam Christiana dilectione moti participes reddere non graventur: Non autem perversi mundi more suo proprio commodo tantum studeant, & divitias corradant, sed impensis sumptibus, & laborum præmio æquo & honesto contenti sint. Quia etiam medicamentum sæpe dictum tam in forma pulveris quam in forma liquida in alia loca transmissum non ab unoquoque debito modo adhiberi posset, dum in guttarum mensuratione & granorum ponderatione error facile committeretur, & aut plus aut minus applicaretur, necessarium omnino duxi, ut tanto minus in ejusdem administratione erroris committatur, illud in pillulas redigere, ita ut una pilula unum granum, duæ duo grana, & sic deinceps conficiant, & ægro mensuratione, & ponderatione opus non sit, sed tantum pro morbi ratione, ex præscripto meo una, duabus, tribus, quatuor, aut pluribus pilulis una vice uti queat.

Atque hæ sunt panaceæ meæ ex Antimonio confe-

confectæ virtutes præcipuæ: Quæ restant, & hic brevitatis causâ omittuntur, ex circumstantiis descriptis facilè ab unoquoque judicio non carente intelligi & agnosci possunt. Earum tamen etiam in hujus tractatus libro primo facta est mentio. Ideo adhuc testor, quod omnia, quæ huic medicamento adscripsi, imo longè plura (si benè ac ritè paretur, & administretur) illud præstare & efficere possit, præcipuè si seria divini Nominis invocatio accesserit. Nam preces, & fiducia in Deum quamvis medicinam roborat, & benedictione sua fortunat, quamvis impius hoc credere aut audire nolit. Medicamentum quidem aliquod, divino permissu, sine precibus pristinam alicui valetudinem restituere ac panis sine gratiarum actione famem sedare potest, quod apud irrationales creaturas quotidie usu venire solet: Sed hæc donorum Dei fruitio bestialis, & non humana est: Illa autem verè Christiana, quando in morbis Dei auxilium invocatur, & postea medicamenti usus admittitur; Quam medicamentis utendi rationem felix eventus necessario sequitur. Quod vero tibi persuadere velis, quod hujus medicamenti operâ quivis morbus, quantumvis inveteratus, sine omni discrimine tolli certè possit, vehementer erras. Hîc nos de ejusmodi morbis loquimur, quibus naturalia remedia, permissu divino, mederi possunt. Quandoque in hominibus interna viscera crassis humoribus adeo constipata, & obstructa sunt, ut vel

vel efficacissimis medicamentis liberari nequeant. Nonnunquam pulmo & epar ferè penitus computruerunt, antequam verus medicandi locus quæratur: Quis autem, quæ jam amissa sunt, restituet? Non iterum hominibus interna viscera, & præcipua membra semel amissa crescunt, ut cancris chelæ, & araneis pedes, quos fractos amisêre. Aliquando etiam Deus homini morbum aliquem imposuit, cujus curam permittere recusat. Tales & similes morbi ut naturalibus mediis tollantur, fieri non potest. Apud Deum omnia sunt possibilia, qui solus in ejusmodi morbis opem & auxilium ferre potest, quandocunque vult; opitulari autem præter ipsum solum nemo potest. Sunt ergo morbi incurabiles, qui panacea mea curari nequeunt, & non Quartana, Lepra, Podagra, Epilepsia,& Hydrops,ut maxima hominum pars opinatur,quamvis experientia contrarium testetur. Ac licet omnes morbi humani cum ipsorum annorum & ætatum progressu in deterius vergant, & molestiores evadant, ac cum ipsis peccatis crescant, & augeantur, benignissimus tamen Deus hoc etiam largitus est, ut magis ac magis efficaciora remedia naturalia ab omnibus diligentibus instinctu divino inveniantur, ac proinde nunquam finiatur auxilium Dei, qui vulnerat quidem, & postea iterum sanat, ac omnipotentiam suam ostendit. Optandum sane esset, ut inutiles concertationes, & vanæ doctorum & philosophorum dispu-

diſputationes & velitationes tandem finem invenirent, & in earum locum timor Dei ſuccederet, ac nobis alium mundum daret. Nam timor, & vera Dei agnitio ſingulare in hominibus lumen accendunt, quo quicunque caret, Andabatarum more pugnans in tenebris craſſiſſimis verſatur, ac in Naturæ myſteriis talpa cæcior eſt. Maxima hominis cura, opera, diligentia, & labor hodierno tempore in eo potiſſimum conſiſtit, ut proximum ſuum odio habeat, contemnat, oppugnet, imò penitus deteſtetur, & anima ac corpore orco devoveat; quod tamen fieri non deberet, cum Deus nolit, ut unus homo alterum condemnet, ſed ſibi ipſi vindictam, & pœnam reſervarit. Ubi amor proximi deeſt, nec ſalutis alicujus ſpes eſt, quocunque modo etiam opinio concepta defendatur. Quid commodi arbor ſine fructibus in commune conferre poteſt. Multo garritu, & eleganti diſputatione ſatisfieri nequit Deo humile & obſequium debitum præſtans cor tantum quærenti, & purum idem requirenti, in quo Spiritus Sanctus habitare, & nos in omnem veritatem deducere queat. Ubi hoc non offendit, eodem etiam non venit, & ſuperbum ac litigioſum cor Satanæ mendaciorum parenti, ac tenebrarum cuſtodi poſſidendum relinquit. Hinc tot lites, tot diſcordia, & tot contentiones in perverſo hoc mundo oriuntur, ac vera Dei Naturæque agnitio (cujus nihil ferè ſupereſt) ſupprimitur

mitur & amittitur, totuſque mundus magis opinionibus errantibus, quàm ſcientia vera regitur. Ob vanitatem igitur infinitam, qua doctorum cohors ingenia macerat & tempus terit; Naturæ myſteria admiranda, ſummo hominum incommodo in tenebris ſepulta, & planè incognita manent.

Sola & unica hæc eſt cauſa, cur tam exigua Naturæ cognitio his temporibus apud Doctos inveniatur, quod Deus aliquando mutabit, ac in meliorem rerum ſtatum transferet.

Sed hæc de Vulgari Panacea Antimoniali dicta ſufficiant. Nomen hoc Panacea invidorum nonnullorum oculos configit, qui hoc medicamentum tali nomine indignum judicant, cum ex tàm abjecto, & contempto ſubjecto paretur, & etiam quandoque nimis imperitè tractatum vehementes vomitus excitet, quod nulli Panaceæ convenit. Ut his reſpondeam, Panaceæ nomen medicamentum denotat, quod in omnibus morbis cum fructu adhiberi poteſt, quod Panacea ex Antimonio etiam præſtare ſolet, ut quotidiana experientia teſtatur. Quod autem ex vili & à multis ignorantiæ fratribus contempto ſubjecto petatur, nomini nihil derogat, ſi modò medicamentum ex eo evocatum ea præſtet, quæ de ipſo prædicantur. Quid Davidem contemptu illum paſtorem ad regnum evexit? non vile nomen, non vilis ortus: quod idem & de hoc medicamento intelligendum eſt. Nobiliſſima efficacia,

&

& operatio ipsi hoc nomen attribuit, non vilis ortus, non contempta nativitas, & forma abjecta. Nec impedimento quoque est hoc, quod ex abjecto & ab ignorantibus contempto subjecto paretur, quod ante præparationem venenum fuit, siquidem venenum jam artis & ignis opera in salubre medicamentum transmutatum est; cujus fortior operatio vehementiores vomitus excitans non ipsi medicamento, sed abusui adscribenda. Optimum vinum, & fragrantissimi odoris aromata homini iis abutenti venena sunt. Optimam medicinam abusus in venenum, hoc autem ipsum ars & ignis in medicamentum convertere & possunt, & solent. Quod sæpius dixi, hîc repeto, & Deum ac veritatem testor, me nullum unquam subjectum reperisse, quod commodius in salubrem medicinam transponi possit, quam vile & contemptum Antimonium, quod in pauperum usum præparandum curabo, ac divitibus commendabo Panaceam auream purpuream, quæ eandem cum priore efficaciam habet, sed in eo ab illa differt, quod lenius operetur, in operatione adhuc minus sensibilis sit, infantibus æquè ac senibus longè tutius adhuc adhiberi queat, & in dosi duplicanda sit. Paucorum ab hinc annorum spacio plures summæ & imæ conditionis homines, hujus medicinæ opera, non solum podagra, sed etiam aliis morbis gravibus & inveteratis liberati sunt; nec unquam audivi, quamdiu ipsam præparatam in proximi mei commodum adhibui, quod

ſine fructu aliquo ejus uſus abierit; nec eſt, cur quis vereatur, ne, ut in vulgari Antimoniali medicamento, ejus abuſu aut exceſſu peccari queat. cæterum aurea hæc medicina rarò ægris vomitum excitabit, niſi petulanti abuſu modus excedatur, aut doſis nimium extendatur. Eâ de causâ aurea hæc medicina impoſterum in forma pulveris purpurei & vulgaris antimonialis, quoniam rubrum pulverem referens facile imitando effingi, atque ita loco Panaceæ ægris malè præparatum antimonium vendi poſſet, non niſi in forma pilularum, quarum quævis unius grani pondere conſtabit, ne ægri ſive ponderatione ſive applicatione errorem committere poſſint, apud me reperientur. Illa vulgari ætatis mediocris & adultioris homines uti poterunt. Auream lenius & tutiùs operantem infantibus, & ſenio confectis ac debilibus perſonis commendo. Antimonialis in forma pillularum maxime commoda eſſe poſſet in navigationibus iſtis longinquis in Orientalem & Occidentalem Indiam inſtitutis, in quibus milites, & nautæ ſcorbuto vehementer vexantur & debilitantur, & parum tamen remedii ex medicamentis, quæ penes ſe habent, ſentiunt; cum hoc medicamentum ipſis tantum auxilii ferre poſſit, ut fortiori & lætiori animo iter ſuum confecturi eſſent. In tota enim rerum natura mihi nullum ſubjectum hactenus innotuit, quod majori efficaciâ omni putredini, ſanguinis & internorum membrorum oppilationibus ſe oppo-

F nere

nere poſſit, quàm medicina hæc, quam milites & nautæ tanto pretio non vendibilem, nec etiam corruptibilem facili negotio ſecum habere, & caſu neceſſitatis incidente ad uſum adhibere poſſunt. Nullum medicamentum in mundo toto commodius, nullum ſalubrius tàm nautis in mari vaſto plures menſes verſantibus, quàm militibus in caſtris omnis generis incommoditates & moleſtias tolerantibus, & vitam inordinatam degentibus invenietur. Ideò Chirurgi in navibus pariter ac caſtris ſi hoc medicamento inſtructi eſſent, plurium profectò nautarum, & militum vitam conſervarent, ac unica uncia exiguo pretio comparandâ, ex quâ aliquot doſium centurias conficere poſſent, facile plus, quam tota ſua arca parvarum virium medicamentis repleta, effecturi eſſent. Si Medicus, aut Chirurgus aliquis caſtra ſequens aliquot ſaltem uncias in promptu haberet, pluribus millibus vitam conſervaturus eſſet, quibus alias miſerè pereundum foret. Medicamentum eſt portatu & conſervatu facile, cujus rationem jure ac merito habendam aſſerimus, cum exercitui Imperantis multum interſit, ut militibus peſte, ſcorbuto, dyſenteriâ, febribus malignis, aliiſque morbis ſimilibus oppreſſis, quibus ut muſcæ frigore ingruente, catervatim pereunt, auxilium præſens feratur: His morbis omnibus medicamentum hoc incomparabile facili negotio reſiſtit. Eâ de causâ operam dabo, ut hujus medicamenti copia inpoſterum apud me reperiatur,

tur,

tur, & ejusdem compotes fiant ii, qui necessario ejus usu indigentes illud apud me quærent. Fungar officio boni Christiani, qui non sibi ipsi soli, sed etiam proximo suo natus eidem auxilio esse debet, quemadmodum manui manus, & membrum membro auxiliatur, quod certè unicuique necessarium quisque majori cura observare jure ac meritò deberet. Hanc antimonialem in forma pilularum, & auream purpurei coloris panaceam sequitur Nepenthes meum, seu medicamentum anodynum omnes dolores sedans, quod ex opio correcto, Croco extracto, & vitrioli sulphure volatili componitur. Opium stupefactivum, & soporiferum esse neminem latet, cum ejus correctio, & præparatio à multis descripta, & tradita extet. Etenim quia animadverterunt, quod nonnunquam imprudenter adhibitum, non soporem solum attulerit, sed etiam soporis fratrem mortem advexerit, ità ut ægri sopore æterno sopiti expergefieri rursus non potuerint (medicamentum scilicet laude dignum, & gloriam ingentem concilians) venenum hoc adimere nescientes summo studio in id magis ac magis incubuerunt, ut opium corrigerent, & vim istam venenatam domarent. Fortiter itaque siccatum, & in pulverem redactum, aut spiritu vini, aut aceto solverunt, aut extraxerunt, menstruisque his per distillationem abstractis ad mellis consistentiam extractum opium deduxerunt, eique croci optimi partem aliquam immiscuerunt, quo

venenatam Opii qualitatem domare & corrigere conati sunt. Alii pulverem illum anisi oleo, storace liquida aut croco extracto (quæ simplicia sine opio soporem conciliant) miscentes massam confecerunt, & correctionem optimam judicarunt, utpote quæ in omnibus apothecis ubique hactenus usitata à Medicis in plurimis gravibus morbis admodum feliciter quandoque exhibita est, & hactenus jure in usu mansit, cum melior & tutior reperiri non potuerit. Sed cum melior & tutior jam reperta sit, æquum est, ut hæc admittatur, & illa vilior omittatur. Ab eo tempore, quo Solventis Universalis, sive humidi, & frigidi ignis usus mihi innotuit, multa ejusdem subsidio subjecta indagavi, & correxi, ac inter alia etiam opium meo modo in Nitri liquore solvi, ac paravi, & insignes in eo effectus animadverti, præcipuè quando ipsi adjunxi Sulphur vitrioli volatile, quod aliàs insigne & incomparabile somniferum & anodynum miro successu omnes dolores sedat: Addidi his quoque croci essentiam cordis vires mirè roborantem. Opium non correctum est vehemens stupefactivum Saturninum, quod immodico stupore vires vitales quasi constringit & suffocat, adeò ut frequens ejus usus homines pallidos reddat & faciat, ut plærumque ore & oculis apertis dormiant, & prius difficulter excitari possint: quàm operationem suam ad finem perduxerit: quâ de causâ etiam plures ab usu ejus merito abhorrent. Olei anisi, & croci additio

tio ejus sævitiam quidem aliquatenus inhibere, sed penitus domare non potuit, quod tamen hoc modo factu facile est, nimirum quando opium in pulverem redactum, Spiritus vini aut aceti loco. Vitrioli spiritu volatili solvitur, per chartam bibulam colatur, cum contrario liquore nitri præcipitatur, aqua communi eluitur, exsiccatur & cum essentia croci in massam præparatur, in qua operatione sulphur vitrioli narcoticum opio, quod longè melius est, se adjungit, illudque spiritu suo sulphureo, & acido corrigit. Quod autem Spiritus vitrioli ad hanc rem aptissimus sit, Lectori Benevolo ostendam. Vulgare vitriolum ut plurimum sale Sulphureo, & ferrum, aut cuprum continente terrâ constat. Quando autem illud per ignem distillatur, Spiritus Salis ex Marte volatilem & Sulphureum spiritum secum abripit, qui contrario aliquo præcipitatus Sulphur subtile narcoticum, paucum quidem, sed efficacissimum dabit, de quo in secunda furnorum meorum parte mentionem feci. Sin verò æquali pondere limatum ferrum, ut scoria ferri per malleum ab incude deturbatâ Vitriolo calcinato cum dimidiâ parte Salispetræ addatur, & ex his materiis conjunctis aqua eliciatur, Spiritus Nitri majorem Spiritus Martialis copiam secum abducit. Hic Spiritus Volatilis Sulphureus à Spiritu corrosivo distillatione finita per rectificationem separandus, & in vas recipiens aquæ communis aliquantum continens eliciendus est. Hoc Spi-

ritu vol.tili rectificato, non autem corrosivo illo, qui in rectificatione in fundo vasis remansit, ad opii solutionem & correctionem utendum est. Quanquam autem etiam antehac nonnulli diligentes Chymici Sulphur hoc Narcoticum in Vitriolo juxta mecum odorati sint, parum tamen in ejus præparatione effecimus. Tandem aliquando, cum quodam tempore Vitriolo calcinato ferrum limatum addidissem, ut Aquam fortem distillando evocarem, casu retorta maxime candens rupta est, ut materia in ignem delaberetur, ex quâ tam ingens fumus sulphureus per laboratorium meum se diffudit,ut in eodem manere non potuerim; prunis igitur summa celeritate ex furno exemptis, ob angustias & suppressiones, quibus me Spiritus ille obruerat, ægrè per januam ex laboratorio evasi, & aëre recente recepto ad me redii, atque totam domum fumo illo repletam animadverti, cujus emittendi causa fenestras & januas ædium omnes aperui. Hoc labore occupato mox aliud ingruebat periculum à prunis ardentibus, quæ ex furno extractæ,& candentes proximos carbones inflammaverant. Instans ergo incendii periculum ut in aquæ defectu declinarem, & nocturno hoc tempore evitarem, ad cæteros in camera dormientes accurri, ut surgentes aquam peterent, & mihi incendium extincturo auxiliarentur. Arctissimè tamen dormientes frustra inclamanti & agitanti ad incendium restinguendum, quocunque modo possem,

redeun-

redeundum fuit. Hoc sedato in cameram rediens, ut quid agerent, viderem, omnes arctissimo somno oppressos reperi, adeò etiam, ut sudor per faciem omnibus manaret, quamvis tempus hybernum esset. Postquam illuxisset, expergefacti surrexerunt, quibus periculum narravi, & quod ipsos expergefacere non potuerim. Omnes verò se somniasse fatebantur, quod gravi re aliqua oppressi se movere non potuissent. Ex hoc casu duo didici; primum, quod in Vitriolo & Marte Sulphur summè narcoticum delitescat; alterum, quæ causa sit, quod nonnunquam homines, melancholici præsertim, nocturno tempore, se aliquâ re oppressos non tamen expergefieri posse, somnient. Sulphurei nimirum, Martiales & Saturnini vapores, qui cerebrum & cor in angustias tales conjiciunt, & quasi vinculo Spiritus Vitales constringunt, somnia talia causantur. Retorta igitur rupta mihi medicinam præstantem, & morbum eidem subjectum detexit, adeò ut nihil tàm malum sit, ex quo boni quid quandoque emergere non possit. Hanc historiam bonorum medicamentorum studiosis gratificaturus ad præcedentia adjungere operæ pretium duxi, eâ spe fretus quod nemini tædium paritura sit. Consider
ratione quoque dignum est, quod in eodem casu uni ex infantibus dormientibus evenit, cui capite admodum phlegmatico prædito hujus fumi efficacia Catarrhi adeò soluti sunt, ut posteà sano capite semper fuerit. Hinc in Vitrioli Sul-

phure plura, quàm credi posset, inveniri conjectura providebam, & cum opio correcto illud conjungebam, cujus medicinæ frequenti usu plures infantes ab epilepsia liberavi, & prætereà comperi, quod & ætate provectioribus, & senibus maximè conducat, eâ tamen conditione, ut Panacæa mea antimonialis mediocris ætatis hominibus, & infantibus ac senibus aurea panacea prius adhibeatur; quibus præmissis præstantissimum hoc Nepenthes eo melius & commodius vires suas exerere potest. Cæterum hoc medicamento omnes interni dolores, animus inquietus, mentis alienationes in febribus sedantur, quietus & lenis somnus conciliatur, venti & inflationes infantum ac adultiorum ventres & intestina affligentes arcentur, ingenium bonum, & hilaris animus conciliatur, omnes feri, inquieti, & cor, ac cerebrum turbantes spiritus compescuntur, ac sopiuntur, spiritus vitalis humoribus corruptis victus & suppressus in pristinam libertatem vindicatur, & amissæ corporis vires adeò feliciter restituuntur, ut evidentissimum auxilium mox percipiatur ac inprimis quidem, si opium Spiritus Vitrioli volatilis operâ probè correctum fuerit. Hoc idem commodè etiam Nitri liquore fixo corrigi, & per Spiritum Vini extrahi, ac in essentiam redigi posset: Sed hæc per Spiritum acidum facta correctio illâ, quæ per Nitrum fixum fit, melior & commodior est. Nam in correctione per Nitrum fixum essentia correcta extrahenda

est

eſt per Spiritum Vini, qui Opii vires nimis volatiles & penetrantes efficit, quod hic non quæritur, cum longè melius ſit, ut opium tardè, & non adeò validè hoſtem ſuum aggrediatur, quod neceſſarium omninò eſſe experientia ipſa teſtatur. Præſtantiſſimum igitur hoc medicamentum una eſt quatuor columnarum cardinalium, quibus tota medicina innititur. Panacea * Antimonialis præſtantiſſimum & tutiſſimum eſt purgans omnibus pravis humoribus ex corpore exturbandis aptiſſimum: Panacea aurea optimum & excellentiſſimum eſt diaphoreticum, & ſudorificum: Opium autem correctum & Sulphur Vitriolatum eminentiſſimum eſt anodynon, & ſomniferum medicamentum.

Diureticum, & Nephriticum ex aliquot vermibus, ſpiritus cujuſdam vegetabilis appropriati operâ, extractum, & excellentibus viribus præditum.

℞. Cantharidum ℥ j. Aſellorum ℥ ij. in Phiolam immitte, iiſque ℥ iij. Spiritus Nitri affunde, ac leni calore vermiculos ſolve, ut in aquam redigantur, quod paucis horis fiet; aut aliquot dies & noctes in cellâ aliquâ relinque, in quâ æque ac in calore ſolventur: Huic ſolutioni poſtea adde lumbricorum ℥ iij. & per dies aliquot adhuc in cellâ relinque. Omnia ſoluta per tenerum & denſum linteum infundibulo vitreo impoſitum

 cola,

cola, ut ſolutio à fecibus ſeparetur, quæ ſi adhuc craſſiores fuerint, probè digitis linteum comprime, ut tota ſolutio à fecibus ſejungatur. Feces in linteo reſiduas abjice. Solutioni per infundibulum in vitrum collatæ affunde Nitri fixi liquorem ſenſim, & tamdiu, donec omnis ebullitio ceſſaverit, & omnia probè præcipitata fuerint. Omnibus peractis liquores effundendo à vermiculis ſepara, & coagula, ut in ſalempetræ porrò ad alios uſus adhibendum revertatur. Vermiculos præcipitatos aquâ communi probè ab omni ſalſedine libera, & leni calore ſicca, ut in pillulas formari, aut in electuarium redigi poſſint; quod medicamentum 1. 2. 4. 6. 8. & ad ſummum 12. granorum doſi, pro ægrorum conditione in renum & veſicæ calculo tutiſſimè & ſine omni periculo uſurpari poteſt, quippe quod urinam, & ſabulum, ac tartarum in renibus & veſica nondum concretum educit. Si quis cupiat, ut majori efficacia vires ſuas exerceat, ſolutos, præcipitatos, aquâ lotos, ſiccatos, & correctos vermiculos ſpiritu aliquo ardenti ex ſaxifrago, petroſelino, juniperi baccis, fraxino, aut ſimilibus calculum pellentibus herbis extrahere poterit, ut iterum feces ſeparentur, & ſpiritus puriſſimam eſſentiam attrahat. Hic in Balneo leni calore ſeparatus in fundo relinquit eſſentiam rubro balſamo ſimilem, quæ in nominatis morbis longè ſuavior, commodior & jucundior eſt, quam antè extractionem in pulveris, pillularum, vel electuarii formâ fuit.

NB.

NB. Si ex lumbricis Venereum medicamentum parandum esset, Cantharides, & aselli omittendi, & lumbricis dimidia pars adjungenda est vermiculorum illorum Venereorum, qui æstivis mensibus gregatim in hortis asseribus putridis, & muris vetustis adhærent, his addenda boleti cervini pars quarta, & omnia paranda eo modo, quem docuimus, & præscripsimus. Lumbrici autem colligendi sunt eo tempore, quo terra post frigus se aperit, & persodi potest, ut vermes isti acquiri possint, antequam ex terra eruperunt, & coitu mutuo se enervarunt, cum ita acquisiti miris viribus polleant, & longè efficaciores, quam postea existant. Hi vermes soluti, præcipitati, & communi aqua probè loti, si adhuc semel per Spiritum Ardentem ex Satyrio, lupulo, aut asparagi radicibus parato extrahantur, & in suavem essentiam redigantur, medicamentum contra impotentiam præsens, & efficax evadunt.

Omnia diuretica, ac præcipuè lumbrici, maturata & correcta appetitum Venereum roborandi vim habent. Correctio autem ipsorum non fit culinario, & fœminis usitato modo, ubi vinum, saccharum, aromata, & similia subjecti alicujus corrigendi causâ adduntur. Peragenda verò est ignis beneficio, more Philosophico sine aliarum rerum additione, non quidem igne culinario, sed Philosophico illo humido, vaporoso, digerente, alterante, penetrante, maturante, emendante, conservante, & in gradu æquali semper

per

perdurante igne, qui in Nitro quærendus eſt. Magnus in vegetabilium decoctionibus error committitur, dum herbæ, flores, ſemina, & ſimilia liquoribus nonnullis, aquâ nimirum, vino, cerevifiâ ſimilibuſque igne ſubjecto decoquuntur, & decoctum, quaſi omnes herbæ vires extraxerit ægro potandum exhibetur, nec interea animadvertitur, quod in ejuſmodi decoctione penetrans & efficax ſpiritus ac ſuave oleum cum aqua evaporante in auram evanuerit, quod tamen facilè olfactu ipſo ſentiri poſſet, cum in ejuſmodi decoctione vapor exiens ſuaviore ſemper odore præditus ſit, quam reliqua, quæ remanent, & in medicinâ uſurpantur, quod nemo negare poteſt. Cur herbarum aquæ in Pharmacopoliis, in quibus magnâ copiâ ad uſum adhibentur, & divenduntur, non amplius in Balneo per ſe, ſed maximam partem per veſicam additâ aquâ communi, ne aduſtione lædantur, diſtillari ſolent? De quibus etiam dicitur, quod ejuſmodi aquæ æquè bonæ ſint, ac illæ quæ in Balneo per ſe ſine aquâ diſtillantur, quod etiam veritati conſentaneum eſt; quandoquidem in diſtillatione ſubtiliſſima herbæ humiditas tantum aſcendit, & aqua communis tanquam gravior in aheno manet. Unde etiam in ejuſmodi operatione certum ſignum habent, nimirum quando aqua aſcendens herbam diſtillatam non amplius ſapit. Tunc enim ab opere deſiſtunt, & reſiduam aquam cum herbâ abjiciunt. Cæterum qui herbarum aquas ſuaviores

&

& efficaciores reddere ſtudent, aquam quæ per diſtillationem aſcendit, recenti herbæ affundunt ac denuò diſtillando puriſſimam herbæ partem eliciunt, & aquam ſuam efficaciorem reddunt: Qui herbarum aquas parandi modus bonus & commodus eſt. Nemo quoque ignorat, quod vegetabilium ſpiritus, & olea aquæ copiâ additâ per veſicam diſtillanda ſint, ut in prima hujus Pharmacopœæ parte docuimus. Vulgarem itaque herbarum in aquâ decoctionem nullius prætii eſſe, optimamque partem decoquendo in auram evaneſcere, ac partem minus ſuavem & efficacem remanere manifeſtum eſt. Sciunt hoc nonnulli coci periti, qui nunquam aromata carni in ollâ addunt, niſi prius caro cocta, & jamjam menſæ apponenda ſit, quo cavent, ne longa decoctione optimus aromatum odor in auras evaneſcat. Cereviſiæ coctoris lupulum coquentis, aut Pharmacopolæ ædes prætereuntium nares penetrans fragrantia multò ſuavior eſt, & quaſi cor magis roborat, quam quæ remanent, & hominibus bibenda ſunt: quod ob prædictas rationes aliter etiam ſe habere non poteſt, cum potiſſimæ & optimæ vires coquendo abeant. Ideo, quæ antea dixi, dicendo hîc itero, & Decoctionem illam per aquam univerſalem igneam, quæ in frigore fit, illi alteri longè præponendam eſſe affirmo. Quod maxima ciborum, quibus veſcimur, pars, ſive carnes ſive piſces, ſive olera fuerint, ut à ſtomacho digeri & concoqui poſſint,
anteà

anteà aquæ adjumento in culina, ne ab igne adurantur, decoqui ſoleant, tàm eſt notum quàm quod notiſſimum. Cur & medicamenta eodem modo non parantur? Ac quanquam in carnium, piſcium, & olerum decoctione aliquid de viribus decedit, magni tamen momenti non eſt, cum reſidua parte totus ſtomachus farciatur, ut inde corpus ſuum nutrimentum capiat: In medicinalibus autem decoctis tanta copia non adhibetur, ſed parum de ipſis hauriendum ægris propinatur: Ideo etiam ipſis ſuæ vires neceſſariæ relinquendæ, & in decoctione per vaporem non abigendæ eſſent, quod tamen fieri non poteſt, quando decoctiones ejuſmodi in apertis vaſis communi aquâ, & igne perficiuntur. Quâ de causâ hic meus modus per aquam igneam iſti alteri longè præferendus eſt. Nam in decoctione hâc ne minimum quidem de herbæ aut animalis viribus abire poteſt, cum in frigore fiat; Sed omnia in aqueo igne, aut ignea aqua unà manent, maturantur, emendantur, & in medicinam mutantur, ac, ſive velint, ſive nolint, mutari debent. Ut aliquo diſcedant & abeant, nullus ipſis locus datur, ut in altera illa decoctione, ubi nobiliſſimæ vires in auras erumpunt. Ideò omnibus Medicis peritis hic digerens, conſervans, maturans, & emendans ignis & aqua, quibus medicamenta ſua parent, maximè commendatus eſſe deberet, ſaltem vel ob aliquot pauca medicamenta bona, quæ alias acquiri nequeunt, ut ex diureticis apparet, quæ per aquam

aquam hanc Philosophicam inversæ non solum multò tutius postea urinam & calculum, ac cuncta quæ ad ipsa pertinent, expellunt, sed etiam corroborant, quod omnia calidam, subtilem, & penetrantem naturam habentia simplicia & composita etiam facere solent, adeò ut non amplius urinam & calculum vi magna expellendo dolores & cruciatus causentur, sed eadem leniter, & suaviter ad exitum promoveant, ac simul virilem naturam roborent, & conservent; è contrario autem immatura illa & cruda simplicia immaturitate, & feritate sua adhuc noceant, & non solum urinam pellant, verum etiam dolores concitent. Materia hæc, & præposita de aqueo igne, & ignea aqua cujus beneficio venenata vegetabilia, animalia, & mineralia insalubria medicamenta mutare docui, dissertatio in discordes aliquem cogitationes adducere posset, ut ipsi mirum videatur, quod Nitri fixi liquorem, & Nitri corrosivi spiritum igneas aquas, & aqueos ignes appellem, cum tamen in ipsis nullus ignis visibilis appareat. Horum animis ut scrupulum hunc eximam, Nitrum nihil aliud quam merum ignem esse primò mihi demonstrandum censeo. Nitrum igitur prunæ ardenti impositum totum conflagrat, & in auras evanescit: quod & ipsæ pulvis pyrius testatur, in quo Salpetræ cum additis reliquis materiis totus in aërem disploditur. Per calcinationem nitrum ad fixitatem seu constantiam in igne deductum, aut per distillationem in corrosivam

rosivam aquam distillatum ignem suum non amisit, sed perfectè adhuc secum habet. Hoc verum esse arguit illud, quod uterque ille liquor fixus, & corrosivus ac volatilis confusi naturam per ignem acquisitam deponant, & ad pristinam Salispetræ naturam redeant. Unde manifesto probari potest, quod uterque tàm liquor scilicet nitri fixi, quam acidus spiritus igneæ aquæ nominari & debeant & possint, cum & reipsa etiam vires suas igneas demonstrent; Nam ignem suum adhuc penes se habent, & omnia liquant, ac in aquam redigunt, quæcunque ipsis imponuntur. Hanc demonstrationem intellectu præditis, licet in Naturæ lumine non admodum periti sint, sufficiente indicio tamen satisfacturam spero. Imperitissimis autem hominibus, qui plærunque res etiam sibi ignotissimas judicio suo imperitissimo metiri volunt, ut etiam occurram & clarissimè ob oculos ponam, quod dictæ aquæ meri & veri ignes existant, ipsis author sum, ut experiundæ veritatis causa guttulam saltem, aut granulum minimum linguæ suæ imponant, & videant; annon momento citius ignem illum in aqua occultum animadversuri & dicturi sint, perinde esse ac si lingua sua pruna ardente tacta fuisset. Si autem ipsam flammam videndi desiderio teneantur, utrumque aut alterutrum liquorem coagulare & concentrare possunt, aut per antimonium aut per lapidem Calaminarem, à quo omnia corrosiva concentrari, & aquam adjunctam dimittere potissimum

tiſſimum amant. Flammam igitur libenter viſurus concentrato Spiritui acido, vel Liquori fixo Nitri Spiritum vini purum & ab omni phlegmate ſegregatum affundet, qua affuſione occultus Nitri concentrati ignis mox ſe manifeſtabit, & ſpiritum vini accendet ac comburet. Sin alia ratione quis veritatem inveſtigare voluerit. Nitrum per Regulum antimonii Martialem figet, in igneam maſſam coagulabit, & in forti vaſe terreo probè obturato, ne aër ingredi poſſit, conſervabit, ut ignis pro lubitu ejus tamdiu occultus maneat, quamdiu voluerit. Sin velit, ut incaleſcat, parum aquæ vaſi infundet; quo facto ignis occultus mox manifeſtatus vas adeò calidum reddet, ut manu tolerari calor non poſſit: quo plus aquæ affuſum erit, eò calidius vas evadet, adeò ut tandem etiam aquæ affuſione nimiâ in fruſta diſſiliendi periculum ſubeat: Ideò modus in aquâ affundendâ tenendus, ſi quis velit, ut vas diutius duret, & calorem reddat. Secretum hoc non modo naturæ miracula docet, ſed etiam iis utile eſt, qui hyberno tempore, ſive curru ſive navi, die & nocte, in magno frigore iter faciunt, & ejuſmodi vaſis adjumento ſe calefacere poſſunt. Nam vas unam aut alteram hujus ignis concentrati libram continens viginti quatuor horas calorem conſervat, adeò ut caſu neceſſitatis poſtulante majora & plura vaſa iter facientes penes ſe habere poſſint, & hujus ignis penuria non laborent; quibus ſi aqua in magno frigore deeſſet, propriâ ſuâ urinâ

eundem ignem excitando vas calefacient. Quam vile hoc secretum etiam appareat, magnum tamen in eo mysterium latet, veræ Philosophiæ inserviens, in quo ignis talis est, qualem apud Maccabeos à Sacerdotibus defossum, & post centum aliquot annos iterum effossum & repertum esse legimus. Ejusmodi enim ignis contra aëris accessum munitus per centenos imò mille annos incorruptus manet, quod consideratione accurata profectò dignissimum est. Nitrum fixum merum ignem esse, & se, quandocunque quis velit, manifestare hisce satis apertè demonstravimus. Idem facit liquor acidus longè aliam à Nitro fixo naturam, & proprietatem habens, qui nihilominus etiam suum ignem occultum pro artificis lubitu in apertum producit, quod hoc modo fiet. Ferrum aut lapidem calaminarem eodem solve, & humiditatem igne abstrahe. NB. nil nisi aqua dulcis omni sapore carens evaporando abibit, & ignea pars in ferro aut lapide calaminari se concentrabit, & ignea atque sicca terra evadet, quæ contrà aëris ingressum munita sicca manebit, nec se in aquam mutabit. Hic in terrâ hâc concentratus spiritus igneus tàm fervidus est, ut, magnitudine grano cannabis respondens si linguæ admoveatur, haud aliter eam urat, ac si ferrum candens admotum fuisset. Ex quo si ignem elicere volueris, vini spiritum infundens, flammam erumpentem videbis. Sin verò ejusdem calore te calefacere desideraveris, ut modo de Nitro fixo

diximus,

diximus, aliquot aquæ guttas instillabis; quo facto occultus & concentratus ignis, sicut in Nitro fixo, in apertum prodibit, & diu durabit. Si aquæ non nimis affusum fuerit. Si volueris, ut ignis extinguatur, & vas refrigescat, hoc claudes, & iterum aperies ac aquæ parum affundes, si volueris, ut denuo incalescat. Ignem itaque hunc ad inserviendum tibi promptissimum habebis, quandocunque eodem uti in animum induxeris. Porrò hæc omnia, Spiritum Nitri acidum ignem frigidum, & occultum esse, firmissimè stabiliunt. Ferri, aut lapidis calaminaris frustulo eidem imposito, vitrum adeò calidum reddetur, ut in manu retineri non queat. Ex hac origine thermas ortum capere discimus, quæ sic oriuntur. Quando spiritus mineralis acidus aquæ alicujus dulcis scaturigini in montibus se jungit, & cum illa lapidis calaminaris aut ferri fodinas permeat, adeò effervescit, ut instar aquæ in aheno fervefactæ prorumpat. Nec ullibi etiam thermæ reperiuntur, nisi in montibus, & locis lapide calaminari aut ferri venis abundantibus, ut in multis locis, præsertim verò Aquisgrani videre est, ubi pulcherrimæ totius Europæ thermæ inveniuntur, & montes circumjacentes ferro & lapide calaminari affluunt. Quæ verò alia pulchra & utilia secreta in hoc igne concentrato recondita lateant, ut porrò indicemus, hujus loci non est. Satis multa revelavimus, ex quibus qui nihil addiscet, nihil habebit, nec ipsi à Deo datum est, ut imperscrutabiles

ignis proprietates ſciat, & veræ Philoſophiæ, ac Hermeticæ medicinæ januam aperiat. Hîc artis filius videt, quid ignis concentratus efficere poſſit, & quomodo vires ejus multæ adhuc terræ, ex ferro, lapide calaminari, & antimonio conſtanti incluſæ impediantur, quominus effectum ſperatum producant. Impurum enim corpus etiam animam puram ſibi inhabitantem ignobilem & impuram reddere imò planè occidere poteſt, quod de hominibus pariter ac de mineralibus intelligatur oportet. Quid autem ejuſmodi anima pura, & ab omnibus fecibus ſegregata præſtare valeat, facili conjectura providebitur. Incredibilia profecto & pene divina ejuſmodi igne efficerentur. Terreſtris ligni & carbonum ignis, ſi concentratur, admiranda effectui dabit. Quid vero Solis concentratus ignis illo millies purior præſtaret? Poſt Deum eſt Sol, poſt Solem carbonum & lignorum Ignis, omnium in toto mundo rerum res nobiliſſima. Si mihi per rudes & imperitos meam de Igne ſententiam apertè eloqui liceret & fas eſſet, plures angulos obſcuros illuminarem. Nam Sol Elementaris, qui omne lumen, & vitam omnem toti mundo impertit, aliud nihil eſt niſi Omnipotentis Dei veſtis & aulæum. Si jam veſtis & aulæum tàm auguſtum, tàm efficax, tàm potens eſt in eſſentiâ ſuâ, quanta ergò eſt, & erit Majeſtas Dei æterni illius Luminis, & omnium luminum centri? Illæſis oculis veſtem illam, Solem puta, aſpicere, ejuſq; vires & proprie-

tates

tates admirandas omnibus noſtris ſpeculationibus, & Philoſophationibus, ut ita dicam, perſcrutari non poſſumus. Cur ſtulti de Deo tàm leviter loqui & ſentire conantur, qui tamen nihil de eo ſciunt nec ipſum norunt? Hinc ferè unuſquiſque ſibi proprium Deum fingit, eumque colit & adorat, quam horrendam impietatem Unicus & Verus Deus abominatur. Phyſici veteres ſphæram igneam rotundam à Deo ortum ducentem Soli attribuerunt, & eundem ſigno perfectionis circulo nimirum in medio punctum, quo centrum ſignatur, depinxerunt. Cum autem centrum in omnibus rebus ipſâ circumferentiâ ex centro ortum ducente longè nobilius & præſtantius exiſtat, ipſa verò circumferentia eò magis à centro differat, & eidem inæqualior ſit, quò longius ab eo recedit; ac è contrario eidem tanto æqualior judicetur, quo propius ad id accedit, quid punctum in ſole erit, quandoquidem Sol ipſe, tanquam puncti circumferentia, tam nobiliſſima & præſtantiſſima eſt ſententia? Quo nomine illud punctum appellabimus? Cui hoc per mundi perverſitatem facere licet? Invitus diſſertatione ſuperſedere, eamque in meum de terræ & cæli concentratione tractatum ejicere cogor. Hoc autem tantum dico, terreſtrem noſtrum ignem, quo quotidiè utimur primum eſſe gradum ſcalæ illius per quam àd Deum aſcendimus, ut ejus omnipotentiam comprehendamus, ſentiamus, perſcrutemur, amemus, timeamus, colamus, ac tan-

dem videamus, & divinæ ejus Majeſtatis aliquando ex gratiâ participes reddamur. Siquidem igitur vulgaris, & omnibus hominibus notus ille ignis, ut ſemel adhuc dicam, primus in illa ſcala gradus eſt, per quam ad Deum & ejus myſteria aſcenditur, & tamen ejus proprietas nobis adeo incognita eſt, quid quæſo de ſecundo & tertio gradu ſtatuendum erit, de quibus nihil ſcimus, quamvis nos tam multa ſcire opinemur. Noſtrum igitur ſcire nihil eſſe, & ex multis millibus non uni alterum gradum,ut de tertio non loquar, notum eſſe audacter hîc affirmo; alibi verò poſtea plura dicam & demonſtrabo.

Cordiale & Confortativum in magnis & diuturnis ægritudinibus adhibendum.

℞. Florum majoranæ, ſalviæ, roris marini, macis ana ℥ ij. Nucis muſcatæ, cardamomi, zedoariæ, galangæ, ana ℥ j. Cinamomi electi ℥ viij. Extrahe per ſpiritum vini tincturam. Porrò ſolve in Spiritu Salis rectificati, qui nitro acutior redditus eſt, ℥ j. auri, quam ſolutionem ſpiritui vini dictorum ſimplicium tincturâ imprægnato infundes, & retortæ vitreæ immiſſam Balneo ſicco diſtillandam impones. Primò Spiritus Vini aromatiſatus non modo ſuavis, ſed etiam clarus exibit, qui ubi albus & turbidus exire inceperit, vitro, quo ſpiritum exeuntem excepiſti remoto aliud appone, & omnem humiditatem calore leni

leni elice, donec nullus vini ſpiritus amplius exiverit, & aqua acida ingrati ſaporis ſequuta fuerit. Remove tunc omnem retortæ ſuppoſitum ignem, ut refrigeſcat. In quâ, ubi refrixerit, exemptâ ſolutioni innatans invenies oleum aromatum inſtar ſanguinis rubrum, & tinctura auri imprægnatum, quod per tritorium à Spiritu Salis ſeparatum Spiritui vini aromatiſato, qui primus exivit, adjunges, qui oleum dictum mox recipiet, & rubore pulcherrimo tingetur. Reſiduum aurum, quod oleum aromatum non attraxit, Nitro fixo in teneram & ſplendidam calcem præcipitabis, aqua probè elues, & ſpiritui ac oleo aromatiſato addes, cum ſufficiente Sacchari candi parte, ut Spiritus ſuavis ac jucundus reddatur. Habebis Aquam Vitæ efficaciſſimam quæ in omnibus debilitatibus ægrum mire roborabit, & reficiet. Sed hæc præcipitatio non debet fieri, ut vulgaris illa, in qua pulveres metallicam formam amittunt, ut aurum, quod in flavum pulverem mutatum aurum fulminans appellatur, & laminæ impoſitum, ac calefactum inſtar ſclopeti alicujus fragorem edit: fragor admodum ſonorus eſt, ac ictus deorſum tendit, adeò ut piſi parvi magnitudine in argenteo cochleari incenſus foſſulam efficiat. Sed aurum ità præcipitari debet, ut metallicam quidem formam retineat, ſed ita tenerũ reddatur, ut etiam in oculis tolerari queat. Non autem omne aurum ſed nobiliſſimũ tantum & quaſi anima ejus colore multò pulchrior & ſublimior,

 quàm

quàm aurum vulgare, præcipitanda eſt. Vilior pars autem peculiari præcipitatione ſeparanda, & fuſione reducenda eſt. Huic pallidæ per antimonium prior color reddendus, ita ut nulla jactura fiat. Si prior pars præcipitata vulgari auro puro melior eſt, poſterior per præcipitationem & fuſionem reducta neceſſario vilior eſſe debet: vel ſi poſterior auro vulgari puro vilior fuerit, prior eodem melior erit: Ideò & in medicina commodo majore adhibebitur, utpote quod in ſtomacho digeſtum, & conſumptum vires ſuas exercebit, quod vulgare aurum limatum, aut in folia tundendo redactum non faciet. Cujus rei de induſtria periculum feci, &, quæ dixi, vera comperi. Si cui tamen res adhuc dubia videri poſſet, primum aurum præcipitatum, tanquam meliorem ejuſdem partem, quam ſpiritui aromatiſato adjungere juſſit, addito borrace fundere & cum poſteriore præcipitato conferre poterit; in qua collatione δὶς διὰ πασῶν utrumque diſtare animadvertet. Prius colore optimum ducatorum aut roſarum nobilium aurum longè ſuperabit, poſterius autem longè vilius erit. Illud denuo ſolutum & more Philoſophico præcipitatum, ut dimidia pars prior iterum ſubſideat, longe nobilius evadit, ac iterum auri pallidi particulam relinquit. Quæ profectò meditatione digniſſima eſt operatio, cujus adminiculo certè aurum tandem ita forſan concentrari poſſet, ut ad ſummam nobilitatem, colorem, efficaciam, & virtutem reductum

ductum aliis metallis colorem conciliaturum, & ea emendaturum esset. Quod hactenus temporis defectu nondum expertus sum; sed, Deo dante, me artis studiosis tale aurum propediem monstraturum spero, eâ de causa illud tantum quærens, ut medicamentum optimum ex eo facere queam. De hac artificiosâ, & Philosophicâ auri, & argenti in bona medicamenta concentratione in quarta de Prosperitate Patriæ parte planius & plenius agam. Hîc autem, ut aliquod saltem artis amatoribus indicium faciam, quo pacto talis præcipitatio effectui detur, hæc pauca habeant. Præcipitatio tàm siccâ quam madidâ viâ fieri potest. Hîc autem madida via adhibetur, quæ in medicamento hoc faciendo quidem requiritur, sed tamen molesta & periculosa est, cum quandoque vitra rumpantur, & aurum in cineres erumpat. Sicca autem via omnis periculi vacua, non huc, sed ad quartam de Patriæ Prosperitate partem pertinet. Ejus tantum hic mentio fit, ut videatur, & animadvertatur, & in auro ipso aliquam separationem, ut in minoribus metallis, possibilem esse. Nam qui artis beneficio in metallo aliquo separationem partis melioris à deteriore instituere & efficere novit, is metalli emendationem utilem habet. In secundâ parte de Prosperitate Patriæ volatilia & immatura mineralia, quo pacto per nitrum in malleum patientia metalla redigantur, docemus: In tertia parte communia & imperfecta metalla in perfectum aurum & argentum

mutandi modum oſtendimus. In quarta tandem parte monſtramus, qua ratione aurum & argentum in pluſquam perfecta corpora ad medicinam pertinentia traducantur, de qua ſeparatione in proximè ſequentibus plura dicentur. Nec eſt cur aliquis hic in dubium veniat, & me mihi contradicere putet, cum in medicamento præcedente auro præcipitato & tenero utar, & contrà aliis in locis apertè faſſus ſim, quod aurum corporale à ſtomacho concoqui, & digeri nequeat. quod ſæpiſſimè etiam expertus ſum. Nam aurum, quod hîc præcipitare docuimus, multo melius, & nobilius eſt auro vulgari, ac eâ de causâ pro corporali non habendum, ſed pro ipſo nucleo, & quaſi animâ ejus, quæ in humano ſtomacho digeſta vires ſuas in apertum producit. NB. Dicta Aqua vitæ aurea uſurus, vitrum, quo continetur, prius parum concutiendo movebis, ut ſubtiliſſimi atomi auri cum Aqua Vitæ ſe commiſceant. Poſtea guttulæ aliquot pro ratione perſonæ & morbi ægro in commodis vehiculis exhauriendæ propinentur. Si unâ aut alterâ guttula periculum feceris, inſignes ejus cor roborantes vires, & commodiſſimum ejus in omnibus debilitatibus uſum experieris.

Aliud Medicamentum Metallicum ex plumbi vena argentum continente Nitri beneficio paratum, & in omnibus cerebri ægritudinibus utiliſſimum.

℞. Venam plumbi multum argenti continentis

tis ſine cupro, aut ferro, quæ quò plus argenti habebit, eò melior, & ad hunc laborem commodior erit. Ab hâc venâ omnem Sulphureitatem, vel Sulphureum fœtorem per Nitrum ſecundum artem ſpagyricam ſepara, ita ut tantum puriſſima, albiſſima, & maximè fluida ac volatilis Mercurialis pars maneat. Nitrum eluendo, quanta cura poteris, ſepara, ut tibi gravis, ſplendidus, & niveo colore prædirus pulvis ſuperſit: Hic maximè fluidus & volatilis eſt Mercurius Saturni, cujus 1. 2. 3. 4. 5. uſque ad 12. grana in commodis vehiculis exhibita in omnibus cerebri affectibus, gravibus, peſte, & doloribus infantum vermibus laborantium admodum præſenti auxilio vires ſuas exercent, omnem internum calorem extinguunt, in cerebrum aſcendentia vapores graves compeſcunt, omnes lienis obſtructiones reſerant, Melancholicos exhilarant, Lunatica, ſtulta, & phantaſtica ingenia reſtituunt, præcipuè ſi corpora prius per Panaceam meam Antimonialem præparata fuerint. Imò melius adhuc medicamentum hoc Cephalicum operabitur, ſi poſt primam præparationem per Nitrum denuò lavetur, & ſubtilius reddatur, imò planè figatur, ut majori efficacia vires ac poteſtatem ſuam exerceat. Tandem efficaciſſimum redditur, ſi hic ☿ Saturni ultimâ operatione per retortam expulſus in dulce lac convertatur, veritatem demonſtrans dicti philoſophici: Ignis & Azoth abluunt Latonem. Nitrum eſt verum Azoth Philoſophorum, & præter hoc

hoc nullum aliud reperire poteſt: Sapo eſt Sapientum, & Balneum metallorum univerſale. Lac dictum dulce in pellucidum, & fluidum lapidem coagulari & figi poteſt: qui ☿ vulgarem purgatum iterum coagulat & figit. Ut verò in Cupella, ut vocant, examinatori Saturno ſatis faciat, hactenus non effeci; ſub manibus tamen opus habeo & me effecturum ſpero. Quamdiu autem lapis dictus adhuc volatilis eſt, imperfecta metalla, ut ♂ & ♀ penetrat, & ipſis facilem fluxum & volatilitatem conciliat: quid jam facturus ſit, ſi ad fixitatem reductus fuerit, conjectura facili quis providere poteſt. Forſan opus hoc à Parvi Ruſtici opere parum abludet. Quoniam à materiâ hâc haud aliena eſt purificatio, ea quid ſit, & quâ in re conſiſtat, ut paucis doceamus, operæ pretium cenſemus. Præcipuè verò cum omnia ſcripta unicum hunc ſcopum præpoſitum habeant, puri nempè ab impuro ſeparationem, à qua huic libello nomen impoſuimus: paucis verò ſeparationum talium ratio & modus innotuerit. Quâ de causâ de eâ maxime neceſſariâ hîc aliquid indicare conſultum etiam duximus. Omnes enim Philoſophi unâ voce clamant. Fac fixum volatile, & volatile fixum. Res dura & fixa terram ſuam deponendo fluida & volatilis evadit; & hæc prima ac philoſophica eſt ſeparatio & operatio. Eam ſequuntur ſublimatio & diſtillatio, quibus res à craſſis fecibus jam ſejuncta iterum pura redditur. Nam quo ſæpius res aliqua diſtillatur, aut ſublimatur, eò

purior

purior evadit; & quantò purior eſt, tantò efficacior, & penetrantior etiam reperietur. Si jam puriſſima rei pars iterum eò deducatur, ut ignis viribus violentiſſimis, & omnia conſumentibus reſiſtat, unicuique,conjectura ut aſſequatur,in proclivi erit, quidnam operationibus talibus conſequi queat.Hæc dicta Metallicam, & artis Spagyricæ beneficio effectam purificationem indicant. Animalium, Vegetabilium & Mineralium ablutio eſt triplex; Prima aquæ adjumento impuritates adhærentes, arenam puta, pulverem,& terram abluit. Altera diſtillando tenues & aquoſas partes à terreſtribus ſe movet: Quod idem in Metallorum ſeparatione Sublimatio præſtare ſolet, ut notum eſt. Tertia Separatio igne peragitur, quando videlicet ſubjectum purificandum igne totum incandeſcit, ut Sulphur combuſtibile inflammatum conſumatur, Mercurius cum fumo abeat, & fixa tantum terra cum ſale ſuo reliqua maneat, quod de Animalibus & Vegetabilibus intelligatur oportet. Cum Metallis aliter comparatum eſt, quorum principia tria tàm arcto & radicali vinculo Natura conjunxit in materiam adeò homogeneam, & duram, ut ægrè ſeparationem admittentia aut ſenſim & pedetentim per cohobia ſimul aſcendant, aut una in fundo conſtanter permaneant. Ac licet nigrum aliquod metallum aut in flores albos per ſublimationem elevetur, aut calcinando in cineres albos redigatur, poſt reductionem tamen prius metallum eadem formâ &
iiſdem

iisdem proprietatibus præditum invenietur, quas ante calcinationem habuit, adeo ut hæ operationes nequaquam Philosophicæ purgationes, dici mereantur. Quot se ipsos decipientes putarunt, si Martem in rubrum crocum mutarent, eodem se Lunam fixam reddituros, & non animadverterunt, quod ille crocus per reductionem ad suam pristinam naturam, & formam ferream revertatur. ☿ Vulgi in pulcherrimum & ruberrimum pulverem præcipitatur, per reductionem ad pristinam suam naturam currentem redeuntem. ♄ sale communi calcinatus fit ruber pulvis, aut minium, qui reductus idem nigrum est plumbum, quod ante reductionem fuit. Hinc, qui huic labori operam impendit, meritò lavare Æthiopem dicitur. Idem Saturnus aceto aut alio aliquo liquore corrosivo lotus albam quidem cerussam dabat, sed alienum colorem mutuatur, & nigrum suum corpus albo indusio tegit, quo nihilominus à Vulcano confestim nudatur. Hanc Philosophi Veri purificationem Sophisticam nihili faciunt. Siquidem igitur ♄ nigrum & leprosum aurum esse judicatur ab omnibus Philosophis, qui apertè dicunt, quod in ♄ sit, quod Philosophi quærunt, Paracelsi legatur libellus, cui titulus Vexatio Alchymistarum, in quo plura tradit. Nec sine ratione vetus illud Symbolum à Chymicis usurpatur; Ignis & Azoth abluunt Latonem. Azoth nitrum, & Laton lapidis materiam significat. Quidam vocem Laton ♄ attribuere nolunt, quâ

an vulgaris, an verò alius ♄ intelligatur, in medio jam relinquimus. Hoc tamen hic obſervandum, quod vox Laton materiam lapidis per Azoth ſive acetum Philoſophorum, id eſt Nitrum abluendam ſignificet. Equidem præter vulgarem Saturnum, & antimonium vulgare, alium qui facilius Nitro abluitur, adhuc eſſe, probè novi. Sed quia hîc de vulgari Saturno, vel primo Ente Lunæ per Nitrum in bonum medicamentum redigendo agitur, iis, quæ dicta ſunt, acquieſcimus, ac planiorem materiæ dictæ explicationem in alium locum rejicimus. Iis, quæ in hac Philoſophica diſſertatione indicavi, ſuperſedere quidem potuiſſem, cum probè mihi conſtet, me apud ignorantiæ fratres oleum & operam perdere, & in Farneriani iſtius ſodalitii profligati odium incurrere. Sed hæc omnia nihili facio, & inſtar heroici equi talium canum inutilium latratus ſuſque deque habeo. Si honeſti homines ſunt, in lucem prodeant, & meliora, ſi habent, promant, ac libellos contumelioſos, convitiiſque plenos ſcribendo ſuperſedeant. Si nihil habent, quod in medium proferant, fas quoque eſt, ut illa non contemnant, quæ captum ipſorum ſuperant. Pro contumelioſis mendacibus, & falſis ſuis ſcriptis reſponſione propediem ſatisfaciant oportet: Si ulla juſtitiæ ratio habebitur. Nam ſi ejuſmodi ſcelera invaleſcerent, & tam horrendæ, inhumanæ ac perfidæ honorum læſiones, immeritæ vituperationes, incredibilia perjuria, inaudita mendacia,

dacia, læsio boni nominis,existimationis ac famæ, & compilatio bonorum ejus, qui optimè de tàm profligato nebulone meritus est, jactura preciosi & irrecuperabilis temporis, quod mendacis & libellis famosis confutandis impendendum fuit, ut & homicidium de industria commissum impunita dimitterentur, ac hoc pacto facinorosi audaciores, & magis temerarii redderentur, ac posteà sine ulla formidine in alios scelera impunita exercerent, profectò signum esset, quod Deus talem locum, in quo Diabolici ejusmodi nebulones latrocinia sua exercent, justitia sua spoliatum planè relicturus, ac paucis bonis abductis & remotis, instar Sodomæ, & Gomorræ Diabolicas reliquias pessundaturus esset. Propediem manifesta erunt, quæ jam diu ab hominibus providis prædicta sunt. Sed per nos pergant licet, quoniam omni fide & resipiscentia destituti sunt. Ignis horrendus subitò ipsos opprimet, ac in desperata sua malitia in extremam perniciem præcipitabit. Interea Deum spero iis oculos aperturum, qui tanta mala præveniendo extinguere possunt.

Medicamentum Uterinum probatum.

QUoniam hactenus aliquot Medicamenta admodum efficacia Nitri adjumento paranda docui, & tamen interea ægritudinem sexui fœminino familiarium mentionem nullam feci, æquum omnino esse duxi, ut infirmo & imbecilli huic

huic ſexui qui humano generi propagando deſtinatus eſt, ſingulari aliquo medicamento ſuccurrerem. Nam fœminæ præter morbos iſtos, quibus juxtà cum virili ſexu obnoxiæ ſunt, adhuc aliis pluribus affliguntur ægritudinibus ex matrice originem capientibus, quibus tàm virgines, quàm nuptæ, & quidem hæ non ſolum antè, ſed præcipuè etiam poſt partum divexari ſolent: quando videlicet matrix à partu non ſatis expurgata eſt, & varias ægritudines, dolores, ventos, inflationes, ſuffocationes, vaporum malignorum ad cor aſcenſus parit; aut menſtrua obſtructa, ventrem tumidum, vires debiles, & imbecilles, cordis & cerebri anguſtias, dolores vehementiſſimos, ac ſæpiſſime mortem ipſam cauſantur; aut matrix in partu ex loco ſuo dimovetur, vincula rumpuntur, ipſa vero matrix nimiis humiditatibus adeò repletur, & debilitatur, ut tantum poteſtatis non ſuppetat, ut in ſuum debitum locum reponi, aut firma retineri, & alligari queat, & mulieres magno ſuo damno eam pendulam relinquere cogantur, & magno hoc malo vehementer crucientur, dum matrix vehementer eundo ſe moventibus, aut aliis motibus agitatis ex corpore prolabitur, & propendet, & ipſæ eam in corpore retinendi causâ pilam in eum finem paratum maximâ moleſtia ſemper ſecum ferre debent. Ut his memoratis & aliis ſimilibus incommodis reſiſtant, & inprimis quando iis jam obrutæ ſunt, modum & rationem præſcribam. Quantum ad

matricem, ejusque morbos attinet, qui post partum oriuntur, si videlicet matrix non rectè expurgata fuerit, ipsæ mulieres sua remedia norunt, ejusque rei causâ herbas ejusmodi usi inservientes aut in hortis suis serunt, aut debito tempore easdem colligunt, & collectas custodiunt, donec iis opus habent, ut reliquias à partu expellant: tales sunt pulegium, matricaria, artemisia, savina, & similes herbæ vires expellendi validas possidentes, ut & aquæ in Pharmacopoliis hac de causa distillatæ, de quibus, ut hic multa scribantur, opus non est, nisi hoc consulere vellemus, ut tales herbæ & species, quæ in ejusmodi affectibus in usum veniunt, prius per puri ab impuro separationem subtiliores reddantur, & posteà celerius & melius operari queant: quod quàm commodissimè fiet eo modo & ratione, quam de herbarum Essentiis in prima hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte docui, & præscripsi. Matricis autem & mensium obstructiones nudis medicamentis ità nudè assumptis, quæ eò usque viribus suis non penetrant, non ità facilè reserantur, sed potius, ut experientia docet, iis medicamentis longè facilius, quæ inferne applicantur, & quorum jam in secunda parte Furnorum apud Spiritum Urinæ mentionem feci, ubi peculiare instrumentum, quo medicamenta matrici necessaria inseruntur, manifestavi: Eo hactenus felices curationes plures peregi. Verum quoniam ad morbos tales longè aptius post illud inveni, idem in fœminarum maritis suis ob-

sequium

ſequium debitum præſtantium, & conjugium caſtè conſervantium gratiam, ſolatium & auxilium, parandum, & applicandum probè deſcribam. Ex argento bono, non autem cupro, rotunda, & in anteriori parte clauſa cannula longitudine viri digitum aliquantulum excedens, & eidem craſſitie reſpondens ab aurifabro paranda eſt, & item alia aliquanto laxior, ut priorem includere queat, & tres habeat lineolas in longitudinem prominentes, & prohibentes, quo minus interior cannula exteriorem attingat, ſed interſtitium tergo cultri craſſitie reſpondens inter utramque maneat. In poſteriori parte operculum fiat, quod poſt medicinam immiſſam inſtrumentum claudere poſſit, ne ſpiritualis medicamenti virtus retrò ex corpore elabatur, ſed per inſtrumentum foraminibus plenum in matricem operationem ſuam peragere queat. Poſteriori parti hujus inſtrumenti filum annectatur, quo operatione peracta illud retrahendum erit. Prout igitur morbus comparatus fuerit, pro eo etiam medicamentum admodum ſpirituale applicandum erit, ità nempe ut eodem ſpongiola imbibatur, & interior cannula repleatur, ut ità repleta matrici applicetur. Si menſtrua obſtructa ſint: probatiſſimum eſt remedium Spiritus Urinæ concentratus, qui ſubtili penetrante, calefaciente, leniente, & aperiente virtute matricis venulas aperit, & menſtruo obſtructo exitum parat. Sed ſi matrix hoc non laboret morbo, ſed tantum frigidis & tenacibus

humoribus obſideatur, calidum, & penetrans oleum Laterinum, vel ceræ ſubtiliſſimè rectificatum, adhibetur, quòd ſpongiolæ inunctum per inſtrumentum in matricem frigidam & aquoſam immittendum, quæ eodem calefiet, ſiccabitur, & nimia humiditate liberabitur. Si verò matrix loco mota fuerit, aut vincula rupta, vel nimis laxa, aut quocunque alio modo affecta matricem retinere non poſſint, ut extra corpus prolabatur, aſtringentibus utendum, quæ vincula nimis laxa, & exeuntia conſtringent, ſanabunt, & matricem debito ſuo loco alligabunt, & firmabunt. Talia ſunt olea diſtillata ex crinibus & capillis hominum, ex ovium & ſimilium animalium lana, ex hircorum & caprarum cornibus, ex ferarum ungulis, avium rapacium & ferarum plumis, & ſimilibus rebus, quæ prunis impoſitæ ſe contrahunt, & ſe contrahendo nobis quaſi uſum ſuum monſtrant. Quo pacto autem hæc olea diſtillanda, & rectificanda ſint, in ſecunda Furnorum parte jam docuimus, ut eadem hîc repetere planè neceſſarium non ſit. Verè dico, ſi hæc tria medicamentorum genera in iſtis triplicibus matricis affectibus ritè adhiberentur, & applicarentur quod mirabilia præſtari, & multæ matres piæ diutius apud liberos ſuos conſervari incolumes poſſent: ſi ſcilicet ejuſmodi auxilio ipſis ſuccurreretur. Fieri enim non poteſt, ut ægræ & læſæ matrici per potiones ebibitas, aut hyſterica medicamenta aquoſa ſyphone injecta multum auxi-
lii

lii feratur. Nam medicamenta ore hauſta viribus ſuis ad matricem penetrare non poſſunt, ut auxilium ferendo eam referent, purgent, & calefaciant, aut vincula ſoluta & laxata ſanent. Sed aquæ vel decocta inferius adhibita, & injecta mox relabuntur, & matrici parum aut nihil adjumenti conferunt: Hæc autem mea olea & ſpiritus inſtrumenti opera commodè applicantur, & efficaciſſimè ſuo officio funguntur. Unum tamen neceſſarium eſt, quod hîc moneamus, nempè, ut ii, qui Spiritu urinæ, oleo Laterino, vel ceræ, aut oleis ex cornibus, capillis, aut plumis dicta matricis vitia curandi cauſa uti cupiunt, ii ipſi eadem parent, aut iis paranda committant, qui diſtillandi artis periti tales ſpiritus & olea ad ſummam ſubtilitatem rectificando deducere norunt. Nam ſi in Pharmacopolio aliquo ſibi comparare quis vellet eadem, quæ neſcit, quo pacto parata ſint, an forſan jam corrupta huic uſui omninò inſerviant, an non inſerviant, vehementer decipi poſſet. Non ſufficit, ſi quid in uſum adhibendum ſit, ut ſolum nomen habeat & viribus ipſis careat, nec aliquid effectui dare poſſit: cum dictæ matricis ægritudines non corporalibus, ſed ſpiritualibus & efficacibus medicamentis curandæ hîc doceantur. Neceſſariò igitur requiritur, ut medicamenta, quæ diximus, olea nimirum & ſpiritus iſti optimè parata ſint, & ſolius odoris & inviſibilis virtutis emiſſione, & ejectione vires ſuas exerceant. Spiritus urinæ adeò volatilis, & adeo ſubtilis eſſe de-

H 3 bet,

bet, ut ex aperto vitro evanescat, ac ideo magis in ejus custodia & conservatione diligentia opus sit, ut in vitris probè clausus retineatur, & ipso evanescente mortua tantum, & omnibus viribus carens, & inutilis aqua remaneat. Ideo peculiaria vitra quæ tales spiritus non dimittunt, conficere docui, quorum imago in secunda meorum Furnorum Chymicorum parte, in loco, ubi de Spiritu Urinæ agitur, depicta est. Pari ratione dicta olea probè rectificanda, & admodum volatilia reddenda sunt, ità ut calido aëri exposita paucis horis evanescant, quod si non fecerint, nihil etiam omnino efficient. Equidem aperte fateri debeo, me toto illo, quo vixi, tempore nunquam bonum Urinæ spiritum, nec benè rectificatum ceræ oleum aut laterinum reperisse, ut de spiritibus ex capillis, cornibus, & plumis aut pennis nihil dicam. Nudum, viribus carens, & salsum phlegma quidem apud plures inveni, sed spiritum ipsum Urinæ verum non offendi. Olea laterinum & ceræ in omnibus quidem Pharmacopoliis inveniuntur, sed maximam partem longo situ corrupta & inveterata, crassa, rubra, tenacia, odore suo debito privata, fœtida & omnibus viribus suis spoliata. Raro enim talia olea rectificantur, sed talia venduntur, qualia prima vice ex retorta exeunt, cum salsa quadam acrimonia adjuncta, quæ in rectificatione demum in fundo remanet, & ab oleo separatur. Talia olea nullius sunt pretii, & ad hanc curationem non pertinent, nihil quippe effectura,

fectura, quod hîc ut monerem, intermittere non potui. Nam quando æger forsan in hoc meo libello legit, quòd talia olea ad dicta matricis vitia pellenda maximè conducant, nec tamen aliquid solatii, & auxilii eodem usus percipit, proculdubio mihi, perinde ac si veritatem non scripsissem, & non oleis malè paratis, culpam imputabit. Hoc igitur prædico, si olea bona non fuerint, etiam effectum speratum neutiquam consequuturum esse. Unde suum oleum bonum aut malum fuisse æger sciet? Mercator seu venditor, illud vetus, male paratum, & odore privatum esse non fatebitur. Ita in authorem sæpè culpa transfertur, ut inutilia, & veritati non consentanea scripsisse arguatur. Sed incommodi culpa in neminem alium cadit, quàm in Magistratus, qui ad talia connivendo eadem permittunt. Quando igitur unusquisque iis instructus esse debet, quæ in Pharmacopolio aliquo requiruntur, & interea tamen paucas merces vendit, cæteræ omnes situ consenescunt & corrumpuntur, ac si nonnunquam totius anni spatio unum aut alterum simplex aut medicamentum semel aut bis quæratur, tradit ea, quæ habet, quæ si ægro opem non ferunt, Pharmacopolæ tamen crumenam juvant. Sed injustum est, & amori seu dilectioni proximo debitæ contrarium, quo conscientia gravatur. Æger auxilio fretus in medicina exhibita solatii sui spem ponit, quæ si bona non fuerit, morbo invalescente ægro moriendum est, cum tamen vivere potuisset,

tuiſſet, ſi bona & utilia medicamenta, inutilium, & malorum loco uſurpaſſet. Videat ergo ille, qui talium factorum culpam fert, quo pacto tandem Deo villicationis ſuæ rationem redditurus ſit. Quæ dixi, jam repeto, & adhuc firmiter aſſero, commemoratum Urinæ Spiritum, ut & Olea laterinum & ceræ cæteraque capillorum, cornuum & pennarum olea, & ſpiritus efficaciſſimos eſſe in pellendis affectibus matricis, quodcunque etiam nomen habeant, & apud natu minores æquè atque apud adultiores & natu majore fœminas ſumma cum admiratione ad uſum adhiberi. Quare æquum & juſtum eſſet, ut in omnibus Pharmacopoliis invenirentur, & in promptu cuncta debito modo parata eſſent. Nam non modò in morbis uterum affligentibus, ſed etiam in multis aliis morbis & affectibus corporis benè & ritè præparata, ac interius & exterius debitè adminiſtrata miraculoſè operantur, & incredibilia præſtant, de quibus in ſecundâ Furnorum parte prolixius, quo pacto præparanda, & uſurpanda ſint, actum eſt, ut hic nulla repetitione egeant. Quiſvis intellectu præditus facile conjiciet, mortuo corpore, & cadavere exanimi ſpiritum vivum longè efficaciorem eſſe, quod nulla probatione indiget. Quoniam igitur hîc auditum eſt, quod tam graves, & forè ab unoquoque incurabiles æſtimati morbi Matricis, quibus tot fœminæ omni auxilio deſtitutæ abripiuntur, ſola ſubtilium ſpirituum applicatione curandi ſint, & illorum præparatio

tàm

tàm paucis innotuerit, in debilis ſexus Fœminini gratiam meliorem & efficaciorem medicinam docebo, & ſimul etiam exemplo probabo, quod omnes ſpiritus ſubtiles Spagyricæ artis operâ concentrari, & viribus ſuis augeri poſſit, ac unus ſpiritus alterum concentrandi poteſtatem & facultatem habeat. Et quoniam hic tractatus & omnia in ipſo medicamenta propoſita eò tantum ſpectant, ut admirandæ Nitri virtutes detegantur; ac præterea monſtratum eſt, quomodo omnia dicta medicamenta ejuſdem adjumento parari debeant; idem & in hujus medicamenti enarratione, & demonſtratione fiet. In ſecunda Furnorum parte ſpiritum Urinæ & ſalis Armoniaci Tartari calcinati additione parare docui: Sed tamen jam concentrata urina, ſive Sal armoniacus cum duplo pondere Nitri fixi miſceri, & diſtillari poterit: Sic enim ſpiritus illi fortiores & efficaciores evadunt, quàm ſi Tartarus ipſis addatur. Et ſi oleum laterinum vel ceræ additione terræ, quæ per candefactionem oleum aut ceram imbibit, diſtillatum eſt, adhuc ſemel per concentratum ſpiritum ex Nitro diſtillari, & ad ſummam ſubtiiitatem adduci poteſt: quod ſequenti modo faciendum. In una libra Spiritus Nitri ſolve 4. uncias lapidis Calaminaris; Solutione in vitreâ phialâ Balneo vaporoſo vel ſicco impone, ut phlegma ſenſim evaporando abeat. (Nam lapis calaminaris omnes ſpiritus ſecum retinet, & phlegma abire patitur) & Spiritus Nitri craſſo

oleo ſimilis in phialâ maneat. Hujus Spiritus Nitri concentrati ℞. partem unam, & dimidiam partem Olei Laterini, vel ceræ; Utramque retortæ vitreæ luto probè munitæ infunde, ac per arenam diſtillando à ſpiritu concentrato in magnum vas recipiens (nam hoc oleum ſpatioſo loco recipiendum eſt) expelle, qua operatione longè penetrantius fit, quàm anteà fuit. Nam ſpiritus Nitri concentratione per lapidem Calaminarem omni ſuo phlegmate orbatus, cum magis attrahens evaſerit, & nihil aliud, quod attrahere poſſit, inveniat, occultam in oleo humiditatem omnem quæ priori diſtillatione ſeparari nequivit, ſibi aſſociat, & hoc modo efficit, ut oleum neceſſario ſubtilius & efficacius evadat, imò tàm penetrans fiat, ut admiranda, præcipuè in Matricis affectibus, præſtet, quibus nonniſi Spiritus admodum ſubtiles mederi poſſunt, quod præter omnia cætera in mundo medicamenta concentrati iſti ſpiritus longè certius & ſecurius efficere ſolent. Eodem planè modo cæterorum oleorum concentratio & purificatio peragenda, & effectui danda eſt. Ne autem alicui ſcrupulus moveri poſſit, quonam pacto aqua oleo aut ceræ omnem humiditatem reſpuentibus miſceatur, cujus hîc ab oleo ſeparationem docui, ille hoc ſciat velim, quod multa pinguedo, ut olea vegetabilium expreſſa, nunquam ſine humiditate aquoſa exiſtant, licet ea inviſibilis animadverti non poſſit. Nam ignis eam per diſtillationem manifeſtare poteſt;

ut ipſum oleum olivarum teſtatur, cujus libra una 6. vel 7. aquæ acidæ lotones per diſtillationem reddere ſolet: quod & alia olea, cera, terebinthina, reſinæ, gummi, pixi, ſuccinum, & omnes ardentes pinguedines faciunt. Imò ipſe Spiritus vini ardens, aliique tales ex vegetabilibus parati nunquam penitus phlegmate ſuo privari poſſunt, niſi ſali alicui calcinato infuſi rectificentur, in eo humiditatem ſuam relinquant, & ſubtiliores evadant. Notandum autem, quò ſiccior & magis attrahens ille ſal fuerit, eò lubentius illum ex Vini ſpiritu humiditatem attrahere, & penes ſe retinere. Tali igitur rectificationi ſales vegetabilium, tartarus calcinatus, & Nitrum fixum maxime inſerviunt. Cæteri Sales corroſivi, ut Sal Armoniacus fixus, vitriolum calcinatum, & ſimiles ſui proprii ſpiritus volatilis quàm ſpiritus vini phlegma extrahere & ſibi aſſociare magis amant. Hæc de ſubtilibus oleis ſubtilioribus reddendis, ut admiranda in medicina præſtent, dicta ſufficiant. Poſtquam igitur aliquot ex maximè neceſſariis medicamentis, per Nitrum paranda cum modo ipſis utendi, quæ divino auxilio accedente in præcipuis morbis tàm ad præſervandum, quàm curandum tutò uſurpari poſſunt, in hac ſecunda Pharmacopœæ meæ Spagyricæ parte deſcripſi: plura alia quoque his adjungere, atque ità numerum augere etiam poſſem. Sed quoniam ejuſmodi bonorum medicamentorum haud pauca in meis hactenus editis ſcriptis 1. nimirum,

2. 3. 4.

2.3.4. & 5. parte Furnorum, Miraculo Mundi, & Opera Minerali occurrunt, & plura adhuc in sequenti hujus Pharmacopœæ Spagyricæ parte tertia, opere Vegetabili, ut & in 2. 3. & 4. parte de Prosperitate Patriæ descripta sequentur, necessarium non esse arbitror, ut hisce diutius immorer, sed tantum conclusionis loco, tanquam corollarium addam adhuc unicum ex Nitro medicamentum, quod non ex minimis erit. Quandoquidem autem hoc non commune & vulgare est, sed magna mysteria sub se complectitur consultum mihi non videtur, ut ejusdem præparationem perverso mundo ob oculos ponam. Sufficiat igitur hîc indicium saltem facere, quod Nitrum vulgare oculis nostris albissimum apparens in se animam sanguineo colore rutilantem contineat, quæ Vulcaniæ artis beneficio ei extorquetur. Dum enim Vulcanus antiquum illum Draconem catenis ligatum, ferreo & igneo suo malleo, ad summas angustias redigit, nec tamen planè occidere potest, Neptunus auxilio ipsi veniens Basilisco clarum speculum obvertit, venenoque suo proprio repulso ipsum occidit. Qui cum primum mori incipit, & ignem evomere desinit, Neptunus omni formidine deposita propius accedens cute ovilla rictui ejus admotâ ejusdem sanguinem & animam excipit, ac in salsum mare præcipitat, in quo immersa & suffocata omne venenum, & omnes sordes deponit, & in pulcherrimam & ruberrimam medicinam convertitur. Hujus animæ Nitri

unica

unica guttula aquam communem, qua vitrum aliquod commune repletum eſt, colore aureo tingere poteſt. Sed qui hunc Draconis ſanguinem ignis adjumento in Salamandram igni reſiſtentem mutare poſſet, Is cum felice Jaſone meritò comparandus maximos honores, theſauros & divitias conſequeretur. Ex his omnibus cuivis tantæ artis ſtudioſo patet, quanta in Nitro myſteria recondita lateant. Quæ hactenus deſcripta ſunt, ſcintillæ tantum ſunt ejuſmodi myſteriorum. In quarta de Proſperitate Patriæ parte, & ſequuturo hujus Pharmacopœæ Spagyricæ tertio tractatu plura, & eminentiora medicamenta metallica per Nitrum paranda deſcribentur; idque eum in finem, ut unuſquiſque agnoſcat, quàm admirandum & excellens Subjectum ſit Nitrum, quod ab antiquis maximè occultatum, & nunquam vero ſuo, ſed plurimis ænigmaticis nominibus appellari ſolitum eſt. Hinc infinita nomina ortum ſuum duxerunt: Aqua ſicca, aqua manus non madefaciens, Mercurius Hermaphroditus, Balneum regis, Sapo ſapientum, Draco volans, Urina puerorum, Sterquilinium, Azoth, Lavacrum Latonis, Acetum acerrimum, Aqua Stygia, Mors vivorum, Vita mortuorum, Purgatorium corporum imperfectorum, Baſiliſcus, Serpens biceps, Venenum maximum, Venenum herbarum, Menſtruum mulierum, & ſimilia infinita, quibus verum ipſius nomen occultatum cymmeriis tenebris involverunt, quod tamen à me

jam

jam revelatur, & toti mundo ob oculos ponitur, ac porrò in tribus reliquis de Prosperitate Patriæ tractatibus, qui propediem sequentur, revelabitur, & detegetur, ut admiranda ejus potestas, & efficacissimæ vires, quas in metallorum emendatione, & medicamentorum metallicorum præparatione exercet toti Mundo patefiant & innotescant. Non solum autem scriptis hoc demonstrabo, sed etiam manu, & reipsa in Laboratorio apto omnium meorum hactenus scriptis in lucem editorum Furnorum constructionem, & usum, ac multorum excellentium medicamentorum præparationem, ut & ipsius transmutationis metallicæ veritatem, Deo volente, propediem publicè ostendam. Nec tamen hoc facturus sum eo fine, ut proprium meum commodum promoveam, sed potius id eâ de causâ effectui dabo, ut multorum millium, qui ægritudinibus variis affliguntur, saluti & utilitati consulatur: & totus Mundus metallorum transmutationem per abjectum Nitrum revera possibilem esse videat, credat, & fateatur. Quia verò in ejusmodi demonstratione, si Laboratorium tantum unius anni spatio frequentandum, & quotidie in elaborandum, & confectiones tot medicamentorum monstrandæ essent, maxima variorum medicamentorum copia in promptu futura à me ipso ad usum adhiberi non posset, nec etiam contra usui forent, si reposita nemini utilitatem parerent, venalia prostabunt, & unicuique exiguo ac vili pretio

tio vendentur, ut in ſuum uſum, neceſſitate ità poſtulante convertere queat. Ad hoc faciendum nulla nos avaritia impellit, ut nobis magnas divitias comparemus, ſed tantum acquiramus, quò omnes neceſſariis materiis, carbonibus, vitris & aliis rebus ſumptus neceſſario impendendi compenſando ſarciantur. Hoc igitur opere tàm bono & laudabili non ſolum occulta Naturæ myſteria, in Dei honorem, toti Mundo patefient, ſed etiam miſeri ægri facilè bona medicamenta conſequentur, ac priſtinam valetudinem recuperabunt: Imò haud pauci egeno utiliſſimo Nitri uſu in tranſmutandis inferioribus metallis in meliora quietius & melius ſe ſuſtentare poterunt. Ut autem totus Mundus videat, & animadvertat, quod non commodum aut lucrum proprium quæratur, ſed ex Chriſtiana dilectione ſolum proximi emolumentum ſpectetur, in ſequuturæ tertiæ partis fine medicamenti cujuſque pretium adjungetur, ex quo facile unuſquiſque conjicere poterit, non lucrum aut commodum magnum, ſed ſumptuum duntaxat recuperationem hîc ſpectari, cum nemo inveniatur, qui aliis docendis magnos ſumptus impendens & laboris & ſumptuum jacturam libenter facturus eſſet. Lubenti animo alios docere volo; Pecuniam addere, & jacturam facere nolo. Mundus ingens & ſpacioſus eſt: Ægrorum qui auxilio indigent, numerus magnus: Ideò hoc laboratorium publicum, Deo volente, toti Generi humano plurimum commodi afferre poterit, &

etiam

etiam afferet. In hoc Laboratorio omnes Furni, & omnia inſtrumenta, quorum in ſcriptis meis editis mentionem feci, & imagines depictæ ob occaſionis defectum addi non potuerunt, ut & eæ fornaces, eaque præla, & inſtrumenta, de quibus in 1. 2. 3. & 4. parte de Proſperitate Patriæ, Opere Vegetabili, aliiſque ſcriptis meminimus, aut mentionem faciemus, oculis cernenda exhibebuntur, quod certè plurimis, qui à labore non abhorrebunt, in neceſſariis alimentis acquirendis maximo adjumento futurum erit.

Porrò omnia mea ſcripta hactenus edita, cum hinc inde ab aliis me inſcio admodum negligenter & vitioſè imprimantur, eadem correcta, emendata, & figuris, quæ hactenus defuerunt, ornata & aucta iterum in lucem edam: Quod artis amatores & ſtudioſos celare nolui. Hiſce alteram Pharmacopœæ meæ Spagyricæ partem claudam, & tertiam propediem ſubjungam, unicè optans, ut meum hoc opus plurimorum ægrorum commodo & ſolatio inſervire poſſit. Amen.

FINIS.

PHARMACOPOEÆ
SPAGYRICÆ
TERTIA PARS,

Vegetabilia, Animalia, & Mineralia per Salem, & Ignem Spagyricâ methodo mundandi, & in penetrantia ac citissimè, citrà omne periculum, operantia medicamenta mutandi rationem & modum docens.

Quibusvis morborum doloribus, cruciatis, & auxilio indigentibus solatium & opem ferendi gratiâ conscripta & edita.
Studio & Operâ

JOHANNIS RUDOLPHI GLAUBERI.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno CIↃ IↃ C LXI.

PRÆFATIO

Ad Lectorem Benevolum.

MEditatione seriâ, Lector Benevole, statum miserrimum ex primorum parentum nostrorum peccato ortum trahentem, totiusque rerum universitatis vanitatem, & pereundo evanescentem naturam, ut & tot ac tantis malis, miseriis, & doloribus obnoxiam hominis vitam expendentem me haud immeritò in summam admirationem rapit cæcitas & incuria immensa generis humani, eâ de re nec quicquam laborantis, & Sathanæ instinctu soli & uni pecuniæ congerendæ inhiantis, ac virtutem susque dèque habitam odio summo prosequentis. Quarum rerum tamen affinem nemo se profiteri vult, eâ opinione imbutus, quod rectè & ordine rerum suarum satagat, & officio debito fungatur, si majori ac potiori cœtui adhærens ejusdem in vivendo morem modumque observet, ac æmuletur. Vnde fit, ut peccata & vitia in virtutis sede suâ turbatæ locum succedant, virtusque ipsa apud quemvis ferè, imò summos & imos in pretio nullo habeatur, ideoque non sit, cur aliquis admiratione capiatur, quod morbi innumerabiles, dolores incredibiles, fames horrendæ, bella horribilia, &, ut verbo dicam, tot calamitatum acervi genus humanum obruant, & opprimant. Peccatorum nostrorum copiam immensam tot malorum, & ærumnarum scaturiginem esse, ex quâ infiniti generis humani cruciatus & vexationes scaturiant, procul dubio nemo est quem fateri non oporteat, tantum abest, ut diffiteri aut se excipere ausit. Si igitur peccata nostra

faciunt, ut tot ac tantorum malorum acervis cumulemur, cur illa non amolimur à nobis? Sublatâ enim causâ, ut Medici ajunt, morbus tollitur. Sed heus tu, inquiunt; A peccatis abstinere non possumus. Fieri non potest, ut aliter agamus, ac consuetudo nos docuit: Imò cur idem, quod alii, non faceremus? Quid ipsi dicerent? profectò nos insanire putarent, si ei rei nos studere viderent, ut boni & integri viri evadentes, ad bonam frugem nos reduci pateremur. Res ita succedere nequit; authoritati, & modo vivendi hactenus inter mortales usitato planè adversatur: Quicquid aliis evenerit, & nobis eveniat licet. Quò alii plures, eodem & nos evademus. Agite, si aliter fieri non potest, & in latâ, quam ingressi estis, viâ pergite; sed audite etiam quid Sapiens dicat: Quicunque peccat, in Medici manus incidit. Num ægritudinum vestrarum causam, & originem intelligitis, & percipitis? Et hoc ipsum tolerari aliquo pacto posset, si in Samaritanorum Medicorum manus incideretis, qui misericordiâ moti vulnera vestra ligarent. Sed, proh dolor! decumbimus ægri in perverso hoc mundo, loco tali, in quo nulli Samaritani, sed tantum Sacerdotes & Levitæ prætereuntes nos miseriæ nostræ immersos relinquunt: quâ de re profectò soliciti simus, ac operam demus oportet, ne tàm facilè, & tàm temerè nos ipsos in tot ac tantas ægritudines, præcipites agamus: Sin verò factum fuerit, consilium sequamur oportet, quod nobis Sapiens suggerit, dicens, Ne, Fili, pecces; *Si verò peccas: Medici manibus te obnoxium fore memento, ideoque, Deum precator, ut tibi tua peccata remittat, ac firmiter*

ter tibi propone, quod inposterum à peccando abstinere velis. Posteà utere medicinâ eum in finem à Deo creatâ. Quod si feceris, convalesces. En vides miser ægrotè, quid tibi faciendum sit, ut mox valetudinem pristinam recuperes. Miserum te dico, quandoquidem revera miser est, qui morbis & doloribus affligitur, quantumcunque bonorum etiam possideat, cum iis frui non possit. Aliquis hîc dicere posset; Imò pauper sum & æger, nec suppetit mihi, quo vivam, aut quod Medico dem, ut mihi auxilium ferat; Hinc ægritudo mea, & dolor, illius superat magnitudine ægritudinem, qui pecuniâ & bonis cumulatus, & vitam sustentare facilius, & in Medicos pecuniam erogare valet. Sed, mi amice, ne pilo quidem pauperior es divite illo, utpote qui æquè citò, ac ille valetudinis pristinæ compos fieri potes, si modo velis. Integrum enim tibi est precibus tuis compellare Deum, ut tibi peccata tua condonet, & ignoscat. Si precari nescis, disce, ac utere postea mediis iis, quæ prastò sunt, fide verâ, & fiduciâ auxilio divino confidente; nec dubita, quin æquè citò, ac ditissimus quisque, pristinam valetudinem consequuturus sis. Divinæ benedictionis opera etiam vilis herbula plus auxilii ferre tibi poterit, quam impio locupleti, aurum potabile ipsum. Hoc solatio niti potest pauper, cui res angusta domi impedimento est, quominus in magni pretii medicamenta nummos sibi non suppetentes erogare queat.

Divitibus hoc solatii & consilii subministro, ut videlicet cum Deo in gratiam redeant, ac abundantium suorum bonorum parte pauperes participes reddant, ac

tum demum medicamenta bona in usum adhibeant, ut eò citius pristinæ sanitati restituantur.

Vbi verò aut unde ejusmodi medicamenta quærenda sint, Medicus ipsi suus monstrabit, si bono erga ipsum animo affectus fuerit. Inter medicamenta enim maximum est discrimen, utpote quorum hæc efficacia, penetrantia, viva, spiritualia, matura pura, subtilia, & sanantia sunt; illa verò inepta, obtusa, mortua, terrestria, crassa, immatura, immunda, & corruptibilia. Prout jam illud fuerit, quod usurpaveris, tales etiam vires, ac talem efficaciam in eo quoque experieris. Aliena non contemno, & mea talia offero, qualia habeo: de quibus periculum facturus discrimen offendet, & opus magistro suo debitam laudem conciliaturum videbit.

In quinque furnorum meorum Partibus, ut & hujus Pharmacopœa Spag. Prima & Secunda Parte singulares, & admodum aptos Vegetabilia, Animalia, & Mineralia in salutaria medicamenta mutandi modos præscripsi & docui, ità ut prolixiore ejusmodi materie hujus tractationis hic opus non fuisset. Sed reliquam Tertiam Partem in lucem emittere, nec debui, nec potui intermittere, non eo solum nomine, quod plurimi ejus desiderio tenebantur, & mihi meis promißis standum fuit, sed etiam hoc, quod eadem ipsa Pars ægro Generi Humano maximè profutura lucem aspicere profectò meretur, utpote quæ singularem & hactenus ignotam Vegetabilia, Animalia & Mineralia in salutaria medicamenta purgando redigendi rationem & viam patefacit. Firmiter autem sperans, nullus dubito quin opera, & labor hic in ægrorum gratiam à me susceptus

ceptus omnibus piis, & integræ conscientiæ studiosis hominibus sit gratus futurus, præcipuè si breviore hoc opusculo in compendium, quantum fieri poterit, contracto, Lectori non tædium, sed jucunditas pariatur. Si etiam quibusdam Idiotis & ignorantiæ Fratribus præsentem opellam meam culpare aut virtuperare libuerit, eos rogatos velim, ut illud statim, & me adhuc inter vivos versante occipiant, quò ipsemet propriæ meæ causæ patrocinari queam. Quoniam verò opus ipsum magistri sui præconium pronunciat, veritas mendacium convincit, & experientia ignorantiam superat, neutiquam timeo, aliquem ejusmodi quid aggredi ausurum, nisi perfidus, & omnis honoris expers Farneri frater esse velit, nihilominus tamen inventurus eum, à quo repelli poterit, si necessitas id postulaverit.

Cum etiam in Primâ hujus meæ Pharmacopœæ Spag. Parte luculenter admodum demonstraverim, quo pacto Vegetabilia Fermentationis, & Destillationis ope in efficacissima, suavissima, & citatissimâ operatione pollentia medicamenta converti possint, quam præparationem nemo, quamtumvis nasutus, emendabit, tantum abest, ut repudiet: In altera autem Parte clarè admodum ostenderim; Vitrum verum esse universale solvens, quo omnia venenata Vegetabilia, Animalia & Mineralia corrigantur, & venenum, ac venenata qualitas in saluberrimum medicamentum mutetur; Illud adhuc docendum restat, quânam ratione, omnia Vegetabilia, Animalia, & Mineralia dicti menstrui universalis, aut alius alicujus ex Sale quocunque concentrati Spiritus ope, & singularis modi, destillationis nimirum

ac rectificationis auxilio ad ſummam puritatem deducenda, & in efficaciſsima medicamenta mutanda ſint. Ex his omnibus quiſque promat, quæ voluerit, ac reliquis ſuum pretium reliquum faciat. Nondum natus eſt, *qui omnibus & ſingulis ſatisfaciat, tantum abeſt, ut cæteris ſorte non potior ego idem ſperem. Quin mihi uſu venturum ſcio, quod aliis evenit, qui patriæ ſincero, & fido animo benefacientes non ſolum gratiam nullam ab ingratis hominibus iniverunt, verum etiam inimicitiam & odium ſibi conciliarunt. Sed hoc mihi ſolatio eſt, omnia, quibus proximum noſtrum afficimus, ſive bona ſive mala fuerit, olim nobis cœlitus, & quidem menſurâ pleniſſimâ compenſatum iri. Huic ſolatio innixus aleam jacio, & in* Nomine Domini *pergo, rumpantur vel ilia artis contemptoribus cunctis, & invidia tumidis riſoribus. Deus verò faxit, ut in ſui* Nominis *honorem, & corporum, ac animarum noſtrum omnium ſanitatem & incolumitatem labor hic meus cedat.*
AMEN.

PHAR-

PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ

Tertia Pars.

Vegetabilia, Animalia,& Mineralia destillationis ope, & Spirituum ex Salibus eductorum adjumento in bona & pura medicamenta redigendi modus ita se habet. Vulgari viâ Vegetabile, animale, aut minerale quodvis per se aut in Balnea, arenâ, aut aperto igne in Oleum, Spiritum & Salem volatilem propellitur. Hæc via hactenus diu usitata fuit, & adhuc usurpatur, quam non admodum laudare possum; quandoquidem ejus Spiritus, Olea, & Sales volatiles, sive ex Animalibus sive ex Vegetabilibus eliciantur, fœtorem admodum ingratum ex destillatione contrahunt, eoque penitus non depósito, licet sæpius iteratis destillationibus rectificentur, semper tamen empyreuma aliquod non suave, & gustui admodum adversum conservant, quod facit, ut ægri à medicamentis talibus non immeritò planè abhorreant, licet viribus & virtutibus insignibus polleant, & referta sint, ut experientia ipsa docet. Si autem eo, quem in secunda Furnorum Parte docui, modo per Spiritum Salis rectificentur, clara, & pellucida evadunt, ac fœtore omni amisso suavitatem acquirunt, & usurpantibus grata & accepta fiunt,

quod ſine hâc, quam dico, Rectificatione fieri neutiquam poteſt. Omnes artis Chymicæ periti artifices cognitum & exploratum habent, quod Vegetabilium ac Animalium potiſſimæ & maximæ virtutes in oleis ac Salibus volatilibus conſiſtant, (NB. In Mineralibus, quorum partes Mercuriales efficaciſſimæ ſunt, contrarium apparet) ac utrumque tàm Oleum quàm Sal in hac deſtillatione per retortam expulſa uſtionem aliquam redoleant, ideoque & abjecta ac contempta ad uſum rarò adhibeantur. Quod profectò dolendum eſt. Ii, qui Vegetabilium olea ex ahenis cupreis adjectâ aquâ pluviâ, aut aliâ deſtillant; probè norunt, quam parum olei acquirant; & quod maxima pars in aheni fundò, in materiâ ipſâ reliqua maneat, ac nemini emolumentum vel minimum afferat. Fieri enim non poteſt, ut aqua vulgaris ad eum caliditatis gradum perveniat, qui omni pinguedini ex vegetabili eliciendæ & evocandæ par ſit: Parum igitur ſecum abducens, quicquid reliquum eſt, coquendo craſſum, & tenax evadens apud herbam in aheni fundo relinquit. Ideò nonnulli, quibus hoc innotuit, Salem & tartarum diſtillando vegetabili adjiciunt, quæ uno gradu aquam calidiorem reddunt, & plus olei propellunt: qui modus laudem ſuam quoque meretur, quanquam ejus non eſt efficaciæ, ut dimidia olei pars adſcendat, quod in cauſa eſt, ut ejuſmodi olea deſtillata magno pre-
tio

tio comparanda ſint. Si autem mea in deſtillando viâ uterentur, plus olei acquirere & majore ægros emolumento afficere poſſent Exemplum unicum proferam in medium, ex quo intelligatur quantum commodum pariat, & quanto diſcrimine diſtet mea hîc deſcripta deſtillandi ratio, ab eâ, quæ vulgari uſu recepta eſt. Eſto quod remediũ quæram in calculo curando vires præſentiſſimas exhibens, ac omnino certus ſim, illud in Fraxino latêre, quod jam in Prima ac Secunda hujus meæ Spagyricæ Pharmacop. Parte demonſtravi, probè cognitum habens, oleum ex Fraxini ſemine deſtillatum inter omnia calculum expellentia medicamenta maximè excellere, quod experientia ipſa multoties docuit. Fraxinus verò ipſa ſeminis affatim quidem exhibet, ſed ſeminis ipſius copia parum olei præbet, eò quod reſinoſum illud cum aquâ aſcendere renuat; unde pauci eodem oleo parando occupantur, ac pauciores adhuc ægri ob nimis grande pretium ejuſdẽ participes fieri poſſunt. Deploranda profectò res, quod Deus Opt. Max. hominum aſpectui tantam hujus medicamenti copiam exponat, & tàm pauci, aut ferè nemo eodem fruatur. Quod ſi contingat, ut diligens aliquis medicus oleum hoc parandum curet, & illud corrigendi modũ hunc meum ignoret, plus interdum mali quam boni eodem operatur, ideo quod Salem volatilem continet, veſicam cupream, ex quâ deſtillatur, & refrigeratorium, quod percurrit, erodentem

tem & plærumque viridem, aut fubluteum colorem induentem. Oleum tale à pluribus, ut dixi, nefcientibus in ufum adhibitum, ob cuprum, quo imprægnatum eft, ægris naufeam excitavit, ftomachũ debilitavit, atque ità ægro magis damnofum, quàm utile fuit. Si illud adhuc femel Salis Spiritu rectificaffent, aut ad minimum in vitro aliquo cum eodem probè quaffatũ ftrenuè moviffent, ut Salis Spiritus ex oleo cuprum extrahere potuiffet, prudenter admodum feciffent, ac medicamentum excellentiffimum confequuti fuiffent, haud exiguo tamen pretio adhuc conftans, cum faccus femine dicto repletus, cui portando viri alicujus validi vires ægrè fufficiunt, vix duas oleì uncias, quibus emendis pauperum curtæ facultates vix pares funt, reddere foleat.

Omnium igitur ægrorum divitum juxta ac pauperum gratiâ meum operandi modum hìc opponam, quo exiguis fumptibus Olea, Spiritus, & Sales volatiles ex omnis generis Vegetabilibus copiosè extrahuntur, ut ità omnigeni homines divinis donis frui, & ipforum participes fieri poffint, & omnium bonorum creatori, & largitori fummo fummas gratias agendi occafionem habeant.

In Nomine Domini accipe, quodcunque Vegetabile volueris, eoque ingentem retortam vitream impletam igne gradatim tamdiu urge, donec afcenderit, quicquid ad exeundum proclive fuerit. Oleum à Spiritu, ac Spiritum à Sale volatili

latili per rectificationem ſecerne, & Salem volatilem proprio ſuo capite mortuo, aut alio ex cinere extracto, & probè prius candefacto, aut ignito ſale rectifica, ut omnia pura ac munda reddantur, & fœtorem amittant, quem ex prima deſtillatione contraxerunt. Si una rectificatio non ſuffecerit, eandem bis aut ter, novo Sale fixo ejus herbæ aut vegetabilis, ex quo Spiritus paratus eſt, probe candefacto, itera. Oleum ipſum licet etiam ſuo proprio capite mortuo rectificari poſſit, eadem tamen rectificatio neutiquam comparari poteſt cum meâ, quæ meritò priori præferenda ſequenti viâ effectui datur.

Oleum illud nigrum, & fœtidum, quod aſcendit, infunde retortæ alicui puræ, & vitreæ, aut cucurbitæ, eidemque affunde ſex aut octo partes optimè rectificati Spiritus Salis. Retortam vel cucurbitam arenæ impoſitam igne leni primò urge, quem ſenſim augebis, prout operatio ipſa poſtulaverit. Oleum cum Spiritu Salis pulchrum, clarum, & pellucidum in excipulum appoſitum tranſibit, ac fœtor cum nigredine apud portionem Spiritus ejuſdem aliquam in fundo reſidebit. Si autem oleum illud ſemel dictâ ratione rectificatum ſuavius reddere deſideres, recenti Spiritu Salis idem adhuc ſemel, aut toties rectifica, donec odor, & color tibi placuerit. Oleum, quod in rectificatione non aſcendit, ſed in fundo relictum eſt, à Spiritu Salis ſecerne. Craſſum erit Nigri Balſami inſtar, magnaſque vires

res

res habens,ad internum & externum uſum commodè adhibetur,licet interno ejus uſu non opus ſit,cum olei clari hoc modo acquiſiti copia ſufficiens jam adſit. Ut autem proximo meo fideliter inſerviam, & ipſe etiam, quæ hactenus propoſui melius intelligat, auctarii loco hanc ſimilitudinem ſubjungam. Oleum Fraxini paraturus capio quatuor,quinque, aut ſex libras ſeminis maturi ex arboribus Septembri aut octobri menſe decerpti, eodemque retortam impletam igne tamdiu urgeo, donec omnia in excipulum deſtillando ſe receperint. Nigri olei conſequor unam, duas, interdum etiam tres, quatuor,quinque, aut ſex, ac Salis volatilis aliquot uncias: Spiritus verò aridi libras aliquot. Et quia oleum ſolum requiro, illud à Spiritu ſegrego, & per Spiritum Salis rectifico, & clarum ac mundum ad uſum repono, aut etiam proprio ſuo Spiritu ardente in eſſentiam redigo, ut in Primâ Pharmacopœæ hujus parte docui, aut ſaccharo in Morſellos muto, aut pro lubitu meo aliâ quacunque ratione præparo. Sic ex quinque aut ſex libris ſeminis plus olei nanciſcor, quam per veſicam ex centum libris. Huc accedit, quod reliquiæ in fundo poſt rectificationem reſidentes externo uſui optimè inſerviant, ità tamen paratæ, & adhibitæ, ut ſequitur.

℞. Oleum hoc craſſum, & à Salis Spiritu ſegregatum, cui aliquantum ceræ addes, ut denſius redditum corio aut linteo alicui illini, ac emplaſtri

plaſtri inſtar uſurpari queat. Jam ſi ægro alicui oleum illud clarum interno uſu adhibueris, renum regioni externæ illud emplaſtrum imponito, quod forſan externè tantū operabitur, quantum internè oleum clarum efficiet; atque ità unum ſubjectum duplici ſubſidio ægrum levabit. Imò ſi triplici auxilio ægris ſuccurrere deſideres, Salem volatilem ſublimando mundare, mundatum ſpiritu ſuo acido ſolvere, ſoluto lintea madefacere, linteis madefactis, ac crebrius calefactis, renum regionem totam quotidiè fomentare, & fomentatione peractâ remotiſq; linteis, eidem loco, uti dictum eſt, emplaſtrum imponere poteris. His omnibus ritè peractis nullum eſt dubiū, quin æger auxilium evidens ſenſurus ſit, niſi Deus ſingulari modo illud impediat.

NB. Pari ratione & alia Vegetabilia præparari in olea, ſpiritus & emplaſtra redigi, ac ad eundem morbum curandum & levandum adhiberi poſſunt. Talia ſunt Saxifragia, Petroſelinum, Carvum, Cuminum, & aliæ ſimiles herbæ, ac radices. Nec ſemper Fraxini ſemen neceſſarium eſt, ſi quando non lubet; præcipuè verò quia id genus arboris haud libenter paſſim naſcitur, & etiam non ubique reperitur, imò nec ſingulis annis plurimo ſemine abundat. NB. Sed objicere aliquis poſſet, quoniam Oleum, Spiritum, & Balſamum ex ſeminibus parandi modum præſcripſi, unde tantum ſeminis ſuppetere poſſit, ſi ex herbarum ſeminibus medicamenta conficienda

enda forent? Ei respondeo, quod semina ista non adeò necessaria sint, si facili negotio comparari nequeant, cum medicamenta talia ex ipsis etiam herbarum radicibus, caulibus, foliis & floribus parari possint. His tamen cunctis semen ipsum ideò ante posui, quod potissimæ, & maximæ Vegetabilium vires plærumque in ipsorum seminibus lateant, & concentratæ hæreant. Alias si semen in promptu non est, ipsum Vegetabile totum ad hanc operationem adhibeatur oportet, quod licet in olei copiâ reddendâ semini non respondeat, præscripto tamen à nobis modo olei satis suppeditabit. Imò si semina, flores, folia, & caules defuerint, radices solæ tamen multum olei suppeditabunt, arborum cumprimis, ut Fraxinorum, Tiliarum, Nucum, Cerasorum, Persicorum, & similium. Ligna arborum ipsa multum olei quoque largiuntur per descensum, aut ignem suppressionis, quem modum jam antehac docui. Sic ex parva fraxino aliquâ facilè aliquot olei libras elicere integrum erit, si modo rectè & ordine operatio instituatur. Proinde olei inopiâ nemo laboravit, nisi qui ipse eadem laborare voluerit.

Hæc tamen ità dicta accipi non velim, quasi olea ex Vegetabilibus copiosè parandi, & per Spiritum Salis rectificandi modus hic à me præscriptus ea tantum Vegetabilia concernat, quæ calculo mederi solita hîc in hoc ipso talia subjecta præparandi exemplo nominavi. Minimè gen-

gentiũ.Nam omnia vegetabilia, cuicunq; morbo etiam medeantur, commodiſſimè dicto modo in ſuavia medicamenta mutari poſſunt. Nec ipſa ſolum Vegetabilia, ſed etiam Animalia & Mineralia, at diversâ ratione, ut poſteà ſequetur. Eſt autem adhuc aliquid, de quo hîc, ubi de Vegetabilium oleis & deſtillatione ago, mentionem quoque faciam oportet, ſi forſan imperitorum aliquis regereret & diceret; forſan olea per retortam aut deſcenſum ex ſubjectis ſuis expulſa, & per Salis Spiritum rectificata viribus tantis non pollent, quantis illa, quæ per veſicam aquæ beneficio ex Vegetabilibus evocata ſunt. Ut hunc præveniam, & inutili ſua curâ liberem, primum rogo, quâ in re Vegetabilium, & Animalium vires potiſſimum conſiſtant? an in natura & proprietate occultâ & ipſis innatâ, an verò in odore ipſorum & ſapore? Reſpondeo: Maximæ plærorumque Animalium & Vegetabilium vires in naturâ & proprietate ipſis innatâ conſiſtunt, non autem in ipſorum odore & ſapore, ut evidenter ex Vegetabilibus nonnullis patet, quæ omni ferè ſapore & odore carent, & nihilominus tamen excellentes vires in medicina exſerunt. Contrà inveniuntur, quæ ſuavi ſapore & odore prædita parum aut nihil ad medicinam conferunt. Imò ſunt alia odoris, & ſaporis admodum ingrati, quibus efficaciam nobiliſſimam ineſſe experentia ipſa loquitur. Inveniuntur quoque, in quibus cum odore & ſapore ſuaviſſimo etiam vires in

medicinâ utilissimæ conjunctæ occurrunt, prout à Deo eum in finem creata sunt. Porrò inficias non eo, odorem & saporem suavem & acceptum Spiritui vitali quandoque robur conciliare, licet paucæ admodum vires ipsi subjecto insint. Imò rei alicujus suavis & pulchræ aspectus ipse cor roborat; rei autem fœdæ intuitus idem debilitat. Exemplo sunt homo aliquis pulcher ac blandus, & aurum cujus aspectus solus cor exhilarat, quod ab irato homine, & venenato animali terretur, & quasi debilitatur, ac interdum planè occiditur. Nec solum aspectus prodest, aut nocet, verum etiam ipsa hominis vox nuda prodest, aut obest, debilitat, & necat, prout subjecti proprietas, bona aut mala fuerit. Imaginationis ipsius efficacia tanta est, ut bonum aut malum producat, ægrum aut sanum reddat, quod hujus non est loci, sed ad meum de naturalibus, & supernaturalibus rebus libellum, in quo de hac materia agitur, pertinet. Attigimus hæc tantum ea de causâ in loco hoc, ut imperitis demonstremus, Vegetabilium virtutes in eorum innatâ naturâ potius quam in odore, & sapore consistere, & olei ex Vegetabilibus destillationem, ac per Sp. Salis rectificationem viribus eorundem ipsis nec prodesse nec obesse, verum efficaciam ipsam in eodem semper statu manere, quocunque etiam modo destillatio peragatur, si modò destillatum illud denuo purgatur, ac ipsi adimatur, quicquid impuritatis ex primo labo-

labore contraxerit. Exempli gratia, si in distillatione per retortam olea empyreumate infecta fuerint, hoc accidens ipsis rectificationis per Spiritum Salis ope iterum adimi potest. Hæc imperitorum causâ hîc indicare coactus fui.

Quemadmodum autem hîc Vegetabilia, itâ etiam Animalia in Oleorum, Salium, & Spirituum distillatione tractanda, adeò ut prolixiore his de rebus tractatione hîc neutiquam indigeamus. Ipsorum, Vegetabilium scilicet & animalium, vires & virtutes Medicus ex Signatura ipsorum cognoscat & sciat, non autem ex Scriptorum variorum consarcinatis libellis addiscat, oportet. Signatura enim rerum omnium virtutes & vires ipsis insitas multo melius & certius nobis indicat, quam Scriptores plurimi, qui ea tantum scripserunt, quæ auribus hauserunt, ipsi re ipsâ parum aut nihil scientes. Sed his tantum indicatis acquiesco, cum mihi per præsentem meam conditionem largiori differtationi indulgere non liceat. Quæcunque facio, in egenorum ægrorum gratiam facio, eoque fine Spiritus acidorum Salium in Vegetabilium, & Animalium subjectis per Spiritum Salis purgandi, & ad medicinam aptandi modum revelo, sine quo profecto nunquam in tantâ copiâ illud fieri potest. Qui postea quam jam indicatus est, pauperibus quoque eodem frui integrum erit, utpote qui jam Pharmacopolis precium solvere poterunt, cui divites

anteà vix ſolvendo erant. NB. Illud hîc obſervandum adhuc, quod Animalia quidem eodem planè modo ut Vegetabilia per retortam deſtillanda ſint, ut Olea, Spiritus & Sales ipſorum volatiles acquirantur; quod etiam & ſal volatilis eadem omninò ratione rectificari & mundari poſſit: Sed oleum nudo illo Salis aut Nitri ſpiritu rectificari neſciat, ac cum ipſo aſcendere recuſet, niſi prius calaminaris Lapidis adjumento concentratus fuerit. Nam tum demum olea abrepta ſecum avectat, quod alias facere renuit. Modus autem Spiritus acidos concentrandi ad hanc rectificationem mox in ſequentibus occurret. Præmittam tamen ipſi unam adhuc operationem deſtillandi & rectificandi, ut certius ægris indicium faciam, & omninò laborantium me melius intellecturorum errores futuros præcaveam. Ex aliquot Terebinthinæ libris oleum deſtilla, fecibus in fundo relictis: Quamvis hoc oleum per deſtillationem purius redditum ſit, quam anteà fuit, aliam tamen ignis ope naturam & proprietatem ſibi acquiſivit, calidiorem nempè, ob quam in poſterum non ad omnia illa adhiberi poteſt, ad quæ uſurpari poterat, cum terebinthina adhuc eſſet, nec nimis tenuis nec nimis denſa, ut & nec nimis calida, nec nimis frigida, nec etiam nimis ſubtilis, aut craſſa, ſed in eſſentiâ ſuâ temperatæ proprietatis particeps, quam deſtillatione amiſit, ità ut ob ſubtiliorem & calidiorem ſuam qualitatem, ut anteà, ad quoſ-

vis usus adhiberi nolit. Quid consilii igitur, si exemplum hoc in medium hîc non produxissem? Etenim objicere quis potuisset; Destillatione subjecta quidem puriora & subtiliora reddi posse; sed contra calidiorem proprietatem, & efficaciam acquirere, atque ideò commoda non esse, quæ omnibus subjectis purgandis sine ullò discrimine adhibeantur. Huic incommodo ut succurratur, ac olea destillata post mundationem in pristinum raritatis, densitatis, caloris & frigoris gradum reducantur, conservatâ tamen puritate illâ, quæ destillationis auxilio acquisita est, sequens operatio efficiet: Ponamus casum, quod Terebinthina in primo gradu sit calida & subtilis, destillatione tertium caloris & subtilitatis gradum, ac tandem rectificatione quartum nacta sit. Equidem inficiari non possum, tantæ subtilitatis oleum nonnisi ad frigidiorum affectuum medelam adhiberi posse, cum tamen antea ad diversos usurpari potuerit, quod jam fieri nequit. Ad hæc respondeo; quod omnia concedam, si vulgari & cognito more modóque destillatio perficiatur. Sed cum modo meo suprà præscripto longè aliter comparatum est. Quamvis enim res destillationis ope subtilem cum puritate calorem adipiscantur, ac in quibusdam operationibus nimis tenues & calidæ evadant; in rectificatione tamen per Spiritum acidum qualitates illæ franguntur, dividuntur, & separantur, ità ut pars earũ ad pristinam crassitiem, & tenuitatem redeat,

alia ſubtilis maneat, ità ut ex uno ſubjecto tenues & calidæ juxtà cum craſſis partibus haberi queant, omnibus tamen & ſingulis puris manentibus, quod exemplum hoc demonſtrabit.

Salis aut Nitri Spiritus quoad intrinſecam ſuam naturam merus eſt ignis, quoad extrinſecam purum putum frigus, quo omnia tenuia rigeſcunt, & indurantur, ut hîc firmabimus. Cum igitur diſtillatio calorem introducat aut foràs vertat, & attenuet, rectificatio eundem rurſus intrò vertit per Spiritum acidum, incraſſat, & in æqualem temperaturam reducit. Nam quando primâ vice oleum aſcendit, totum in uno loco idem eſt, ac in altero, calidius puta & tenuius, ac anteà fuit. Quando autem per Spiritum acidum rectificatur, primo ſubtiliſſimum quodque diſcedit, minus ſubtile ſequitur, craſſior & denſior pars in fundo reſidua caloris, & craſſitiei gradu eodem cum Terebinthina convenit, ac intrinſeco æquè atque extrinſeco uſui inſervit, quod & vulgaris Terebinthina facit. Præter hoc habeo minus illud ſubtile ſeu mediocre oleum, & Spiritum illum ardentem & penetrantem ſubtiliſſimum, qui ad eos corporis affectus conducit, ad quos ſubtiliſſimum quid requiritur. Eum, ſi mihi viſum fuerit, ſuo proprio oleo craſſo reſiduo ac puro, aut aliâ aliquâ materiâ commodâ iterum condenſare, atque ex uno eodemque ſubjecto tot gradus conficere poſſum, quot voluero, cum tamen ipſa Terebinthina unum tantum gradum
ab

ab initio habuerit. Videt ergò benignus Lector, quomodo se habeat mea Distillatio, & per Spiritum acidum Rectificatio; quæ mihi non solum multò plus olei istius clari & suavis, imo triplo, quadruplo, aut quintuplo plus, quàm ex destillatione per vesicam consequor, largitur, sed etjam ex Vegetabilibus & Animalibus Sales volatiles, ut & Spiritus aut aceta acria & acida exhibet, sicut & bonam crassi istius olei partem, cujus usus extrinsecus admodum commodus est; quæ omnia tamen in capite mortuo residua manent, si destillatio per Vesicam adhibetur. Commendat itaque, hujus Destillationis & Rectificationis bonitatem & necessitatem non modo ipsa majoris copiæ olei puri acquisitio, verum etjam possessio Salis volatilis viribus, quoad usum suum oleo non cedentis, ut & Spiritus acidi, qui tam in usu extrinseco, quam intrinseco vires suas mirâ efficaciâ prodit. NB. Ex omnibus Chymiæ peritis jam quæro (quibus ignis ignotus est, ex iis non est quod aliquid quæram) num hæc destillatio cæteris non præferenda, & in Generis Humani commodum & usum non adhibenda sit? Officio meo debito jam functus sum; si qui contumaces, & obstinati fuerint, contumaciæ fructus in ipsos, non autem in me redundabunt. Conscientiam meam liberam præstiti, & optima medicamenta consequendi viam facilem monstravi. Talento mihi concesso à creatore meo inposterum proximi mei commodis inservire,

& vitam meam, quantumcunque ejus supereſt, impendere non deſinam. Lectorem Benevolum ſpero hanc ſibi præſcriptam viam ſequuturum, & ex unicâ hac præparatione & operatione ſibi fideliter revelatâ tantum percepturum, ut facili negotio quodvis Oleum deſtillatum acidi Spiritus adjumento in priſtinam ſuam denſitatem, & duritiem, quam ante deſtillationem habuit, redacturus ſit. Contempletur aliquis Succinum, externo aſpectu adeò pulchrum & pellucidum lapidem, qui antea liquidus & mollis fuit, haud ſecus ac Terebinthina, oleum, aut bitumen aliud montanum, quod aquæ ſalſæ adminiculo ità induratur, ut in pulverem tundendo aut molendo comminui queat. Nihilominus tamen deſtillari, ac deſtillationis operâ terreſtri ſua naturâ exui, ac ſpoliari, oleumque ejus mundatum poſtea denſitati & duritiei priſtinæ alicujus Spiritus Salis adjumento reſtitui poteſt, quoniam anteà liquidũ, & molle ab aqua, in quam ex ſcopulo effluxit, etiam induratum eſt. Sed de his ſatis multa dicta ſunt; plura ſuo loco dicentur.

Sequitur jam Mineralia per Deſtillationẽ & ſublimationem mundandi, & rectificatione per Spiritum acidum ad puritatis ſummum gradũ deducendi modus & operatio, ſitque exemplo Sulphur vulgare, cujus mundatio in cæteris mineralibus purificandis eodẽ pacto peragenda præſcribitur.

℞. Vulgaris Sulphuris flavi quantum vis, & uſitato more, aut per ſe, aut admixto ſale toſto, qui

qui illud ab omni ſua craſſâ terreſtreitate liberat, & ad purificationem per Spiritum acidum idoneum reddit, ex cucurbitâ, luto benè munitâ ſublima. Florum horum ſublimatorum libram unam immitte in cucurbitam vitream luto probe obductam, ipſiq; Spiritus Nitri vel Salis communis libram unam aut alteram affunde, & cucurbitam arenæ impoſitam lento igne primo urge, eodemque ſenſum ac pedetentim aucto tamdiu Sulphur coque, donec liqueſcat, & Spiritui Salis, inſtar olei aquæ innatantis innatet. NB. Alembicũ imponas cucurbitæ oportet, ut Spiritus in auras non evaneſcat, ſed in alembico refrigeratus & condenſatus recipiatur. Quinque aut ſex horarum ſpatio perficitur hæc coctio, quæ ſulphur purificat, & inſtar vitri clarum ac pellucidum reddit. Salis enim Spiritus metallicas portiones Sulphuri admixtas, ſive cuprum fuerit ſive etiam Arſenicum, Auripigmentum. Vitriolum, aut ſimile quid heterogeneum, quibus Sulphur plærumque commiſcetur, ſolvit, & cuncta ſoluta ad ſe trahit, quæ aliàs Sulphuri adhærerent, & in Medicina plus mali quam boni operarentur; id quod Paracelſo non ignotum fuit, unumquemque ideò fideliter monenti, ut hac in re ſummam cautionem adhibeat. Incredibiles in Sulphure virtutes latere tàm certum eſt, quam quod certiſſimum. Sed vulgares Flores eaſdem non exſerent, utpote qui adhuc venenatis illis Mineralium Spiritibus imbuti ſunt, & iiſdem nonniſi Spiritus Salis ope liberari poſſunt. Tum

demum aut in Flores iterũ sublimati, aut juniperi vel Terebinthinæ Spiritu in Balneo soluti, aut alia quâcunq; ratione in liquidã formam redacti, vires suas præstantissimas in Medicina prodent, nec qualitates ejus venenatę amplius reformidandę sunt, cum salis spiritus easdem jam removerit, Equidẽ hîc præparationes aliquot præstantes admodum Sulphur vulgare in medicamenta excellentia redigendi adjicere possem, nisi fusiori narrationi meipsum non implicare, sed solam per spiritum salis purificationem hîc patefacere mihi proposuissem. Itaque illas in alium locum rejicio.

Quemadmodum autem hîc Sulphur, ita etiam alii succi terrestres, & minerales tractari possunt, dum primò per retortam mundantur, & in olea nigra destillantur, ac olea ista nigra Salis Spiritu purificantur, ac in olea & balsama admodum suavia convertuntur. Vix credere quis posset, quantas virtutes succi ejus generis montani, & terrestres occulant, sed tamen Arsenicalibus, uti dictũ est, spiritibus infectas, quas Salis Spiritus tollit, & facit, ut talia subjecta postmodum ad Medicinam tutò & jucundè adhiberi possint. Si experientiâ magistrâ cuncta hæc non addidicissem, & expertus essem, iis describendis & palàm faciendis mihi supersedendum esset. Ut imperitos cuncta, quæ dixi, dilucidius edoceam, historiam hîc subjungo, ex quâ ejusmodi succos montanos ut plurimum malis, & venenatis Spiritibus Arsenicalibus obsitos esse patebit. In Erbacensi comitatu inter

ter

ter Mœnum & Nicrum fluvios in Franconiâ sito copiosa arena reperitur, liquido quodam succo terrestri mixta, & in massas ingentes collibus, aut monticulis similes concreta, quæ prunis imposita suavem, instar succini, fumum emittit. Hujus portionem in retortam immisi, ac oleum destillando elicui, nihil omnino à succini oleo abludens, quod ad medicinam adhibuissem, nisi experientia mihi contrarium quid monstrasset. Nam quia arena dicta suavissimo odore nares ferit, cum prunis imponitur, eâdem ad cameras fumo tam suavi replendas usus sum, sed fumum illum sanitati non conducentem, at veneno imbutum illicò animadverti, utpote qui caput dolore afficiebat, & nauseam excitabat, eo quod stomachus eidem tolerando non par esset. Hinc occasio mihi nata, ut fumum illum omiserim, & oleum inde destillatum per Spiritum Salis summo studio rectificaverim. Rectificatio hæc clarissimum & suavissimum mihi oleum exhibuit; Spiritus autem Salis Arsenicalem illam materiam omnem ad se traxit, qui rectificando iterum evocatus naturale Arsenicum in cucurbitæ fundo reliquit, & quid ille succus penes se habuerit, manifestavit. Unde mihi innotuit, quod tales succi terrestres Arsenico infecti sint, ac ideò ad usum internum haud tutò admitti possint, nisi Salis Spiritu prius venenatâ istâ qualitate orbentur. Varii autem generis succi ejusmodi terrestres inveniuntur, quorum ignotorum, quid sint.

etiam liquidi, & admodum tenues, inſtar olei. Talis ſucci ſcaturigo ſub Baccharaco urbeculâ illâ vino ſuo nobiliſſimo famoſiſſimâ ex medio Rheno ebullit, flumen totum ad dimidiam & tres horas itineris pinguedine ſuâ tegit, & ſuaviſſimum odorem promit. Ejus fuſco colore nitentis, cum prærernavigarem, aliquantum emiſſâ manu ex cymbâ hauſi, ejuſque ſaporem linguæ guſtu exploravi. Ex copioſiſſimâ profectò ſcaturigine erumpat neceſſe eſt, quandoquidem tantum Rheni ſpatium tegit, quantum proſpectui oculorum in longitudinem patet, quam tamen ex centum aut mille præternaviganribus neminem animadvertere mihi perſuadeo. Proculdubio ejuſdem ſcaturiginis origo ex montibus, utrumque Rheni latus obſidentibus, progreditur, quæ ſi in terrâ exitum haberet, maximo pretio æſtimanda & redimenda eſſet. Nunc verò ex aquæ profunditate emergens nemini utilitatem, aut commodum afferre, nec etiam colligi, aut acquiri poteſt. Si ſciendi homines cupidi locum dictum inhabitarent, forſan facili negotio ſcaturiginis illius principium indagaretur. In latere enim Rheni, in quo oppidum illud Baccharacum ſedem ſuam habet, excelſus quidam mons nobiliſſimum illud ſuppeditat vinum, quod longè latéque in alias regiones exportatum magno pretio venditur, quippe linguam ſuaviſſimo ſuo ſapore mirè afficiens, & odore jucundiſſimo nares feriens, cui nomen vini Muſcatelli,

ſeu

ſeu Muſcatellini ab uvis ejuſdem appellationis incolæ fecerunt. Solus autem mons dictus ejuſmodi vini ferax eſt, cæteris circumjacentibus tale non producentibus, id quod mihi anſam conjiciendi præbuit, quod hæc petrolei propè Baccharacum ſe in Rhenum effundentis ſcaturigo, ex dicto monte vinum illud odoratum producente oriatur. Quoniam verò mons ille tantum vini non ſubminiſtrat, quantum quidem deſideratur, & expetitur, incolæ temporis lapſu eò calliditatis progreſſi ſunt, ut in vulgaria vina ſcarleam herbam injiciendo, illud nobile in monte illo ſublimi naſcens imitari ſtudeant, ac ferè eundem his ſaporem concilient, quo naturâ ſuâ illud præditum eſt. Nec eſt cur alicui hoc abſonum aut à ratione alienum videatur, quod ex terrâ ſaporem aliquem vites ad ſe trahant; Certum enim hoc & verum probè obſervavi, ac ſæpius expertus ſum, quod cum materia ipſa ſecum ferat, intermittere non poſſum, quin ſententiam hanc meam dilucidius & clarius adhuc ob oculus ponam.

Infrà Francofurtum dimidiæ & trium horarum intervallo à flumine Mœno diſtat pagus quidam, Hochemium nomine, ad Electoratum Moguntinum pertinens, in quo vinetum quoddam excellentis vini ferax eſt, non quidem eum ſaporem habentis, quem Baccharacenſe habet, ſed alium quendam admodum acceptum, ut & odorem adeò fragrantem & ſuavem, ut omnibus

iſtius

iſtius regionis, imò cunctis cæteris in toto Rhenano tractu naſcentibus palmam præripiat, ac ideò in ſummo pretio habeatur. Tantæ excellentiæ cauſam attribuo terræ, in quâ uvæ iſtæ naſcuntur proprietati, quæ producit carbones foſſiles, olim copiâ magnâ ex fodinis ſuis erutos, & hoc tempore iterum quæſitos, de quibus, quod etiam ſuave petroleum complectantur, in ſequentibus mox agendum erit. Porrò Mœnum adverſum aſcendenti occurrit arx & oppidum Klingenbergum, inter Ottonicam ſilvam, & Speſſartum nemus grande, ubi illa terra reperitur, de quâ ſuperius dixi, quod oleum adeò ſuave reddat. Idem mons oppidò propinquus, qui terram dictam habet, vinum ejuſmodi ſuave, & palato acceptum quoque profert, quod duobus modo dictis Baccharacenſi nimirum & Hochenheimenſi ne minimum quidem concedit. Num verò tantæ bonitatis cauſa ſit petroleum illud dictum, affirmare certo non poſſum; Cauſam tamen & caput ejusdem illud idem eſſe mihi perſuadeo. Credat alius pro lubitu ſuo quicquid volet. Herbipoli mons eſt ad Steinum, id eſt, lapidem, nominatus, qui etiam celebre vinum ſubminiſtrat, non tamen præcedentibus ſapore reſpondens. Unde rithmorum vulgarium apud Germanos origo: Wurtzburgi ad Stenum, Klingenbergi ad Mœnum, Hochenhemi ad Reenum, & Baccharaci ad Rhenum naſcitur quadruplex optimum vinum. Hochenhemi ad Reenum,

Reenum, vel Rainum, id eſt ad collem ſeu clivum.

Equidem fatear neceſſe eſt, quanquam paſſim ad Mœnum optima vina proveniant, quod tamen prædicta quatuor cæteris omnibus præponenda ſint ob ſaporem gratiſſimum,& acceptiſſimum, quem ex ſolo, in quo produci ſolent, nanciſcuntur. Huc enim certum & indubitatum eſt, quod vites præ cæteris plantis & Vegetabilibus omnibus ex terrâ ſaporem & odorem ſibi concilient, ex quâ nutrimentum ſuum trahunt. Hinc non difficulter aliquis naturalium rerum peritus cuivis viti eum, quem voluerit, ſaporem conciliaverit, prout hoc vel illud, vitium radicibus, appoſuerit. Sed cuncta hæc tantâ verborum libertate pronuncians certò ſcio, riſores naſutos fore, qui ex hâc meâ de vini ſapore ſuavi, & de ejuſdem origini Baccharaci Hochenhemi, & Klingenbergi, ubi ſucci illi montani inveniuntur, ſententiâ, arrepturi ſint occaſionem dicendi, quod eadem falſa ſit; quod mihi tamen tolerandum eſt. In exhauriendo bona vina cantharis grandibus longè promptiores ſunt tales homines, quam in proferendo rationes ullas originem demonſtrantes, ex qua ſapor ille reverâ progrediatur. In meâ ſententiâ ſtabilis permaneo, & cum fundamento ac experientia dico, quod vitis talem ex terrâ ſaporem attrahat, & uvis ſuis communicet, qualem in ipsâ inveniat, cujus rei ſæpenumero periculum feci,

&quam

& quam veram experientia magiſtrâ didici.

Hortulanos profectò non fugit, quod humanum ſtercus flores in creſcendo maxime promoveat; ſed & hoc etiam non latet, quod odore tetro eoſdem inficiat; unde florum odoratorum radicibus idem apponere non audent, ſed iis tantum adjiciunt, qui omni odore carent, quales ſunt Tulipani & ſimiles, quorum celerrimam accretionem ſtercus dictum promovet. Facile eſt porrò animadvertere, quando radices vitium ejuſmodi locum attingunt, in quo ſtercus humanum jacet, quod tetrum odorem contrahant, & eundem uvis impertiant, adeò ut tam tetri odoris participes vix edi queant. Res hæc diligentibus hortulanis jam ex ipsâ experientiâ innotuit, vitium radicibus ſcarleam, aliaſque benè olentes herbas apponentibus, quæ in uvis talem ſaporem procreant, non tamen anno uno diutius permanentem. Quod ſi radices oleo aliquo forti & odorato imbuere poſſent, vites decem aut plures annos ejuſdem ſaporis & odoris uvas producturæ eſſent, qua de re fuſius in Opere meo Vegetabili egi. Iis, quæ hic dixi, proferendis materia anſam præbuit, quod nempe copioſiſſimum Petroleum in terrâ hæreat, & plantis, atque cumprimis vitibus, vires ſuas impertiat, & efficacium fructuum productionem efficiat, id quod admodum pauci cognitum & perſpectum habent. Quo autem incredulis & imperitis firmiore argumento & indicio fidem faciam, quod

ſucci

ſucci terreſtres maximam ſuavitatem poſſideant, deſtillatione, & rectificatione per Sp. Sal. eruendã, & acquirendã, ſequenti exemplo totã rẽ ſtabiliã. Carbones foſſiles paſſim ex terrâ effoſſos, & lignorum loco ad fovendum ignem uſurpatos tetrum in ardendo fumum exhalare quis ignorat? Venenatos eos eſſe primũ homines opinati ſunt, quam tamen opinionem delevit quotidianus eorum uſus iis in locis, ubi copiosè effoſſi, & ad cibos coquendos adhibiti nulla eoſdem noxa afficiunt. Unde tandem conceſſum eſt, eos per ſe tantum fœtorem non edere, ſed ignem fœtoris cauſam exiſtere, pinguedinẽ vero carbonibus inhærentem, & fumo tàm tetrô exhalatam ſuaviſſimo odore & ſapore imo tam ſuavi, ut in ullo vegetabili ſuavior eſſe non poſſit, imbutã eſſe, quod ita demonſtrabo. Exemplo ſit gratiſſimi odoris roſa, aut quodcunque aliud Vegetabile acceptiſſimum odorem exſpirans; Si per retortam deſtillaveris, fragrantiâ ſuâ jucundiſſimâ ſpoliabitur, & nil niſi fœtorẽ & empyreuma redolens exibit. Cur idẽ & ſuccis iſtis terreſtribus, carbonibus foſſilibus ac ſimilibus uſu non veniret? Haud diffiteri poſſum, ſi per veſicã ex Vegetabilibus ſufficiẽs olei copia comparari poſſet, quod hac per retortam deſtillatione, & per Salis Spiritum rectificatione, multum laboris requirentibus facili negotio carere poſſimus. Sed quia illud fieri nequit, dicto modo utamur neceſſe eſt. Hoc tamen aſſero, ſi omnino fieri poſſet, ut ex foſſilibus carbonibus oleum per

Veſicam eliceretur, quod fragrantiſſimo ſuo odore omnium aromaticorum oleorum fragrantiæ ne minimum quidem conceſſurum eſſet. Nam ſi Sulphur univerſale in terrâ occultum non latitaret, unde quæſo, tot herbæ omnigenæ, tanto diſcrimine diſtantes, odores, & ſapores peterent. Sed ut tandem diſſertationi huic finem imponam, & demonſtrem; Foſſilibus carbonibus ſuaviſſimum oleum, ac pretioſum & ſalutare Balſamum ineſſe, virtutibus ſuis, omnibus balſamis & oleis pretioſis ex India ad nos allatis, planè non cedens, ſequenti operatione illud confirmabo.

Ex retortâ foſſilibus carbonibus impletâ oleum nigrum deſtillando expelle, illudq; ab acidâ aquâ, quæ unà adſcendit, ſegrega, & per Spiritum Salis rectifica. In hac rectificatione primò clarum & pellucidum exibit oleum, huic aliud flavum ſuccedet, prioris ſuavitati non reſpondens: craſſum & nigrum in fundo relictum extrinſeco uſui & emplaſtris inſervit, quippe innatâ ſuâ ſiccitate ſanationem, & conſolidationem accelerans. Oleum flavum repetitâ rectificatione itidem clarum, album, & ſuave evadit. Jam ſi ulteriorem oleorum clarorum ſegregationẽ expetieris, & recenti Spiritu Salis rectificationem iterare volueris, quicquid ſubtiliſſimum primò exiverit, ſolùm excipies, ac ſeorſim conſervatum naturali petroleo calore, ſubtilitate ac ſuavitate haud inferius comperies, utpote quod ad frigidos

affectus

affectus in & extra corpus usurpatum omnes eas vires, quæ petroleo ascribuntur, imò majores exercebit: Nec ullum hic incommodum ab ejusmodi oleis, quasi adhuc Arsenicali aliqua proprietate infecta essent, timendum, quandoquidem in rectificatione Spiritus Salis omne illud Arsenicum sustulit. Oleum subtilissimo proximum, aut quibusvis Balsamis admisceas, aut ita per se intus & exterius in Medicinâ tutò usurpes licet: Mira effectui dabit, imò plura, quàm quis cogitatione sua forsan comprehensurus esset, ideo quod carbones fossiles efficacissimas virtutes balsamicas possident. Sulphur modo superius dicto purificatum, in hoc oleo solutum, atque in Balsamum redactum medicamentum adeo excellens evadit, ut jure ac merito Balsamus universalis, terrestris, mineralis nuncupari queat, ac omnibus aliis Balsamis tàm quoad extrinsecum, quàm intrinsecum usum viribus suis longè antecellat. Eâ de causâ ejusdem copiam sufficientem parandam dare constitui, ut Humano generi eodem inservire possim. Si virtutes ejus excellentissimæ omnes descriptione debita illustrandę essent, magno ad id libro opus foret, quod hujus loci non est, vbi indicasse hâc vice sufficit; Quo pacto ejus præparatio instituenda sit. De virtutibus ipsius futuro tempore, Deo dante, ut & de aliis medicamentis alio in loco mentio fiet.

Hisce Tertiam Pharmacopœæ meæ Spagyricæ Partem finio, eâdemque satis multa me indi-

caſſe arbitror. Quanquam autem libellus aſpectu parvus & exiguus apparet, maximas tamen res in receſſu habet, quas ex mille non unus intelligit, aut comprehendit, vel comprehendere poteſt. Ut vero Lector Benevolus ſentiat, & animadvertat, quæ realitas in hoc parvo Tractatu abſcondita latitet, appendicis, & auctarii loco unicam adhuc operationem ſubjungam, ex quâ liquebit, & addiſcere licebit, quam nobilis ſit ars, rem aliquam deſtillando purificare; Vegetabilium & Animalium deſtillatio quâ ratione expedienda ſit, jam ſatis notum eſt; ut & illud manifeſtum quoque exiſtit, quod in deſtillando ſubjecto aliquo puriſſimæ partes primo egrediantur, minus puræ ſequantur, ac tandem inutilis, & craſſa terreſtreitas, cũ fixo Sale in fundo reſidua maneat. Metallorum deſtillatio nondum adeo vulgaris facta eſt, nec omnino conſultum eſſet, ut adeo vulgaris evaderet, imo tam facile etiam vulgaris non fiet: Nam Diabolicus hic mundus divulgatione ejuſmodi dignus non eſt. Majores noſtri artem hanc maximo ſtudio ſemper occultarunt, ac poſteros ſuos, idem facere juſſerunt, ut margaritæ porcis non objiciantur, ſed dignis tantum Artis filiis reſerventur. Ac quamvis Rhodios ſaltus non jactem, ſed potius exiguo meo talento proximi mei commodis ſervire integro ac ſincero animo ſtudeam, ut hactenus etiam ſtudeo, à diverſis tamen Philoſophis mihi quaſi exprobratur, quod magna injuria Artem afficiam

adeo

adeò apertè omnia dicendo, & margaritas porcis objiciendo. Ea de causa me hortati sunt, ut inposterum in Naturæ secretis edendis parciorem, & cautiorem me præberem, quod nuper admodum à Philosopho quodam Hermetico adhuc factum est, qui binis literis majorem mihi circumspectionem, & silentium cautius commendavit, & cujus admonitioni me audientem fore pollicitus sum. Quia autem hoc Opusculum quasi postulat, ut Metallicæ purificationis demonstratio adhuc clariòr promatur, in Nomine Domini illud fiet, quod pii tantum percipient, & impios clàm erit, licet apertissimè & clarissimè scriptum fuerit. Impius enim superbia turget, superbia tumidus est cæcus, & abjecta ac contempta nihil facit. Cum igitur Veritas, ut & ipse Deus, atque omne bonum integrum & sincerum sit, & coram mundo abjectum appareat, etiam mysteria divina externo aspectu vilia, tuta & intacta à superbo hoc, & perfido mundo manent. Itaque promissis meis staturus, ut modum ostendam, quo metalla spiritualia reddantur, & ad summam puritatem adducantur, sequens exemplum hîc propono.

Nemini ignotum est, si quid siccum ignis ope sublimandum, & purgandum est, quod aliquod humidum, & volatile ipsi adjiciendum sit, quod crassum ac grave complectatur, ac secum in superiorem & altiorem locum subducat, ut ex vulgari herbarum destillatione liquido constat, qui-

bus ſiccis aqua adjicitur, ut odor & ſapor ab iis ablatus unà cum oleo & Spiritu aſcendat, quod etiam in ſalibus locum habet, ſed non in duris, ſulphureis, & Mercurialibus, Mineralibus, multoque minus in fixis illis Metallis. Homogenea enim ſunt, in quibus nullâ vi ignis puriores partes ab impurioribus ſegregari poſſunt, niſi prius debitis menſtruis ſoluta ad deſtillationem aptata fuerint. Quicquid in flores ſublimando redactum fuerit, illud in reductione in idem corpus redit quod ante deſtillationem & ſublimationem habuit; unde opinio invaluit, neutiquam fieri poſſe, ut in Metallis puriores partes ab impurioribus ſeparentur; Quod falſum eſt. Imperitis, & neſciis, ac craſſis ingeniis omnia videntur impoſſibilia, apud quos de magni momenti ſecretis in naturâ judicium non eſt quærendum, ſed potius nullo fundamento innitens ipſorum opinio rejicienda & repudianda eſt. Quî cœcus de coloribus judicabit, quos cernere nequit? Sed ut ad propoſitum meum redeam, & ſtabiliam; Quod per deſtillationem ex craſſis metallis etiam aurea eſſentia elici, & ſecerni poſſit, illud notiſſimis rebus ita evincam. In vulgari Aqua forti ex Vitriolo & Salepetræ parato ſolve argenti puri unciam unam, quo plane ſoluto, & in aquam claram converſo ſolutionem ſenſim in aliquod aliud vitrum parvum infunde, ut Aurum, ſi quod in Argento fuerit, in prioris vitri fundo maneat, & cum ſolutione Argenti non com-

commiſceatur, ac experimentum falſum evadat. Poſtea tantum ſalis culinarii, quantum Argenti ſolutum fuit, in aqua communi ſolvendum, & ſolutioni argenti infundendum eſt, infuſione utriuſque mox ex uno vitro in alterum, & ex hoc rurſus in prius aliquoties reiteratâ, ut omnia probè commiſceantur. Quieſcant poſt commotionem, ut Aqua Fortis effundendo ſeparari poſſit, & Argenti pulvis albus in fundo relinquatur. Hic aquâ communi toties ac tamdiu eluendus eſt, donec omnis corroſionis ac ſalſedinis planè expers fuerit. Pulvis tandem admodum albus, tener, & adeò fuſibilis evadit, ut candelæ flammâ liquari poſſit, ac Mercurio ſimilis, ideo Lunæ Mercurius nuncupandus ſit, quem Chymici Corneam Lunam appellant, ob ſimilitudinem, quam liquatus cum cornu aliquo habet, mira multa in Medicinâ & Alchymia præſtans, quæ huc non pertinent, ac ideò obiter hic, & quaſi per tranſennam adducuntur. Quod hîc de Luna docetur, idem & de Saturno intelligendum, qui eodem modo tractatus adhuc fuſibiliorem, & fugaciorem exhibet pulverem, qui facilè, imò facilius adhuc, quam Lunæ Mercurius fuſionem aut liquationem admittit, ac ideo haud abs re Saturni Mercurius vocari poteſt. Hi duo tertium, vulgi ſcilicet Mercurium libenter ſibi ſocium adſciſcunt, eum fixum reddunt, ac veritatem adſtruunt ſententiarum Philoſophicarum; Natura Naturâ gaudet, Natura Naturam

C 4 vincit:

vincit: Natura Naturam retinet. Uterque hic Mercutius destillationem, ac puriorum ab impurioribus partibus separationem, vegetabilium instar admittunt. Quo autem pacto hoc fiat, non est necessarium, ut hîc chartæ committatur. Plusquam annuum spacium huic Arcano inquirendo impendi, antequam ejusdem particeps factus fuerim. Alius quoque quærat, cui si Deus largitus fuerit, illud habebit, & si à Deo consequetur, unà & eodem porrò utendi intelligentiam accipiet. Si Mercurius per se albus, fusibilis, & fugax est, & destillatione adhuc albior evadit, necessarium quoque est, ut fugacior, fusibilior,& purior etiam evadat: Sed de his satis. Porrò in proposito meo pergam, ut confirmem, quod per destillationem metalla ita purificari queant, ut auream naturam induant. Id autem sequenti exemplo ostendam. Sume prædictæ Lunæ Corneæ unciam dimidiam seu lotonem unum, & in pristinum corpus, purum putum nempè Argentum reduc, ac per cupellam separa, ut certus sis, nil peregrini aut heterogenei ipsi inesse. Argentum illud ex cupellâ exemptum denuò in Aqua forti solve, quo soluto Auri calcem in fundo reperies. Quæritur jam, unde hoc aurum advenerit? An ex argento, aqua salsâ, aut Aquâ Forti, quæ tria ad Argentum præcipitandum adhibita sunt? Ego respondeo, quod Spiritus Nitri in destillatione ex ferro, & cupro, quæ in Vitriolo erant, aliquid aureum, seu spiritum

ritum aliquem aureum secum abduxerit, qui in Argenti solutione apud Argentum corporeus factus ex Lunâ corpus sibi adscivit. Si verò quis aliud opinari & dicere velit, quod prædictum aurum ex solâ Lunâ, & non ex Aquâ forti ortum sit: ei respondeo, quare Argentum tale solutum, quod sale tartari, aut laminis cupreis ex Aqua Forti præcipitatur, etiam Auream naturam non induat, quemadmodum hoc, quod per Aquam salsam ex Aquâ Forti præcipitatum est? Hinc dicere quis posset, quod tale Aurum ex Sale, quo præcipitatio facta est, & non ex Aqua Forti, aut Argento prodierit, quia argentum Aquâ forti solutum & cupri laminis, aut liquore Salis Tartari præcipitatum nihil auri continet. Sed ut ipsi omnis dubitationis scrupulus eximatur, probabo, quod Aurum illud quoad colorem ex sola Aquâ Forti, & quoad corpus ex Argento, & non ex Sale ortum suum habeat. Quamvis enim in quovis Sale culinario aurea quædam vis & potentia delitescat, & artis opera quoque manifestari possit, minimè tamen hâc viâ, sed modo longè alio fit, de quo aliquam in libello meo, cui Titulus Consolatio Navigantium, mentionem feci: Hoc tamen Aurum, quod apud Argentum præcipitatum reperitur, ex solo Vitriolo atque Argento, non autem Aquâ salsa ortum suum capit. Certum hoc, & captu facilius est, si Vitriolo & Salipetræ æs viride Sulphure & Sale præparatum addatur, quod Aqua fortis duplo magis

aurea reddatur, quàm si ex Vitriolo solo sine Viridi ære paratum fuisset. Ratio hæc est, quod Ferrum & Cuprum in Vitriolo fixa haud libenter aureum quid expromant. Sin autem utrumque aut alterutrum eorum, sicuti hîc de Cupro diximus, antea per Salem & Sulphur in calcem volatilem mutatum, ac Vitriolo & Salipetræ additum fuerit, tum demum ejusmodi labor cum fructu instituitur, qui alias utilitate speratâ caret. Quæ hic scribo, ea possibilitatis demonstrandæ causâ trado. Si Vitriolo & Salipetræ, aut Alumini & Salipetræ aliæ species, seu materiæ adjiciantur, quæ aurum volatile in se continent, qualia sunt Zincum, Lapis Calaminaris, & similia Mineralia, tum Aqua Fortis tantò magis Auream naturam induit: Si Salipetræ & Vitriolo mineralia Argento Volatili prægnantia adjungantur, qualia sunt Coboltum, Bismuthum, Arsenicum, tum Aqua Fortis Argenteam proprietatem nanciscitur, & Cupri partem in solutione in bonum Argentum convertit. Quæ omnia probant, crassa metalla per destillationem ita purgari, & ad eam fugacitatẽ adduci posse, ut in solutione Aurum & Argentum corporale laminis Metallorum impositis per præcipitationem affigant, prout solvens ex aureis aut argenteis subjectis præparatum fuerit. Exemplum hoc sufficere arbitror ad confirmandum, quod crassa metalla destillationis ope ita mundari queant, ut Auream proprietatem consequantur,

tur, quod cum in metallis crassioribus succedere soleat, quid de purioribus & subtilioribus sperandum, si Destillatione adjuvante adhuc puriora reddantur? Proculdubio præstantissimam ex ipsis medicinam, & Auro atque Argento ipso longè pretiosiorem æstimandam, oriri necesse esset. Ideo etiam præsens dissertatio instituta est, ut appareat, etiam fixa metalla, si debito modo reserata, & ad volatilitatem addacta fuerint, optimam sui partem libenter tradere velle, & in destillatione eandem à crassioribus partibus separari posse. Sed hæc ad Alchimiam, non autem ad Medicinam pertinent. Quæ tamen Argumenti &probationis causa huc adducere coactus sum, quod ex crudo & crasso Vitriolo per destillationem Aurum volatile eliciatur, quod Aurum aut Argentum offendens in corpus abeat, ut ita indicem, & unumquemque certum reddam, quantum commodi & emolumenti Metallorum destillatio afferat, & quàm puram substantiam ex ipsis subministret: Cujus rei indicium fecerunt omnes Philosophi consensu unanimi, & voce communi clamantes: Fac fixum volatile, & volatile fixum: Indicat idem antiquissima illa de Vitriolo sententia: Visitabis Interiora Terræ, Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam. Germanicus ille Philosophus Basilius Valentinus expressis verbis tradidit, quod ex Vulgari Vitriolo Philosophorum Lapis perinde ac ex Auro ipso, imo longè facilius parari

ri possit. Si jã fieri potest, ut summa & Universalis Medicina pro hominibus & metallis ex abjecta Cupri aqua perficiatur, cur non pari ratione fieri posset ut ex purioribus Metallis ritè prius in Vitriola sua redactis, ut destillationem tanto facilius admittũt, puriores ab impurioribus partes secernantur? Si igitur vulgare aliquod Vitriolum, Cuprum, aut Ferrum in destillatione volatile suum aurum expromit, cur nõ & Vitriolũ Lunæ majus quid, & melius exprometet? Quod verum, & unicum est Vitriolum Metallicum, quod Basilius ad opus adhibere jubet, & jure etiam Vitrioli nomen obtinet. Etenim vulgare Vitriolum ad tingendum Gallarum additionem postulat; Sed hoc Vitriolum per se sine ullius rei additione omnia nigerrimo colore obducit. Sed ne quis sibi hîc persuadeat, ejusmodi Lunam hîc intelligi, quæ Aquâ Forti soluta in albas Crystallos mutata, aut per Aquã salsam ex solutione præcipitata sit. Minimè gentium, quandoquidẽ cum Vitriolo nullo comparari potest, cum reductione facili in pristinum Argenti corpus redeat. Philosophorum Vitriolum verum, quod ex Lunâ sine Aquâ forti, aut similibus aquis corrosivis educitur, omnem porro in pristinum corpus reductionem etiam forti admodum igne tentatam respuit; sed postquam igne excruciatum est, adhuc Vitriolum manet, linguam tingit, astringit, & largiter aquam auream & suavem Aurum solventem, & se cum eodem figentem. Tale Vitriolum in Alchymia usur-

usurpabimus, & vulgare illud pannorum tinctoribus commendabimus. Veteres enim Salem suum ob similitudinem, quam cum Vitriolo vulgari quoad externam speciem habet, etiam Vitriolum nuncupaverunt; sed vulgarem illam Cupri aquam non intellexerunt, quod intellectu præditus aliquis facile deprehendit. Luna igitur esto terra, Aurum semen, & Mercurius, non vulgaris, aqua, quâ terra est humectanda: cætera Deo atque arti committe. Aliorum sententiâ salvâ, eò usque mea se extendit. Omnes jam risores & ignorantiæ fratres conjuratione factâ conspirent, fundamentum hoc tamen nunquam dejicient, quo pius ille Philosophus Basilius defenditur; & veritas adstruitur eorum, quæ dicit, quod nimirum & ex Vulgari Vitriolo aliquid auream naturam habens evocatu facile sit. Quantò magis credibile est, quod ex Vitriolo ex purioribus metallis confecto longè melius quid acquiri possit. Hisce omnibus, quæ hic scribo, fides omnino haberi potest. Etenim in vitæ meæ decursu plurimis experimentis hujus rei periculum feci, ac sæpenumero unâ vice plus, alterâ minus auri consequutus sum, prout materiam tractavi, & argentum præcipitatum reduxi. Hoc enim sciendum est, quod Argentum per Aquam Salsam ex Aquâ forti præcipitatum omninò volatile sit & fugitivum, & cæterarum Lunæ calcium more liquari nolit, partim in auras evolans, partim vero in corneum lapidem abiens, qui peculiari

liari deſtillatione totus adſcēdit, dè quo hâc vice dicta hæc ſufficiant. Ea propter neceſſitas poſtulat, ut fugitivæ ejuſmodi calci Sal Tartari adjungatur, quò cavendum, ne in fuſione per fumum abeat. Nam Sal aurifabrorum ille, quem Borras nominant, fugam illam nullo modo impedire poteſt. Melius etiam, & commodius calcis hujus Lunaris liquatio perfici poteſt pulvere illo mira celeritate Metallorum reductionem & fuſionem accelerante, qui ex Salepetræ, Tartaro & Sulphure paratus cum calce commiſcetur, pruna accenditur, & exuritur, in qua exuſtione argentum liquatum reducitur: Aliquid tamen avolat per fumum. NB. Si fumus hic excipiatur, quod factu facile eſt, in formâ rubri pulveris inventus omnes laboris ſumptus & impenſas probè compenſat. Recte Paracelſus, Corruptio, ait, perfectum bonum efficit, quia hi Flores argentei non corrumpuntur, ſed ipſum Argentum pretio ſuperant. Qui hunc laborem ſcitè adminiſtrare noverit, & ad eundem addiſcendum experientiâ magiſtrâ uſus fuerit, labore irrito ſe non vexabit. Si ex his paucis nihil apprehenderit, ex pluribus etiam nihil aſſequetur; quia in his paucis multo, imo ferè plura, quàm debeo, manifeſtavi. Quæ cuncta primo creatori & omnium bonorū Largitori Deo, ac poſt illum Nitro omnia Metalla fugitiva reddenti, accepta ferenda ſunt. Videt igitur hîc Benevolus Lector Salis petræ potentiam non ſolum omnia Mineralia

lia & Metalla fugitiva figendi, & ad fixitatem redigendi, quâ de re in Secundâ Prosperitatis Germaniæ Parte agitur; sed etiam eadem fugativa reddendi, ut destillari & purificari possint, sicut ex proposito exemplo manifestum est. Est alius adhuc modus Metallis fugitivam proprietatem conciliandi, & quidem etiam Salispetræ adjumento, ita tamen, ut penitus non solvantur, sed tantũ humidi & Nitrosi ignis operâ eò deducantur, ut formam eam, quâ igni isti humido imponuntur, conservent, & nihilominus tamen adeò fugacem in eo naturam acquirant, ut tota quanta destillari & sublimari possint, ac in probâ auri aliquid expromant, si aqua gradativa in ea operationem suam exercuerit. Sed de his fusius in Quarta Prosperitatis Germaniæ Parte. Concludo itaque Tertiam Pharmacopœæ meæ Spagyricæ Partem, amicâ petitione contendens ab omnibus iis, qui intelligunt, quæ in his occulta deliteant, ac ideò ægrè ferre possent, quod nimis apertè de his rebus differuerim, ne nimiâ curâ se fatigent, utpote probè scientes, quod Deus cuncta hæc ex voluntate suâ moderaturus sit. Risores & Ignorãtiæ Fratres abstineant velim à vituperando ea, quæ ipsorum captum superant. Nam apud prudentes & rerum experientiâ multifariâ imbutos, vituperia ipsorum locum non inveniunt. A sui similibus, qui in eodem ignorantiæ luto hærent, quamvis admittantur, tandem tamen eorundem causâ ignorantiæ mancipia illa

ipsa

ipſa rubore & pudore ſuffunduntur, quod veritati repugnaverint. Naturalem & veram alicujus rei bonitatem ſcurrarum & deriſorum contemptus nunquam malam efficiet. Nec falſum præconium malæ rei bonitatem conciliabit; Opus ipſum loquatur, ſe defendat, & præconio debito artificem extollat neceſſe eſt. Aliàs ne gry quidem valebit. Huic fundamento ſcripta mea innituntur, & haud facile à ventis furioſis dejicientur. His acquieſcens deſino, & Lectoris Benevoli judicio incorrupto, quæ in commune attuli, ſubmitto.

FINIS.

PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ QUARTA PARS,

Medicinæ quatuor Columnas Primarias, nempe Sulphur, Vitriolum, Antimonium, & Mercurium tractans:

Præcipuè autem

MagnamHarmoniam inter superiorem Elementarem Solem ac Lunam, & inferius ac terrestre Aurum & Argentum, ac rationem Magneticam, per aërem, Solis ac Lunæ vires attrahendi, & palbabiles visibilesque reddendi:

Cum

Adjunctâ Apologiâ, quorundam Calumniatorum &, veritatis contemptorum maledicta refellente.

Authore

JOH. RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM, 1661.

BENEVOLO LECTORI SALUTE.M.

QUamvis plures causæ mihi suppetant, non modò tot pulcherrimorum secretorum editione imposterum supersedendi. sed etiam ea, quæ hactenus in lucem à me emissa sunt, retrahendi, ob nefarium contemptum, quo mundus ingratus novas & sibi incognitas res excipere solet: Pios tamen criminum, & malefactorum ab Impiis commissorum culpam ferre nolui, nec etiam permittere potui, utpote qui ipsorum commodis, mearum scientiarum revelatione, inserviendi occasionem negligere nefas ratus sum. Sol splendore suo mundum illustrare non cessat, licet etiam vel omnes homines cœcitatis caligine obducti essent, aut etiam visu suo uti nollent. Suam cuique benefaciendi proclivitatem à nemine mutari patitur, quanquam obscurissimæ nubes haud rarò, tenebris suis offusis ipsius lumen intercipiant. Ità enim cum nubium crassarum, lumen soli eripientium velamine illo comparatum est, ut à solarium radiorum calore tandem dissipetur, & disjiciatur, cum nihil aliud sit, quam ventus, nebula crassa, & aqueus vapor, qui evanescens nulla sui vestigia relinquit. Allatrat quan-

doque Lunam canis irâ percitus, dente, si fieri posset, ipsam petiturus, à qua tamen nullâ unquam injuriâ, sed potius summis beneficiis affectus est, utpote splendoris ipsius particeps redditus. Interim Luna invidi, & malitiosi canis latratus minimè moratur, sed instituto itinere pergens, munere sibi à Creatore demandato fungitur, ac in absentiâ Solis, quando tenebris cuncta operiuntur, terrestri orbi lumen suum communicat. Pari ratione honesti viri est, de ingrata hominum perversitate neutiquam laborare, licet beneficia sua malefactis impiorum hominum compensentur, sed potius operam dare, ut lux sua coram hominibus luceat, & ob aliorum impietatem piis non subtrahatur. Ipse Deus, ob paucos pios & bonos, totum orbem suorum beneficiorum participem reddere nunquam intermittit. Nullo unquam tempore aliquis in lucem editus fuit, aut editur, qui invidis, & malevolis Ignorantiæ Fratribus, cuncta quantumvis bona, quæ ignorant, susque deque habentibus, satisfecerit, aut satisfaciat. Ad hoc incitantur à Diabolo, veritatis hoste capitali, qui ferre non potest, ut humani generis commodo pulchrarum & utilium rerum detectione, & revelatione, consulatur. Eam ob causam vehementissimis molitionibus bonorum conatui se opponit invidiâ horrendâ turgens ille Spiritus turpissimus, ac omnem lapidem movet, ut bonis impedimento esse queat. Sed sicut densæ & obscuræ nubes nunquam efficere possunt, ut splendidis-

didiſſimum Solare lumen extinguatur; Ità etiam fieri nequit, ut mendacia veritatem opprimant, & ad nihilum redigant. Niſi expreſſo Dei mandato injunctum eſſet hominibus, ut talentis ſibi conceſſis proximo inſervirent, ſatius profectò eſſet ingrato mundo, curvum rectum, & nigrum album eſſe opinanti, ſuam perverſam opinionem relinquere, & tempus melius collocare, quam ipſi tot Naturæ ſecreta revelare, & patefacere. Aſt Deum timere, & ipſi obedire, quàm hominibus obſequi præſtat. Suis Diſcipulis ipſe Chriſtus mandavit, ut operam darent, quo ipſorum lux coràm hominibus luceret. Cur igitur homo benefacere proximo ſuo abnueret, præcipuè quando illud in poteſtate ejus ſitum eſt, ac idem ſine detrimento fieri poteſt? Proinde in nomine Domini pergo, ac quartam Pharmacopœæ meæ Spagyricæ partem deſcribo & in lucem emitto. Quoniam enim Divinam Iram nobis malis Chriſtianis imminentem prævideo, ut & ſanguinolenta bella, annonæ charitatem, & horrendam peſtilentiam. quibus plagis & ſuppliciis Deus in homines ingratiſſimos animadvertere ſolet, conſultum mihi viſum fuit, hanc quartam Pharmacopœæ Spagyricæ partem efficacibus Medicamentis inſtruere, quibus unus Chriſtianus alteri ſuppetias ferre poſſit, ubi neceſſitas illud poſtulaverit. Maximâ quidem hominum pars iræ divinæ ſecura eſt, ejus propinquitatem nulla ratione olfaciens, ſed vehementer érrat. Omnibus enim hominibus impiis,

qui potentia, & opibus suis freti, ac neque Deum, neque homines verentes, innocentium labore, sudore, & sanguine cupiditatem suam horrendam pascunt, ea obvenient, quæ meruerunt, divinâ manu præcipitandis nimirum in eandem illam foveam, quam aliis foderunt. Benè autem iis erit, qui ab Impiis divexati & cruciati, propter justitiam patiuntur, quia ipsorum est Regnum Cœlorum, ut docet Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus & gloria in æternum. Amen.

Posteaquam igitur in animum induxi in hac Quarta Pharmacopœæ Spagyricæ Parte singularia quædam & excellentia Medicamenta in lucem producere, quæ omnibus aliis maximè præstant, ac ideò necessitas requirit, ut ex præstantibus & excellentibus materiis ac subjectis parentur; id negotii solum ab initio mihi datum arbitratus sum, ut indicem, ex quibus subjectis tàm efficacia Medicamenta erui, & elici queant, nimirum ex Auro, Vino, & Antimonio, ut & Vitriolo atque Mercurio, sed non vulgari.

Quamvis autem maxima hominum pars densâ caligine occæcata, præcipuè verò illi, qui capitali odio veritatem prosequuntur, multa garriant, & ex cœcâ ignorantiâ tradant, Aurum, tanquam densum, & compactum corpus nullo modo idoneum esse, ut ita paretur, quò suas efficacissimas vires in corpore humano exerat: Antimonium verò, & Mercurium, ut præsentissima venena,

sine

ſine maximo periculo, Medicamentorum officio fungi non poſſe: Vinum autem ipſum aptum eſſe quod potetur, ſed in Medicinâ locum non habere, neſcientes illud ad medicamentorum uſum transferre, ſed potius in eo plenis gutturibus ingurgitando artifices prompti & periti exiſtentes. Frivolæ tamen hæ ſunt objectiones, & ex ipſorum ignorantiâ denſiſſimis tenebris involutâ profectę, quas brevi & nervosâ reſponſione hâc refello. Neutiquam autem diffiteor, Aurum vel minutiſſimè tritum, & in tenuiſſimum pulverem redactum, ut à Veteribus & Recentibus Galenicis, cor & humanas vires confortantibus & roborantibus medicamentis admiſceri ſolitum eſt, & adhuc ſolet, ne minimum quidem ad corporis humani ſanitatem & incolumitatem conferre poſſe. Sic & Antimonium & Mercurium neutiquam humano corpori ſalutaria; ſed è contrario exitioſa medicamenta exiſtere, priuſquam debito apparatu, omni ſuo veneno priventur, & ad uſum tutum idonea reddantur. Vinum quoque ipſum, ità per ſe ſumptum, eſſe vires humanas recreantem, & reſtaurantem potum, ſi modicè ſumatur; at è contrario, ſi copioſo hauſtu ac frequenter ingurgitetur, cauſam eſſe multorum morborum, ac plus mali quam boni in corpore humano operari, id quod experientia quotidiana ſatis ſuperque teſtatur, ex quâ luce meridianâ clarius patet, quod adeò immodicè ſumptum, cuncta corporis univerſi membra, Tartaro compleat, & obſtruat, ac in-

intolerabiles dolores excitet, inprimis in vesicâ, renibus, aliisque partibus corporis, nimirum in manibus, genibus, & pedibus coagulatum, unde posteà haud facilè exterminari se patitur, nisi ab iis artificibus, quorum, Tartari naturam & proprietates accuratè cognitas & perspectas habentium, magna hodierno tempore est penuria, quæ vulgari versui proverbiali locum fecit:

Solvere nodosam nescit Medicina Podagram. Qui verò adeò peritus est, ut Spiritum Vini igneum, penetrantem, salutarem, verè medicinalem, imò verum ejus Balsamum, à suis fecibus separare queat, ille haud difficulter omnes Tartareas sordes & impuritates ex humano corpore expellet, & in Calculo ac Podagrâ admiranda præstabit: Quandoquidem verò, tam salubre medicamentum ex crasso Tartaro educendi modus, paucis mortalibus hactenus innotuit, mirum non est, quod in gravissimis ejusmodi Morbis Tartareis, qui jam profundas radices egerunt, tàm parum, imò ferè nihil à Medicis præstitum sit. Quâ ratione autem talis Spiritus Vini quis compos fieri possit, postea dicetur. Nolim tamen, ut aliquis sibi persuadeat, me hîc significare & innuere vulgarem aliquem Vini Spiritum, aut etiam eum, qui noto destillandi modo ex ipso Tartaro emergit. Longè enim aliter comparatum est cum illo Spiritu, cujus hîc mentionem facio, cum crudus Tartarus primò per communem aquam ab omnibus suis sordibus abluendus, & quidem sine ulla

alia-

aliarum rerum additione, adeò ut albore suo nivi respondeat : postea verò per putrefactionem denuò niger reddendus, & ex isto nigrore Balsamus dictus tandem educendus sit, quod postea prolixius declarabimus. Hic est Spiritus ille, qui Auri compactum corpus anatomicè resolvit, Antimonii venenum in salutare medicamentum convertit, ac in omnibus Morbis Tartareis admiranda præstare potest. Verum est Vinum Salutis, & ipsa Aqua Vitæ Philosophorum, cui magna cum Auro, & Homine familiaritas intercedit, & qui cum Radiis Solaribus Coagulatis optimè comparari potest.

Sicut igitur unicuique notum est, Aurum & Vinum solari calore ad maturitatem promoveri, ac utriusque summo amore & desiderio homines teneri : Ità facili conjectura conjicere in proclivi est Cuivis, quid effectura sint Aurum & Vinum, si ad spiritualem essentiam reductis ipsis homo frueretur. Hinc necessarium mihi videtur, antequam ad ipsius Medicamenti præparationem transeam, ut paucis describam harmonicum amorem, quo Superior & Inferior sol cum homine conspirant : ut hoc pacto innotescat, quanto amoris, & necessitudinis vinculo tres hæ nobilissimæ Dei Creaturæ inter se devinctæ sint.

I. CAPUT.

De superioris elementaris, & inferioris Terrestris Solis, cum Vino & Homine Harmoniâ, & Convenientiâ.

SOlem in Cœlesti Firmamento, nobilissimam, & eminentissimam ex Creaturis à Deo conditis creaturam existere lippis & tonsoribus notum est. Unicum autem est lumen illud, quod omnes stellas sui splendoris, lucis, & fulgoris participes reddit. Unicus quoque fons est, & quasi pater omnium Creaturarum, utpote quæ illo carentes, in tenebris & morte versantur, cum & ipse homo sine Solis auxilio vivere nequeat, & cuncta peritura essent, si Sol vel momento aliquo rerum universitati subtraheretur. Cuncta nimirum quæ sunt, vitam, & augmentationem suam Soli acceptas ferunt, & secundum Mosis Doctrinam primus fuit, qui per creationem divinam prodiit, proculdubio etiam ultimus futurus, quando in ultimo hujus machinæ mundanæ exitu cuncta dissolventur, & in meliorem statum abibunt. Sol Cordis locum obtinet in Macrocosmi structura admirandâ, perinde ac ipsum Cor in humano corpore admodum aptè Soli comparatur, utpote primum vivens, & ultimum moriens in corporis humani compage, id quod neminem latet. Inter creaturas igitur vita & motu præditas nobilitate, & magnificentiâ homo cunctis cæteris antecellit,

cellit, corpus suum nactus ex Terra, Spiritum ac vitam à Sole, & animam à Deo.

Ex insensibilibus Creaturis Auro summus nobilitatis gradus attribuitur, pariter à Sole generato. Admirabiles hæ tres Creaturæ, Sol videlicet, Homo, & Aurum miræ necessitudinis & amicitię vinculo copulantur. & ipsius Naturæ instinctu conjunguntur. Obscuro enim & frigido tempore Solis lucem desiderant homines, ut & calorem, unde omnis vita, & vitę incrementum omne proficiscitur, quoniam Solares radii, in hominum vita conservandâ, universalis Spiritus & vitæ munus obeunt; Auri autem homines tantum particulariter participes redduntur, ac unus majoris ejusdem portionis, alter minoris compos fieri solet, non naturæ instinctu, quæ nobis solis usum impertit, sed abusus malitiæ, avaritiæ, & insatiabilis cupiditatis humanę, quæ via tamen aurum amore amplectendi non recta est, & genuina, sed falsa, & sæpè admodum perniciosa. Ad sui amorem potius nos pellicere deberet viribus suis admirandis, quas occultas corpore suo possidet, hominum infirmitatibus, & ægritudinibus maximo solatio futuras. Veteribus sanè Philosophis non ignotæ fuerunt incredibiles virtutes, quas Aurum occulit, revera nil aliud existens, quam corpus ex coagulatis & fixis radiis Solaribus consistens, & compactum, id quod hominibus illis, Naturæ omnium rerum peritissimis, perspectum, & manifestum fuit. Quandoquidem igitur radii Solares,

Solares, nondum fixi omnibus rebus vitam & augmentum impertire possunt; Cur idem non facturi essent fixi illi, & constantes radii Solares, si Spirituales redditi, efficaciâ visibili & palpabili vires suas exercere possent, quod facere non possent, si corporalem suam coagulationem retinentes, occultas suas virtutes exerere nequeunt.

In Auro autem artificiosè aperiendo, ad spiritualem naturam reducendo, ac vivum & efficax reddendo, multi quidem maximis laboribus desudarunt, sed pauci fuerunt voti compotes facti, qui postquam rem tantam consecuti sunt, admiranda in ægritudinibus hominum multifariis præstiterunt, quod plurimæ & verissimę historiæ testantur, ut & ipsa Philosophorum Turba, ac Theatrum Chymicum, qui libri tantum Secretum quidem describunt sed adeò obscurè, & intricatè, ut nemo ex iisdem ejus præparationem addidicerit, nisi ipsi à Deo revelatum, aut à bono aliquo amico, qui artem novit, manifestatum fuerit. Hinc mirum non est, quod ex millibus multis investigatorum paucissimi ad ejusdem notitiam perveniant. Deus enim hoc tantum Secretum adeò firmis occlusit repagulis, ut ab ejus inventione, & cognitione omnes impii & malitiosi homines facili negotio excludantur. Equidem, absit jactantia verbis, eò pervenisse glorior, quod videam, quo pacto vincula illa solvenda, & & margarita illa pretiosa, repagulis illis amotis, eruenda sit: Sed tamen perfectum & absolutum magi-

magiſtrum non profiteor, qui ſciam perfectè ipſius præparationem, ac illam deſcriptione aliqua in lucem edere velim. Sufficiunt mihi micæ, & reliquiæ panis, quibus æquè ac ipſo pane, fames ſedari ſolet.

Micas tanti Medicamenti quod attinet, eas guſtando comperi, quantis virtutibus polleant. Quæ mihi ſubminiſtravit experientia, eadem hîc, quantum quidem tempus & occaſio patientur, in proximi mei ſolatium & gratiam revelare propoſui; eâ tamen conditione, ut margaritas porcis non objiciam, & Philóſophorum maledictionem incurram. Cuicunque obſcuriora erunt, quæ dicturus ſum, ille à Deo lucem precibus contendat, & ſuperſedeat multis rogationibus negotium faceſſere mihi, qui firmiter in animum induxi inpoſterum non plura patefacere, quam præſenti deſcriptione aperui.

II. CAPUT.

De Auro, & ipſius vivi cum mortuo comparatione

QUod Aurum ità compactum, & corporale, ſine apertione aliquâ, quando ad uſum Corporis humani internum adhibetur, nullas vires prorſus exerat, tam eſt notum, quam quod notiſſimum. Contrà toto cœlo errant, qui inde falsò inferre ſolent, quod omnibus viribus deſtitutum, nullis omninò virtutibus polleat.

Exem-

Exemplo ſit Mercurius, qui ità vivus, & non fractus ac ſolutus, licet magno pondere ad internum uſum adhibeatur, nullum tamen damnum infert, & ſine ulla corporis alteratione rurſus talis egreditur, qualis aſſumptus fuit. Si autem per ſalem elevatus, aut per alias aquas corriſivas ſolutus fuerit, uno ſaltem, altero aut tertio grano homini alicui propinatus, in ſummum vitæ diſcrimen ipſum adducet, quia Sales ipſius latens venenum manifeſtarunt. Ita etiam cum Auro comparatum eſt, quod ſuas latentes vires & virtutes exercere nequit, quamdiu compactionis ſuæ vinculis conſtrictum, & concluſum manet: Eas contrà prodit, quamprimum repagulis ſuis liberatum, per Sales vivificatur, & efficax redditur. In carbone aliquo nigro, & igne carente nullus omninò calor deprehenditur, qui tamen accenſus, & per aërem vivus redditus latentem in ſe ignem & calorem prodit, quod idem de Auro etiam intelligendum eſt.

III. Caput.

De Auri præparatione, & diſſolutione in tenerrimas atomos, aptas ut vivificentur, & ad medicum uſum, cum utilitate, adhibeantur.

Nulla prorſus, quàm ſequenti ratione, Aurum in tenerrimas & ſubtiliſſimas atomos ſe mutari facilius patitur.

Auro

Auro puro in Aqua Regis ſoluto aquæ Tartari affunde quantum ſufficit. Sic Aurum limpidum & aureo ſuo colore veſtitum præceps ad fundum vaſis ſe demittet, non autem obſcurum, ut in præcipitatione per Lixivia & Spiritum Urinæ facere ſolet. Leve enim & tenerum, ac ſtellarum aurearum ſplendore coruſcans, adeò tenerum evadit & ſubtile, ut quaſi aquæ innatet, & tardè admodum fundum petat, adeò ut omnes cæteræ Auri calces, quamtumvis ſubtiles, præ hâc ipsâ nil niſi craſſa terra æſtimari debeant. Splendentes autem hæ ſtellulæ aureæ jam adeò teneræ & ſubtiles redditæ ſunt, ut facili negotio, aliarum rerum ope, & quidem variis modis ſolutæ, evidenter admodum, in uſu medico ſuas vires prodant & demonſtrent.

IV. CAPUT.

Quo pacto puriſſima hæc Solis calx porrò aperienda ſit, ut inverſa volatilis, & vegetabili alicui ſimilis reddatur.

TEnera hæc Solis calx, ſine omni corroſivo, 24. horarum ſpacio, cò deduci poteſt, ut fixum corpus Metallicum non maneat, ſed tota volatilis evadat, qualis ab initio fuit. Efficitur autem hoc ſolius Salis Naturæ adjumento, qui ubique reperitur, & æquè à pauperibus, ac divitibus acquiri poteſt. Imò adeò facilè, ut vix credibile ſit, ſi apertè & clarè talis Sal manifeſtaretur, quem

quem ignorantiæ illi fratres, & ſuperbi adulatores Aulici ludibrio excepturi eſſent, ipſam veritatem pro mendacio habituri, ut hactenus ſæpius factum eſt. Satius itaque eſt ſilentio talia præterire, quàm aliis benefaciendo ſibi ipſi damnum inferre. Tanta enim arcana ſilentio involvenda, & ejuſmodi porcis non objicienda ſunt. Adeptis tamen in fine hujus ſcripti ea revelabuntur, quæ antehac ignoraverunt.

V. Caput.

Quæſtio. An Auri ſubtiliſſimæ hæ Atomi, ſine ulteriore aliquâ reſeratione, in Medico uſu aliquid præſtare, & occultas ſuas vires, inſtar Vegetabilis alicujus prodere queant?

Reſponſio. Negatur. Nam Auro, quantumvis in tenerrimam & ſubtiliſſimam ſubſtantiam redacto, ſolvendo, & efficaciam Vegetabilibus ſimilem conciliando, Stomachi debilitas neutiquam par eſt. Idcircò ægris fruſtrà propinatur, quippe ſine ullâ notabili efficaciâ tale cum excrementis exiens, quale propinatum fuit.

VI. Ca-

VI. CAPUT.

Quæstio. An igitur Stomacho auxilium aliquod ferri non poteſt, ut Aurum æquè ac Ferrum & Cuprum digerere, & conſumere poſſit?

RESP. Imò. Nam quia tenuiſſima Ferri & Cupri limatura, alicui propinata, per naturalem Stomachi aciditatem digeritur, conſumitur, aut in Vitriolum diſſolutione convertitur, quod per vomitum, & ſedes corpus internum vehementer commovet (prout vel plus vel minus dictorum Metallorum exhibitum fuerit) ac vermes in ſenibus ac juvenibus enecat, & exturbat, atque excrementa ipſa colore carbones referente imbuit, hoc pacto evidenter demonſtrans, quod à Stomacho ſolutum & conſumptum, vermes occiſos ſecum avexerit: facili negotio quis animadvertere poteſt, ſatis forte fuiſſe Acidum Stomachi in aggrediendo dicta duo Metalla naturæ ſalſæ, & facilis ſolutionis, ac in deducendo ipſa eò, ut occultas ſuas vires exeruerint. Sed tam forti Acido Stomachus non eſt præditus, ut Aurum & Argentum, tanquam ſale carentia, & nullam ſolutionem admittentia Metalla aggredi ac ſolvere poſſet. Hinc uſu venit, ut ipſa ad internum in Medicinâ uſum adhibita, ſine ullo effectu, tali formâ cum excrementis abeant, quali exhibita ſunt. Indè falsò tamen concludunt imperiti, nullas Auro & Argento ineſſe vires, quoniam in tenuiſſimum pulverem

converſa, & ægris exhibita viribus cunctis prorſus deſtituuntur. Quod enim nihil omninò operentur, in causâ eſt Acidum Stomachi non tàm efficax, ut illa aggredi, & ad operationem excitare queat. At per acidos Spiritus ſoluta, videlicet Aurum per Salis,& Argentum per Nitri Spiritum, in interno uſu Medico evidenter ſuas vires produnt, ac non minus, ac Cuprum, & ferrum Corpus purgant, excrementa pariter nigro colore inficiunt, & vermes in ſenibus & juvenibus necant. Haud facilè etiam quis Auri & Lunæ Vitriolo, de quibus poſtea peculiare caput ſcribetur, præſentius invenerit remedium ad necandos vermes, qui plæroſque infantes, & pueros, omni auxilio deſtitutos morte auferunt.

Quia autem ſoluta Metalla, cumprimis verò Aurum & Argentum ingrato ſuo ſapore palatum offendunt, ac linguam & labia nigro colore inficiunt, ab uſu eorum homines abhorrent, licet quamplurimas utilitates ad Medicinam conferre poſſint. His incommodis tamen obviam iri poteſt, eadem palato grata reddendo, & efficiendo ut non amplius labia tingant, ſed evidenter vires ſuas prodant, & in Medico uſu magna præſtent. Hoc diverſis modis fieri poteſt, quorum aliquot hic indicabuntur, & deſcribentur.

VII. CA-

VII. CAPUT.

Quibus modis Aurum eò deducendum ſit, ſi in uſu Medico interno adhibitum fuerit, ut ſuas vires exerat, & à ductore ipſi addito ad operandum excitetur.

AUrum modò dictâ ratione in tenerrimas atomos reductum, diverſis viis, & modis excitari poteſt, ut interno uſu Medico exhibitum, inſigni efficaciâ virtutes ſuas manifeſtet.

Primò quando ipſi tales adjiciuntur Sales, qui Stomachum corroborant, & ejuſdem acidum augent, ut ſatis validum evadens tenerum Aurum aggrediatur, ſolvat, & in Stomacho in Vitriolum convertat, quo in caſu ſal meus Mirabilis admodum præſtans eſt, cæteris tamen ſalibus non ſpretis, quorum cuique ſuum honorem relinquo.

Deinde idem præſtari poteſt, quando calci Aureæ dictæ tales adduntur Species Minerales, quæ naturali ſua proprietate ſudorem, & urinam expellunt. Medicamentum enim Minerale cumprimum in corpore ſive ſudando, ſive urinam propellendo, operationem ſuam orditur, ipſum Aurum etiam ad operandum excitat, ut eodem modo operetur, quo adjunctum medicamentum operari ſolet.

Sicut uſu venire conſuevit in ſodalitio aliquo, in quo ſi unus aliquis cantare, ſaltare, virginem deperire, rixari, aut ludere incipit, alios mox ad

eadem facienda invitat, qui aliâs quieti mansissent. Ex mineralibus inter tot incitatores primum locum obtinet Antimonium, quod quævis alia sibi adjuncta, sive ipsum Aurum & Argentum, licet vel mortua sint, secum ad operationem incitat. Itâ Minerale aliquod Purgans, Sudorificum, aut Diureticum Auro mixtum, multò tutius & efficacius operatione suâ defungitur, quàm si per se, sine Auri additione, ad usum internum adhibitum fuisset. Nam in Mineralis Medicamenti operatione unà suscitatur & impellitur ad cooperationem Aurum tenerum, quod aliâs sine tali impulsu, & incitamento, tanquam mortuum, omnis operationis expers maneret, & cum excrementis abiret.

VIII. Caput.

Melior Aurum & Argentum viva & efficacia reddendi Modus.

Alio, & meliore modo Aurum & Argentum viva, & efficacia reddi possunt, si videlicet idoneis aquis dissolvantur, & spiritualia reddita in usum Medicum adhibeantur, cum hoc pacto idonea sint, ad operandum, & suo modo, ac secundum suam præparationem vires suas exerendum.

Talem Aquam Auream probè apertam, & reseratam aliquot ante annos parandam docui, ac sub Auri Potabilis nomine in lucem edidi: Ab illo tempore mihi modus innotuit, Aurum in albam

albam aquam, per Medicinales quosdam Sales redigendi, quæ, ut jam omni tempore penes me in promptu est, illo priore Aulo Potabili longè melior & potior, Universalis Medicinæ vices gerere potest, ideò quia in omnibus morbis curabilibus universaliter operatur, & etiam salutari sua operatione omnibus Medicamentis mihi notis excellit, cum sensim ac pedetentim, omne noxium toto corpore expellat. Idem præstant quidem Panacæa mea Aurea, sive Aurum Purgans, & Aurum Diaphoreticum, quibus tamen Album hoc meum Potabile, ut jam à me paratur, ob operationem ut plurimum invisibilem, & contrariam Auro meo Purganti, vel Panaceæ Aureæ, quæ visibiliter plærunque operantur, in nonnullis casibus præfero. Medicamenta illa cum antehac descriptionibus meis evulgarim, eorum superfluâ descriptione hic supersedeo, ac illud tantum addo, tria hæc Medicamenta mea, nempè Panacæam Auream, Aurum Diaphoreticum, & Album Aurum Potabile in omnium morborum præservatione & curatione adeò sufficere, ut quicunque, modo velint, nullis aliis medicamentis prorsus indigeant.

Quandoquidem verò hominibus varietas arridet, ac nonnunquam ægro alicui hujus aut alius Medicamenti color, odor, & sapor longè gratior accidit, operæ precium mihi visum fuit, adhuc 2. aut 3. Medicamenta excellentia, quæ à nemine hactenus, quantum mihi saltem innotuit, divulgata sunt, in ægrorum gratiam adjungere. Uni-

cuique liberum erit eo uti, quod ipſi magis arriſerit, aut modo de hoc, modo de illo periculum facere, ut illud tandem in uſum ſuum adhibeat, quo præ cæteris delectabitur.

Incomparabilis Paracelſus, Philoſophorum & Medicorum Monarcha, opinatus eſt, quatuor hæc Mineralia, Sulphur puta, Mercurium, Antimonium, & Vitriolum toti Arti Medicæ, tanquam capitales columnas, ſuffultas eſſe, ac iis cuncta expediri poſſe, quæ ad omnem Curationem neceſſariò requiruntur. Veritatem hujus opinionis res ipſa comprobat; comprobant item ipſa illa quatuor Mineralia, ſi ſecundum artem diſſecta, purgata, & parata erant. Alias nil valent, & plus damni inferunt, quam commodi afferant, quippe debito modo non parata, veneno ſuo non orbata, & in ſalubria Medicamenta non converſa. Qualia verò hodierno tempore in Pharmacopoliis venum exponuntur, haud magni profectò ſunt momenti. Nam Antimonium, quod in vitrum converſum vendunt, nullam adhuc boni à malo ſeparationem admiſit.

Mercurium verò in Sublimatum veneno ſcatentem mutant, ut & in rubeum Præcipitatum, utraque in externo & interno uſu Medico ſatis periculoſa: cum vulgaris Mercurius nunquam à malitia ſua deſiſtat, niſi tutiore & meliore apparatu exaltetur. Satius eſt ut dictis modis vulgaribus paratus omnino fugiatur, ac ita nullum periculum creet.

Vulgare

Vulgare Sulphur in Flores quantumvis ſubtiles, quales hodie in uſu ſunt, exaltatum nulla miracula edit, quippe nullam adhuc puri & impuri ſeparationem paſſum, nec per ſublimationem penitus apertum, aut idoneum redditum, ut in corpus humanum operari poſſet, cum tale per excrementa abeat, quale aſſumtum eſt. Acidum enim Stomachi illud ſolvere neſcit, tantùm abeſt, ut ipſi aliquam efficaciam conciliare poſſet, quandoquidem valida Aqua Fortis irrita ſolutione illud aggreditur.

Vitriolum artificibus auſterum oleum, & ſpiritum acidum ſubminiſtrat, ad Medicum uſum parum utilitatis conferentia, ſi illud unicum excipias, quod refrigerantibus Syrupis & Conſervis miſceantur, ipſis gratam aliquam aciditatem conciliandi gratiâ, id quod Spiritus aliquis Salis rectificatus longe melius præſtabit. Hinc quatuor hæc Mineralia, prout hodierno tempore in uſum veniunt, & in Pharmacopoliis venalia proſtant, pro quatuor columnis totius Medicinæ haberi, eoque titulo, quo Paracelſus ipſa exornat, gaudere nequeunt, niſi prorſus aliâ ratione præparentur.

Quantum ad Sulphur attinet, ipſi debita lotione ſummam puritatem concilio, idemque cum Auro per idoneos Sales in aquam limpidam converto, ut natura eam ſibi adſciſcere queat, velut in meo Auro Potabili cernitur.

Antimonio puriorem ſuam partem ſubtraho, eamque Auro optimè parato inſero, ut illud

efficax reddat, quod Aurum meum purgans testatur.

Vitrioli vulgaris loco utor Vitriolo ex Auro confecto, quod in Medicinâ præstare solet ea, quæ vulgare nunquam præstabit, ut mox docebitur.

In Mercurii Vulgaris & Venenati locum substituo, vel ex bono Metallo paratum, vel per Magnetem quendam ex Solis, & Lunæ radiis artificiosè extractum, sicut infra docebitur. Hic jure Universalis Mercurius Philosophorum appellatur, quia invisibilis adhuc res existens, ex aëre extrahitur, & visibilis ac palpabilis redditur, in Medicinâ & Alchymia miraculorum ingentium effector, ut postea audiemus.

Antequam verò ad Vitriolum & Mercurium pergam, consultum duco præmittere bonum adhuc medicamentum auxilio Antimonii ex Argento parandum, ut ita cuique innotescat, etiam Aurum & Argentum, quantumvis densa & compacta, aliorum Medicinalium subjectorum adjectione, excitari, & eò deduci posse, ut vires suas edant, sicut supra pluribus indicavimus. Hujus ex Argento & Antimonio Medicamenti apparatus se habet, ut sequitur

IX. CA-

IX. CAPUT.

Ex Argento & Antimonio bonum Medicamentum parandi modus.

EX Antimonii Minerâ primum para,secundum artem, ac re acetum per destillationem; postea sume unam partem Antimonii optimi, & calcis Argenteæ puræ duas partes, quas probè elotas accuratè terendo cum Antimonio commiscebis, ut in gryseum, aut subnigrum pulverem mutentur. Vitreæ cucurbitulæ, aut parvæ retortæ immisso huic pulveri affunde Aceti Antimonialis tantum, quantum pulveri illi in pulmentum tenue redigendo sufficit. Ex vitro arenæ imposito Acetum dictum abstrahendum est, affusione & abstractione tamdiu ac toties repetita donec nigrum Antimonium suum nigrorem, & Argentum suam albedinem amiserit, & utrumque in rubeum lapidem, cinnabari similem conversum fuerit, quod tertiâ circiter, aut quartâ cohobatione fieri plærumque consuevit.

NB. Si forsan error committeretur, ut ignis nimium auctus, in abstractione massam in vitro colliquaret, efficeret omninò, ut ipsa massa acetum non admitteret, aut absorberet; necesse igitur erit, ut vitro confracto, massa eximatur, terendo rursus in pulverem minutum redigatur, & operationes dicto modo repetantur. Medicamentum hoc in rubrum lapidem mutatum, ac in lapide in

minutum pulverem contritum à me appellatur Luna Purgans, ac in omnibus morbis, tanquam Panacæa aliqua, ſicut Aurum meum Purgans, ſummo cum fructu, & ſucceſſu ad uſum adhiberi poteſt. Medicamentum enim hoc ex Argento admodum leniter operatur, omnes pravos humores ex omnibus membris totius corporis humani expellendo, id quod, præter Auream meam Panacæam, vix aliud Medicamentum præſtiterit. Nil enim impuri in corpore relinquit, non ſolum purgando, ſed etiam ſudorem & urinam excitando. Si in propinandâ fortiore doſi caſu erratum fuerit, etiam vomitus excitabitur, præſertim apud eos, qui bile abundantes, ad vomendum proni ſunt. Infantibus infra quatuor ſeptimanas doſis exhibetur, magnitudine grano ſeminis rapæ reſpondens, ac lacti materno in cochleari miſta propinatur. Ipſos ab Epilepticis inſultibus liberos conſervat & liberat. Si intra vertentis anni ſpacium variolis, aut ſimilibus occupati deprehendantur, doſis augenda, & ipſis octava, aut quarta grani pars exhibenda, quæ ex infantibus per inferiora omnes impuritates educet, & faciem incorruptam ſervabit. Iis qui intrà unum & 10, aut 12. ætatis annum verſantur, & vermibus laborantes in febres acutas incidunt, quæ haud paucos, omni ope deſtitutos, vitâ orbant, pro virium, & annorum ratione à dimidio uſque ad 2. grana doſis augenda eſt, ſi neceſſitas poſtulabit. Ita enim vermes necabuntur, & febris depelletur. Imò ſi in infantibus aut pueris, & puel-

& puellis febres, non à vermibus, ſed ab aliis cauſis originem traxerint, hujus medicamenti tantum ipſis propinatur, quantum ad purgandum, & ſudorem eliciendum requiritur: hoc pacto, ſine ullo vitæ periculo, priſtinæ ſanitati reſtituuntur. Contra peſtem, aliaſque febres, in adultioribus, mediæque ætatis hominibus, ut & ſenibus, vix ullum commodius, & præſentius medicamentum invenietur, quàm mea Panacæa Aurea, ſive Aurum Purgans, & hæc ipſa Luna Purgans hîc deſcripta. Doſis eſt ab 1. uſque ad 5. vel 6. grana, pro ratione ætatis & morbi. Diæta illa obſervanda, quam in Panacææ meæ uſu deſcripſi: Nimirum æger, poſt aſſumptum hoc Purgans Argentum, ad minimum 3. aut quatuor horas à ſomno & omnibus cibis abſtinebit, & à frigido aëre ſibi cavebit, eorumque rationem accuratam habebit, quæ in bonâ diætâ obſervandâ neceſſariò reſpiciuntur. In Morbo Gallico, Hydrope, Lepra, Calculo, Podagrâ, ac quibusvis aliis morbis, quocunque etiam nomine appellentur, Medicamentum hoc dictum, cum Panacæâ meâ Aureâ tutò, & abſque omni periculo ad uſum admittitur, ut poſt Deum ei ipſi tuto homines confidere queant. Alias hoc Medicamento in Metallicis plura præſtari poſſunt, quorum indicio ſuperſedimus, ea indicaſſe contenti, quæ Medicum uſum ſpectant. Præterea quoque admodum efficax eſt, in curandis externis vulneribus, & ulceribus, ſi intrinſecus tantum probè adminiſtretur, & externi illi corporis defecti puri & mun-

& mundi conſerventur. Brevi temporis ſpatio percepturi inde plus commodi, quàm ex tantâ emplaſtrorum, & unguentorum farragine. Deum laudate, & ipſi pro tantis bonis gratias agite.

X. Caput.

Vitrioli Auri præparatio, & uſus in Medicinâ.

SOlve Aurum in Sale aliquo Mirabili Sulphureo Acido, & non Alcaliſato per humidam viam: Solutionem per filtrum trajice, & phlegma inutile tamdiu abſtrahe, donec cuticula appareat, quâ apparente reſiduum frigori expone, ubi inſtar ſmaragdi viridem lapidem nanciſceris. Quod non concretum eſt, denuò uſque ad cuticulam evapopora, ut reliquum vitriolum adipiſcaris. Sic totum Aurum cum omni Sale Mirabili in Vitriolum concreſcet, gramen viriditate ſuâ referens, quale Natura nunquam produxit. In hâc autem Smaragdina tabula multa mirabilia ſcripta inveniuntur, quæ quilibet nec leget, nec intelliget. Quæ medicinam ſpectant, de iis nonnulla hîc attingam, ac primo quidem, quale hoc Vitriolum eſſe debeat, & quibus notis agnoſcendum ſit. Parum ejus pollice ferro puro affrictum, illud deaurat, contrà quam Vitriolum vulgare, quod ferro cupreum cocolorem inducit. Indicium hoc eſt Vitrioli hujus Aurei debito modo parati, ac in Medicina efficientis ea, quæ ipſi hîc adſcripturus ſum. Pariter

Cu-

Cuprum & Orichalcum aureo colore obducit, ac mirabilia præstat cum Mercurio, si cum eo per humidam viam digeratur, quæ brevitatis causâ hîc omitto. Crescit enim ita instar arbusculæ, atque aurea germina emittit,

Virtutes ejus Medicinales quod attinet, eæ à me inventæ hic paucis describentur. Proculdubio adhuc plures & excellentiores in ipso latent, quæ hactenus quidem me fugiunt, sed temporis progressu in apertum prodibunt.

Præcipua verò hujus Vitrioli Aurei efficacia & virtus, quantum quidem mea fert cognitio, consistit in purgatione, & eductione omnium pravorum & noxiorum humorum, totius humani corporis, ut & hujus ipsius corroboratione; In hâc re nullum sibi aliud medicamentum simile aut par habet. Adde quod operatione suâ celeriter, imò celerius, quàm ullum aliud Purgans, defungatur. Nam quamprimum intrà corpus assumptum fuerit, confestim operationem suam orditur, quippe Sal est solubilis, cui corpora non reclusa, aut reserata neutiquam respondent, cum ad minimum per dimidiam, aut totam horam in stomacho hæreant necesse sit, antequam operationem suam inchoent. Ac quoniam quodvis Vitriolum Vulgare hostis est capitalis omnium Vermium ventris, ac febrium ex ipsis orientium, quibus plurimi infantes & pueri ac puellæ, omni auxilio destituti moriuntur; omnibus Patribus ac Matribus familias, quibus sui liberi chari sunt, hoc Auri Vitriolum maxi-

maxime commendo, ut ſemper in promtu habeant, quò in neceſſitatis caſu ipſo uti poſſint. Hoc ipſo enim nullum aliud melius, & certius remedium contrà vermes reperi, quoniam non ſolum eos necat, ſed etiam exturbat, ac ægros corroborando, omnes tàm ſeniorum, quam juniorum febres tollit. Maximum item eſt arcanum in Peſte, in quâ certè omnis longior Medicamenti in corpore tardatio noxia eſt. Eſt quoque non modo certum, ac tutum Medicamentum Curativum, ſed etiam Præſervativum in Peſte, & omnibus acutis ac contagioſis febribus, tàm juniorum quàm ſeniorum, cui par aut ſimile vix ac ne vix quidem invenietur. Celeriter enim, & velociter hoc Vitriolum à corde quodvis venenum, & quemvis fervorem retrahit, ac ex omnibus membris totius corporis retractum, per omnia emunctoria exturbat, præcipuè verò per ſeceſſus & ſudores. Si etiam, morbo poſtulante, & ægri viribus perferentibus, majori doſi propinetur, vomitus quoque excitat, & bilem potenter expellit. In Lue Venerea præcipuam virium ſuarum efficaciam oſtentat, tartareos fluxus, & acutos humores, ex toto corpore potenter ejiciendo, qua operatione Calculoſis quoque & Podagricis multum auxilii & ſolatii affert, juniorum & ſeniorum Epilepſiam removet, & Hydropicos aqua ſua intercute liberat. Ut quaſi uno verbo complectar, tàm Univerſale Purgans, ex toto Corpore exterminat, quicquid damnoſum & noxium in ipſo reperitur. Par ſibi non

non habet remedium in puerorum, & puellarum febribus, vel ex Vermibus vel ex Stomacho corrupto ortis, quæ tot infantes, & pueros ac puellas, omni ope carentes, morte abripiunt. Nec etiam arbitror, in Peste, ac omnibus cæteris febribus acutis, quæ tam celeri morte homines perimunt, melius remedium hoc Auri Vitriolo repertum iri, si nimirum legitimo usu adhibeatur. Dosis parva est, & facile grata redditur infantibus ac pueris, addita parvâ sacchari quantitate, aut aliarum rerum, quæ dulces sunt. Recens natis infantibus contrà Epilepsiam vix octava unius grani pars propinatur. Inter primum, & 10, aut 12. ætatis annum versantes, pro annorum ratione, 1. 2. aut trium granorum dosin admittunt, quæ in reliquis ætatibus, secundum annos & ægri conditionem augeri potest. In Vermibus tam fortis esse debet, ut non solum eos probe purgando necet, sed etiam necatos ejiciat. Nam ex necatis illis vermibus, si in visceribus remaneant, rursus alii & novi enasci solent. Effecturum me hujus medicamenti revelatione spero, ut inposterum tot infantes & pueri, ac puellæ, à febribus per vermes excitatis, non auferantur, sed plures à tàm immaturâ morte immunes conserventur.

Sed dicat, aut cogitet hîc aliquis, quid causæ sit, quod tantum infantium, & puerorum ac puellarum rationem habeam, & de ipsorum conservatione ab immaturâ morte adeò sollicitus sim. Huic respondeo, quod nihil magis necessarium sit, quàm

quàm ut infantibus & liberis innocentibus, qui neminem malo affecerunt, & quorum jacturam parentes ægerrimè ferunt, debito ſolatio, & auxilio ſuccurratur. Certum enim eſt, & extrà omnem dubitationis aleam poſitum, quod inter morbos Epilepſia primus ſit, qui recens natos infantes adoriatur, & ipſos è medio abripiat. Sequuntur ut plurimum Morbilli & Varioli, qui haud paucos etiam auferre ſolent. Accedunt his Vermes, & inde Febres ortæ, quæ ipſos continuo ardore affli&ctant, ut omnem edendi appetitum amittant, ac nil niſi potum appetant. His depellendis nullum parentes remedium adhibent, talium hoſpitum præſentiam ignorantes, & non perſpicientes, quando ægri pueri ac puellæ ventres intumeſcentes non habent. Porrò ex ventribus intumeſcentibus Vermium præſentiam cognoſcentes, etſi remedia quædam adhibere cupiunt, ea tamen ægris infantibus, ipſa adverſantibus, ægrè propinare poſſunt. Imò licet nonnunquam de communi ſemine contra vermes, aut aliis pulveribus vegetabilibus aliquid ipſis exhibuerint, ex decem tamen vix uni auxilium fertur, & ægri ſe pejus ac pejus habere ſolent. Morbo tandem eò progrediente, ut jam mortem imminere Parentes videant, Medicus accerſitur, qui ſi morbum à Vermibus ortum ducere intelligit, ac bono medicamento inſtructus eſt, confeſtim ægro opem fert, ac ipſum morbo liberat. Sin vero deſtitutus fuerit bono medicamento, ac ægrum dulcibus ſuis ſyrupis refocillare tenta-

tentaverit, toto cœlo errat, quippe Vermibus nutrimentum ejusmodi ſuccis dulcibus ſuppeditans. Nihil quoque hic adjumenti confert aqua roſacea linteolis applicata capiti, ejus ardorem ſedandi gratia: Parum item purgantes potus lenes efficiunt. Quandocunque enim Vermes ſentiunt, aliquid ſibi contrarium ægro propinatum eſſe, mox ſe occultant, in globum contorquent, ac excrementa tranſire ſinunt. Si animadvertunt, dulce quid, quo ipſi delectantur, ab ægro comeſtum eſſe, ex eo alimentum ſuum capiunt, ac vivi manent. Ac ſi quandoque caſu aliquo eveniat, ut unus aut alter ab excrementis abripiatur, cæteri tamen illæſi remanent, ac morbus non tollitur, ſed magis ac magis invaleſcens, tandem ægro vitam eripit.

Qui tales Febres, à Vermibus ortum ducentes, feliciter curare molitur, in defectu hujus Vitrioli Aurei, per 3. aut 4. dies ægro talia propinet neceſſe eſt, quę amaritudinem in ſtomacho efficiunt. Ac licet amara ægrorum infantium palato ingrata accidant, Vermibus tamen adverſantur, & eos necant. Amaris igitur ejuſmodi rebus per 3. aut 4. dies propinatis, Vermes quandoque primo aut ſecundo die in nonnullis ægris moriuntur; in aliis verò nonnunquam quarto demum vitam amittunt, & abeunt..

Quantum igitur ad amara iſta medicamenta attinet, de quibus hic ſcribo, quod in ore non eſſe amara, ſed in ſtomacho amara fieri debeant, Me-

C talla

talla talia esse dico, ac cumprimis Ferrum. Cuprum, Aurum & Argentum, quæ soluta saporem admodum amarum, & ingratum obtinent. Quod autem Aurum & Argentum intrà corpus sumpta, quando nimirum limata, & minutissimè trita sunt, nihil planè operentur, inde fit, quia Stomachi Acidum nimis debile est, ut illa aggrediatur. Idcircò necesse est, ut prius in sua Vitriola convertantur, quando in Stomacho debent operari, sicut jam de Auro docui. Quia autem quilibet ejusmodi Vitrioli Aurei, & Argentei compos fieri nequit, consultum mihi visum fuit pauperibus revelare certùm, & nunquam fallens Secretum cujus ope Vermes in junioribus & senioribus necantur,

Medicis haud ignotum est, quodvis Vitriolum Vulgare, quo tinctores ad nigrum colorem utuntur, junioribus propinatum & Vermes necare, & necatos educere. Sed ob ingratum & adversuum suum saporem parvulis admodum ægrè propinatur. Si autem Vitrioli vulgaris proprietates accuratiore mentis trutinâ examinentur, nihil aliud esse illud comperietur, quam merum Sal acidum à quo Ferrum, aut Cuprum, aut utraque simul, in terrâ, per naturam soluta sunt. Si jam nobis libuerit, etiam in Stomacho Vitriolum conficere possumus, quod æque operabitur, ac illud quod à Naturâ factum per os assumitur; Nimirum ita, si minutissimas Cupri aut Ferri limaturas debito pondere parvulis propinemus, quæ nullum

lum ſaporem ingratum continentes, ipſis facili negotio exhiberi poſſunt. Nam in tenues limaturas reductum, & facilem ſolutionem admittens Metallum, ut primum in Stomachum venerit, Acidum ibi offendit, à quo facilè ſolvitur & in Vitriolum mutatur, quod eadem operatione quâ illud, quod in Terrâ à Naturâ paratum eſt, fungitur.

Obſervanda autem hîc differentia inter Cupri & Ferri limaturas, quæ eſt, quod Cuprum fortiter admodum, ſed Ferrum multo lenius operetur. Adde quod illud Stomachum ad vomendum impellat, hoc verò nullos vomitus concitet, aut rarò admodum Stomachum turbet, ac tantum eo in caſu, quando majori doſi exhibitum eſt. Inter omnia talia medicamenta igitur ferrum eſt optimum, tutiſſimum, & minimos ſumptus requirens, licet ſatis vile, & abjectum ſuperbis videatur. Nullum prætereà dubium eſt, quin ignorantiæ Fratres illud ludibrio ſint excepturi, & dicturi: Si Glaubero aliud melius remedium contra Vermes non eſt cognitum, quam hoc ipſum ex craſſâ Ferri limatura conſtans, ſatius feciſſet, ut illud ſibi ſoli retinuiſſet. Si Ferrum tantis viribus pollet, non eſt cur nobis pretioſum ſuum Vitriolum Auri tot prolixarum laudum præconiis inſinuet. Sed his reſpondeo, quod ob juniorum Vermes Auri Vitriolum parandum non docuerim. Interim deſcriptioni Virtutum ipſius hanc etiam adjunxi, ut ut ità demonſtrarem, illud ipſum quoque, tam

excellens contra Vermes remedium exiſtere, ac febres ab ipſis profectas tollere. Quoniam verò earundem Cura facilius perfici poteſt, ſicut modo de Ferri limatura dictum eſt, jure ac merito viæ compendioſioris ratio habetur. Vitriolum Auri adhibere cuique liberum eſt. Pauperibus Ferrum commendo, cujus ubique compotes fieri poſſunt. Nullus pagus adeò parvus eſt, in quo Faber ferrarius non habitet, qui neceſſitate poſtulante aliquid limaturæ ſuppeditare queat.

Ut autem ſententia mea ſano ſenſu percipiatur, neceſſarium duco magis perſpicuâ oratione hanc rem declarare, nimirum, quo pacto, & quam commodè parvulis ægris Ferri limatura exhibenda ſit. Hoc ita fit. Quando infantes adhuc ex matrum mammis lac ſugunt, aliquot dictæ limaturæ grana ſaccharo miſta, à 2, ad 6, aut 8, oribus ipſorum inſeri poſſunt, ut mox mammis applicati cum lacte illa ſugant, quæ ita cum lacte inter ſugendum in ſtomachum defluunt. Quo tribus ſe invicem ſequentibus diebus ita facto, vermes necantur, & Febris evaneſcit. Si verò quis aliâ, quam per nutrimentum ordinarium, ratione ipſis hoc medicamentum propinare voluerit, pro lubitu ſuo id facere poterit. Infantibus, qui lacte materno non nutriuntur, ſed more conſueto, ex lagenulâ aliquâ potum ſuum hauriunt, facili negotio exhiberi poteſt, dum in lagenulam illam immittitur, & digito ipſius lagenulæ orificium clauditur, ut in ipsâ inverſâ Ferri lima-

limatura ad ipſum orificium delabatur, & ab ipſo infante bibente ſugatur, ac cum potu in ſtomachum deferatur. Majoribus natu pueris & puellis, jam maturiore intellectu præditis, faciliori negotio, & quavis ratione exhibetur, ſi modo dicatur, quod priſtinam valetudinem bonam recuperaturi ſint. Iis, qui 10. aut 12. annum agunt, tuto per 3. aut 4. dies quarta, aut etiam dimidia pars ponderis, quod quintlein appellari ſolet, propinatur. Interea cibi, quibus utentur, non ſint duræ concoctionis, ſed parati ex oleribus, prunis, & aliis ventrem emollientibus, & laxantibus rebus, quæ Ferri operationem promovent, & priſtinæ valetudini bonæ ægros eò citius reſtituunt.

Non potui autem hîc intermittere, quin tutiſſimum hoc, & minimè ſumptuoſum Medicamentum contra omnes Vermium Febres, quæ tot parvulos, omni ope deſtitutos, morte abripiunt, de meliore notâ commendarem omnibus Matribusfamilias, quæ liberos ſuos amore complectuntur. Nemo tamen ejus vilitatem curet, ſed potius cogitet, quod Deus etiam viles &, ſpretas res magnis virtutibus dotaverit. Ipſa certe Cura hæc Vermes, morboſque ex ipſis ortos tollens Naturalibus ſuis rationibus validè fulcitur. Nam quia quodvis Vitriolum commune Vermibus venenum eſt, ſed propter amarum, & nauſeam concitantem ſaporem palato maximè adverſatur, benè faciunt, qui Ferrum, omni

ſapore carens, in locum vulgaris Vitrioli ſubſtituunt, ut parvulis propinatum, in ipſorum ſtomacho in Vitriolum convertatur, ac Vermes occidat, & exturbet. Multis experimentis, ipſe in liberis meis, Vermium curam tentavi, ſed abjecto Ferro nullum tutius, & melius deprehendi.

Hiſtoriam narrabo docentem, quid mihi cum Viri cujuſdam haud parvæ notæ infante, in ſimili morbo, à Vermibus exorto, uſu venerit. Conſulebar quodam tempore à divite quodam Viro, de infantis ſui morbo, cui tantum dabam limaturæ Ferri, quantum ad unam doſin ſufficiebat, ut ipſi propinaret. Bono Viro abſurda res videbatur, infanti alicui limaturam Ferri exhibere, qui id propter uſum ejus intermittens, duobus Medicis vocatis limaturam oſtendit, eoſque rogavit, an conſultum ducerent, ut infanti ſuo propinaretur. Hi maximè uſum ejus diſſuadebant, dicentes, ejus uſu infantem interfectum iri; Medicamentum eſſe ad equorum curam relegandum, ſe longè tutius & melius præſcripturos. Nullum igitur infanti periculum à Vermibus imminere dictitantes, eidem ſyrupum refrigerantem & purgantem præſcripſerunt, Febris tollendæ cauſâ, & ex Margaritis confectiones, cum aliis corroborantibus aquis adjunxerunt. Sprevit has potiones Mors, & infantem abripuit: Ex mortui ore autem magni Vermes erepſerunt, ac indicio parentibus fuerunt, intempeſtivè admodum

dum

dum meum consilium repudiatum esse, forsan ideo, quia medicamentum non sumptuosum, & ex vili subjecto paratum erat. Sed pœnituit nimis serò parentes: Mater postea in vicinæ cujusdam domum veniens, febri & vermibus laboranti infanti limaturam illam dictam, quam ipsi dederam, exhibuit, qui acceptâ unicâ illâ dosi se melius habuit, ae sensim ad pristinum bonæ valetudinis statum reversus est. Eum autem in finem historiam hanc apponere hic volui, ut demonstrem, viles & abjectas res sæpè plus, quam Margaritas, & pretiosos lapides præstare posse.

His concludo dissertationem hanc admodum necessariam de Vermibus, ac Febribus ex iis originem ducentibus, à quibus haud exigua parvulorum copia extinguitur. Neminem spero ægrè laturum, quod tam prolixo sermone de Vermibus hic egerim. Necessarium enim duxi causam indicare, propter quam tot parvuli in ætatis flore mortem oppetant. Qui fidem adhibere negat, suo damno rem experiatur.

XI. CAPUT.

De Mercurio, ejusque excellentibus, tam Medicis, quàm Chymicis virtutibus, non autem vulgaris, & ubique noti, sed Philosophorum Mercurii, qui per vulgare, & notum: sed prius Magneticum redditum Aurum & Argentum ex superioris Solis & Lunæ radiis, ope & auxilio aëris, extrahitur.

QUot & quantæ inquisitiones institutæ sint, & quot, & quam multiplices opiniones de Philosophorum Mercurio per tot secula extiterint, lippis & tonsoribus notum est, satisque cognitum iis. qui tot, ac tàm multiplicia scripta, quæ adhuc hodiè extant, pervolverunt. Quot capita, tot sensus; unus ex hâc, alter ex illâ materiâ ipsum parare instituit. Unde totum hoc negotium eò tandem progressum est, ut fides Mercurio tali penitus abrogata sit, ac si in rerum naturâ nunquam extiterit, & adhuc nusquam existat, quia tot mille hominum ejus inquisitione occupati fuerunt, & paucissimi ejusdem compotes facti sunt.

Quorundam opinione Mercurius currens ex optimis Metallis, Auro puta & Argento eliciendus, & in Universalem Medicinam maturandus est, ut videre est apud Basilium, Paracelsum, aliosque Philosophos.

Alii opinati sunt; ex Auro & Argento purissimam

mam Substantiam eliciendam esse, non tamen sub formâ Mercurii currentis, sed sub aqueâ specie, in Medicinalem Lapidem, ignis auxilio, coagulandâ, & figendâ.

Nonnulli persuaserunt sibi, quod jam maturum, & fixum Aurum & Argentum, ad tam grande opus planè non sint idonea, sed contra potius quærenda in talibus subjectis, quæ nondum aliquam speciem sibi adsciverunt, & quasi adhuc in universali illo & magno Chao, nempè aëre delitescunt, quia viderunt, quod omnium rerum vita in aëre occulta jaceat, & ab unaquaque creaturâ Dei, ad sui vitam, & augmentum, Magnetico modo, quotidie, & sine intermissione ex eodem attrahatur: haud aliter, ac seminum, quorum plurimæ & diversissimæ species uni terræ inseruntur, quodvis, pro sua natura & proprietate, vitam & augmentum ex eadem sibi adsciscit.

Ita etiam fieri posset, ut Metalla quoque, secundum suam naturam & proprietatem, ex terrâ, aut aëre augmentum suum elicerent, si modo nobis suppeteret verum semen, vel verus Magnes, qui incrementum illud eruat. Nam quare Deus his suis creaturis, non æquè ac aliis, semen ad augmentum sui dedisset? Ita tot ac tam variæ opiniones de Mercurio Philosophorum emerserunt, ac plurimi ejusdem inquisitioni summam operam dederunt, sed paucissimi eodem potiti sunt. Culpa tamen hujus rei, non naturæ neque arti, sed inquisitori est imputanda, quia errans debito loco non

quærit. Equidem jam ante plures annos, ejuſmodi ſpiritualis, & Aurum atque Argentum attrahentis Magnetis inquiſitioni ſummo ſtudio inhiavi, ſed verum ſcopum hactenus attingere nequivi, donec tandem forte fortuna animadverti, & fugacibus, & imperfectis Metallis, & Mineralibus, qualia ſunt Plumbum, Stannum, Biſmuthum, Zincum, & Antimonium, artis beneficio, ſine ulla Mercurialium rerum additione, Mercurium vivum, & currentem extrahi poſſe. Ac licet plures Philoſophos hanc rem affirmantes legerim, tamen ſemper de eadem dubitavi, & quidem non ſine causâ, quia in juventute mea, magni nominis cuidam Viro in laboribus Chymicis inſerviens, biennii ſpatio ducentos quidem, Mercurium Saturninum conficiendi modos, tentavi, ex quibus ne unus quidem ſucceſſit. Dictus autem Dominus ad ſtudium hoc Saturnini Mercurii acquirendi tantum excitatus eſt ſequente occaſione. Familiaritas ipſi intercedebat cum pluribus Magnatibus, Alchymiæ deſiderio quoque flagrantibus. Eorum unus, ex Plumbo Mercurium vivum conficere, & in optimum Aurum convertere noverat, qui meo Domino lotonem aut aliquanto plus iſtius Mercurii miſerat, unà cum modo eundem in Aurum convertendo & figendo. Laborem aggrediebamur, voto noſtro reſpondentem, & tantum Auri ſuppeditantem, quantum Mercurii nobis miſſum fuerat. Succeſſus hîc ſperatus tanto meum Dominum

minum ardore inflammavit, ut non quieverit, donec modum Mercurii Saturnini conficiendi ab eo, qui ipſum callebat, impetraret. Sed quotieſcunque ſecundum præſcriptum illum nobis modum, operationem tentavimus, ſpes nos & labor fruſtrata ſunt. Interea Dominus ille ſatis conceſſit, & nos nihil efficere potuimus. Hinc ſumma inquiſitione paſſim indagando opera data eſt, tantaque Proceſſuum, aut Operationum ſe copia obtulit, ut ad illarum omnium elaborationem vix biennium mihi ſuffecerit, quamvis ne una quidem optatis noſtris ſatisfecerit, & omnes noſtri labores irriti fuerint. Ea propter fidem Baſilio, & Paracelſo adhibere non potui, quando apud ipſos legi, quod Aurum, & Argentum in vivum & currentem Mercurium reſolvi queant, quandoquidem mihi & aliis tanto labore & ſudore conſtitit, immaturi duntaxat Plumbi in Mercurium converſio, quam tamen adipiſci non poteramus. Unde in eam incidi opinionem, Philoſophos, Mercurio ſuo currente, aliud quid denotaſſe, ac proinde opinioni meæ tamdiu conſtanter adhæſi, donec fortè fortuna Mercurium ex Plumbo confeci, & aliquoties eodem ſucceſſu operationem repetii. Eandem quoque aliis revelavi, qui hactenus, & quidem parva quantitate idem præſtiterunt. Sed in eo nonnulli deſudabunt, ut majore copiâ ipſum parare addiſcant, præcipue quia certo conſtat, quod haud parvum commodum in ipſo lateat. Imò ſi nihil

aliud commodi præstaret, in Aurum tamen converti potest, cujus rei certitudinem jam habeo. Nam aureo nummo ejusmodi Mercurius si illinatur, ipsum album reddit, ac ab ipso prunis imposito ità discedit, ut colore majore & altiore ipsum tinctum relinquat. Quod si hic labor aliquoties iteretur, Auri pondus accrescendo incrementum sumit, unde facili conjectura provideri potest, quod puræ calci aureæ adjunctus facile sit in bonum Aurum brevi temporis spatio abiturus. Nec ullum dubium est, si quis porrò talem Mercurium debito modo tractandi rationem nosset, quin aliquid magni ex ipso sit consecuturus, quoniam tantum boni de Saturno omnes Philosophi in suis scriptis pollicentur. Universi affirmant, Plumbum intrinsecus Auro longè præstare. Quot Philosophi sunt, qui Universale ex ipso parare docent. Legantur Isaaci Hollandi Opus Universale, Paracelsi Cœlum Philosophorum, Parvus & magnus Rusticus &c. Multi expressè scribunt, quod omnia in Plumbo reperiantur, quæ Philosophi quærunt. Hinc leprosum Aurum illud nominant. Quidam Philosophi scribunt, Mercurio inesse omnia quæ quæruntur; fortean non vulgarem, sed talem intelligunt, qui ex Metallis erutus est. Sed nos misso hoc Saturni Mercurio videbimus, & dispiciemus, an melior, & majoris momenti alius inveniri queat. Interea Mercurius Saturni dictus circumvolare, ac bona nova afferre poterit amicis veritatis,

ritatis, quod Glauberus jam in via sit, divino auxilio de omnibus suis hostibus Diabolicis triumphaturus.

Perrecturi igitur investigabimus, num alius & melior Mercurius illo, quem currentem Plumbum subministrat, reperiatur.

Mihi naturæ arcana accuratius pervestiganti, clarissimo aspectu in oculos incidit, quod omnia, quæ vivunt, & crescendo incrementa sumunt, Solis operatione prodeant, adeò ut fructus tanto excellentiores evadant, quanto propius ipsi sunt admoti; ac tanto viliores fiant, quando remotius ab ipso discedunt. Exemplo sit vinum, quod eò nobilius erit, quò propius ad Solem accesserit, at eò vilius, quò longius ab eodem discesserit.

Idem observare est quoque in generatione Metallorum, ex quibus Auri plurimum in calidioribus, & Argenti major copia in frigidioribus regionibus se offert. Res nota est, ac omni disputatione caret. Cum igitur viderim, calidos Solis radios, cum humido, & refocillante lumine Lunari, non modo Aurum, verum etiam excellentia Vina, & optimi saporis fructus, imò etiam vilissimas herbas maturare, & omnibus gratissimum saporem conciliare, haud immeritò conclusi, si calidis radiis Solaribus, & humido Lumini Lunari, commoda Matris, seu idoneus Magnes opponeretur, qui diebus & noctibus operationes ipsorum exciperet, fieri non posse, quin ipsorum semina tali Magneti se insinuantia, in excellentissimum

tiſſimum fructum abitura, & perfectam maturationem conſecutura ſint. Periculi faciundi cauſa aliquando rem tentavi, & purum Aurum, ac Argentum artificiosè parata, aperta, ad Magneticam attrahendi virtutem deducta, & probè mixta, Soli & Lunæ expoſui, viſurus, & experturus, quid inde profecturum eſſet. Ratus poſtea, quod ſatis diu in Sole & Luna ſtetiſſent, parvæ retortæ vitreæ immiſſa, impoſui arenæ, omnemque humiditatem ab Aureo & Argenteo Magnete, ex aëre attractam, deſtillatione ſeparavi. Aquam nactus ſum dulcem quidem, ſed viribus neutiquam carentem. Ignis autem fortior adhibitus huic Magneti liquorem aſtringentem, Auri flavo colore apparentem, & huic ipſi ſimilem extorſit. Siccum Magnetem dictum denuo Solaribus & Lunaribus radiis expoſui imprægnandum, ut viderem, an alter, & ſequuturi partus primo in omnibus reſponſuri eſſent De his verò non dubito, quin indole & naturâ ſuâ patri & matri ſint reſponſuri, aut etiam his ipſis pulchriores & excellentiores futuri. Nam Primogenitus ille Partus, longè excellentiorem Patre ſuo ipſius pulchritudinem, in mundum ſecum attulit.

Interea hunc Solis & Lunæ partum accuratiori examini ſubjiciens, ut ejus virtutes, & vires explorarem, illud in ipſo primum deprehendi, quod in ipſo, adhuc ità fugace, magni momenti Medicamentum lateret. Ac quodam tempore

ipſum tractans, caſuque nonnihil ejuſdem Auro impingens animadverti, quod Aurum album reddiderit. Sæpius verò idem liquor Auro affrictus, tandem in ſe latentem Mercurium vivum produxit, quem ita vivum & viſibilem, ex hoc ipſo liquore extraxi: ſed melius eſt, ut non vivificetur, ſed ita, quemadmodum natus eſt, figatur, & conſtans reddatur. Jam itaque autumno, talem Mercurium, qualis per Aurum & Argentum, non tam Corporalia, ſed Spiritualia, ex aëre extrahitur, pro vero Mercurio Philoſophorum habendum eſſe.

Si quis hic objicere, & dicere vellet, non ex aëre hunc Mercurium provenire, aut per Magneticum Aurum, & Argentum ex Solaribus & Lunaribus radiis non extractum eſſe, ille dicat, quicquid volet, interim ea, quæ cupit, non adipiſcens. Tanti etiam meâ non intereſt, undecunque oriatur, dummodo eodem potiri poſſum. Si ex Auro & Argento prodiret, ideò non eſſet repudiandus, ſed omninò melior exiſteret illo, qui ex craſſo Plumbo confectus Aurum, imò forſan Tinctura evadit, ſi ritè tractare ipſum quis noſſet.

Communi Proverbio fertur, quod pomum non longè à trunco decidat, & quiſque naturæ ſuæ ſemina ſequatur. Quo nobilior eſt truncus, eò flebilius eſt lignum ejus. Juniores ſeniorum cantilenas canendo repetunt. Indicant autem hæc dicteria, tanto excellentiores fructus eſſe,

quanto

quanto meliore natura arbor excellit: quod nunquam fallit. Unde necessario talem Mercurium, qui per Aurum, & Argentum ex aëre exhaustus est, aut ex Auro & Argento prodiit, longè meliorem esse oportet illo, qui Plumbo extortus est. His autem acquiesco. Quisquis inde capiat, quicquid voluerit. Posteris relinquere volui ea, quæ in tanti momenti rebus mihi innotuerunt. Nullum vero mihi dubium est, quin ignorantes Asini, hostes mei capitales (alios enim inimicos non habeo) more suo diabolico omnia hæc pro mendaciis putidis habituri sint, id quod jam sæpius ab ipsis antehac factitatum est. Sed veritatem non oppriment, constantem in suo statu mansuram, & semper duraturam; Interea omnes libellorum famosorum fabri, & calumniarum ac mendaciorum architecti, cum suis mendaciis diabolicis, ad diabolum Patrem suum, in gehennam migrabunt, ubi meritam suam mercedem accipient.

Maximi verò momenti Arcana hæc apud me solum non hærebunt, quippe qui decrevi, adhuc nonnullos integros & sinceros homines eorundem participes reddere, ut veritatis patrocinio suscepto eadem contrà impios sicarios tueantur.

Quod ad hujus Aurei Mercurii Medicas virtutes attinet, de iis hoc moneo, quod talis, qualem primâ destillatione se obtulit, existens in Medicinâ cautè sit usurpandus, quia est adhuc imma-

immaturus, & nuper natus, qui intrinſeco uſu adhibitus nimis fortiter corpus humanum aggreditur. Ideò præſtat, ut cum aliquo corporali Auro, bene aperto figatur, ità effecturus ea, quæ Univerſalis Medicina efficere poteſt. Equidem ipſi nullam adhuc conſtantiam, & fixitatem conciliavi, eò quod tempus ipſum ritè tractandi me defecerit: Interim alii ſunt, qui hunc laborem ad manus capient, & ſuo tempore plura de ipſo manifeſtabunt. Indicio præſenti quiſque contentus eſto, nimirum, verè vivum & currentem Mercurium, non modo ex mollibus, & fugacibus, atque adhuc immaturis, ſed etiam maturis Metallis elici poſſe, de quo cum quam plurimi maxime dubitent, non potui intermittere, quin tanquam veriſſimam rem, ipſis indicarem. Quicunque voluerit, rem ipſam perſcrutetur. Viam me hîc indicaſſe ſufficit. Edant itidem alii aliquid in lucem, ut ità Veritas, quæ tamdiu hactenus preſſa eſt, tandem è tenebris in apertam lucem emergat.

Ad Vinum tandem perveniamus, & videamus, quantâ cum Auro & Homine harmoniâ, & familiaritate conſpiret.

XII. Caput.

Quanta Vino cum Homine & Auro harmonia, quanta familiaritas, & quantus amor intercedat.

Ex omnium Philosophorum scriptis constat, Hominibus Vinum & Aurum salubrem medelam existere; sed tamen non ità crassa, & sine omni præparatione, sicut ex terrâ prodeunt, sed ex ipsis destructis purissimæ partes extractæ, & rursus conjunctæ. Hunc finem consequendi gratiâ multiplicium menstruorum usus invaluit, quorum semper unum alteri excelluisse repertum est. Vulgaris Spiritus Vini Auro neutiquam est familiaris, propter immaturum, & combustibile suum Sulphur, à quo tanquam inimico suo Aurum penitus abhorret. Hâc de re in diversis Scriptorum meorum locis mentionem feci, & in hoc ipso tractatu docui, quod Aurum solutum, ex Aquâ Regis, per Aquam Tartari præcipitandum sit, ut tenerrimæ atomi acquirantur, quod nullâ alia ratione fieri potest. Vulgare enim vinum crassum, & vulgaris, atque impurus Tartarus Sulphureus Auri hostes sunt, quod liquido apparet ex hac præparatione subtilissimæ Calcis Auri, per Aquæ Tartari affusionem, ad fundum præcipitis datæ.

Hujus

Hujus rei, ac ipsius Veritatis certitudo ita explorari poterit, si aliquantulum Auri, per Aquam Regis soluti, in vitrum vini Rhenani, aut alius alicujus aciduli plenum immittatur. Mox enim Aurum à Tartaro, qui Vino inest, præcipitatum, instar teneri, ac splendentis pulveris, non quidem in momento, sed sensim ad fundum præceps ibit. Quod idem confestim fiet, si vinum vase prunis impositum coquatur. Unde liquido apparet, quod Vinum, nulla separatione adhuc, ab impuritatibus suis sejunctum, odio hostili ab Auro diffideat, ac nihilominus amicissimam ipsi substantiam, visceribus suis occultam gerat, quæ, crassioribus partibus separatis à subtilioribus, tandem se manifestat.

Basilius per peculiare instrumentum cupreum ejusdem apparatum docuit, in quo, meâ quidem opinione, Spiritus Vini accendendus, & comburendus est, ut ita per Sulphuris conflagrationem, Sal Mercurialis separatur, ac frigido receptaculo excipiatur. Hoc ipso Sale, ait, Auro tincturam suam extrahi posse, quod fieri posse verisimile est, si modo dicto Sal ille Mercurialis se capi pateretur. Multi quidem hunc laborem tentarunt, forsan ne unius quidem expectationi respondentem. Quid qua in parte defuerit, Deo notum est.

Alii Aurum Alcalibus miscendum, tincturamque per Spiritum Vini Alcalisatum extrahere doce-

cuerunt, qui modus licet aliquid efficiat, non tamen genuinus est.

Quidam Tartaro igneum quendam Spiritum per destillationem extorserunt, eodem vincere Aurum tentantes. Hic aliquid duntaxat possibilitatis ostendit, non tamen etiam pro illo habendus, qui omnia Auri penetralia reserat, eam ob rationem, quia adhuc abundat combustibili Sulphure, à quo Aurum maximè abhorret. Si autem Aurum cum Vino debitè conjungendum est, omne Sulphur combustibile prius ab ejusdem parte Mercuriali sejungatur, ac Mercurius Vini per destillationem summam in Igneum Spiritum redigendus est. Hoc si non fiat, parum efficietur.

XIII. Caput.

Quo pacto parandus sit talis Vini Spiritus, qui Auro se libenter associet.

PRoculdubio plures hîc percipientes, talem Spiritum parare rem factu possibilem esse, operationem talem cognoscendi desiderio summo tenebuntur. Verum enimvero tantum Secretum indignis, & impuris porcis objicere nefas esset. Proinde sufficit indicare, quod & quomodo fieri possit: reliqua Deo commendanda.

Ne autem artis Studiosus planè absterreatur, hîc

hîc tantum indicabo, quantum alicui, in Ignis laboribus verſato, ad tanti Spiritus acquiſitionem ſuffecerit: eâ tamen conditione, ut in laborando patientiam adhibeat, quandoquidem uno die hîc labor expediri nequit, velut ille, qui unius diei deſtillatione, ex Vini fecibus, aut Tartaro Spiritum exhibet. Modus operandi talis eſt.

℞. Album aut rubrum Tartarum (uterque enim probè mundatus æquè bonus eſt) aquâ ſolve, & per materiam quandam præcipitantem, omneque Sulphur craſſum ſegrega. Impuritas hæc in aquâ manens, per effuſionem aquæ, ſeparanda eſt à Tartaro præcipitato, qui inſtar niveæ arenæ in fúndo remanet, probè adhuc iteratis aquæ puræ elotionibus tamdiu purgandus, donec omnibus impuritatibus probè ſecretis, ipſe pulvis albiſſimæ nivi ſimilis evadat. Quamvis autem hic Tartarus ſit albiſſimus, multas tamen adhuc feces Sulphureas continet, quæ nigræ, nullis unquam Solutionibus, & coagulationibus ſemoveri ſe patiuntur, ſed neceſſe eſt, ut per præcipitantem aliquam materiam præcipitentur. Solvatur itaque denuo ille Tartarus aquâ purâ, & præcipitetur iteratis ſolutionibus, & præcipitationibus toties, & tamdiu, donec nullæ nigræ feces amplius appareant. Puriſſimus & gratiſſimus hic Tartarus in ore liqueſcit, & ferè, more aliorum ſalium, facilem in frigida aqua ſolutionem admittit. Ad hunc ſtatum deductus,

ctus, idoneus eſt, qui porrò ſequenti ratione tractetur.

Aliquot hujus Tartari puri libras frigidâ aquâ ſolve, ut ſatis acida hæc fiat: Solutionem hanc in tepido aliquo loco, aut in fimo equino potius, aut balneo tepido repone, ut ibidem Tartarus putreſcere, ac aciditatem ſuam amittere incipiat, dulcedinem aliquam acquirens, ad quam antequam perveniat, aliquot menſium tempus requiritur. Poſtquam autem ita putruerit, atque aciditatem ſuam amiſerit, omnis inutilis aqua per balneum evaporanda eſt, uſque ad ſuccum craſſum & nigrum inſtar mellis, qui cum vitro arenæ impoſitus, & fortiore igne, quàm in Balneo factum eſt, vexatus igneum reddet ſpiritum, & quidem ſe cum Auro in Spiritu Salis ſoluto miſcentem, puriores partes in digeſtione ad ſe trahentem, craſſiores verò à ſe removentem, atque ita in Medicinâ ſuo officio ſummâ cum admiratione fungentem. Nam puriſſimas Vini, Salis, & Auri partes nihil mali operaturas, quivis facile conjecturâ providere poteſt.

Quid in Metallicis præſtare queat, nondum penitus cognitum & perſpectum habeo. Ritè adminiſtratus, & debito uſu adhibitus proculdubio rerum ſuarum ſataget.

Operatio hæc præſcripta, facilis factu, externa quidem ſpecie apparet, ſed plus laboris & moleſtiæ complectitur, quam quis arbitretur. Qui patien-

tientiæ dono instructi non sunt, & operationem patienter perficere nesciunt, hoc labore supersedeant. Putrefactio enim tardè procedit, ac Tartarum præcipitantis materiæ cognitio requiritur, sine quâ ille nullâ ratione præcipitari, & purgari se sinit. Inventu difficilis est, sed cui innotuit, eidem reddit omnem laborem facilem. Unusquisque Tartarus impurus, sive albus, sive ruber sit, unius aut duarum horarum spatio ita elui, & purgari potest, ut nihil præter feces amittendo, albissimus, & ad plures operationes multò aptior evadat. Sed fusius hæc tractare tempus non permittit: in alio loco posteà Deo volente fiet.

Hoc adhuc patefaciam: Si Spiritus Vini ad summam puritatem deducti, ut nullum putidum saporem & odorem retineat, debita quantitas, vulgaris aquæ beneficio cum hoc optimè depurato Tartaro conjungatur, ex utroque fit gratissimi saporis potus, naturali vino similis, qui alicujus salubris vini loco in usum adhiberi potest. Res esset iter facientibus commodissima, si modo Spiritum illum Vini, & Tartarum optimè paratum in promptu haberent. Aqua enim omnibus in locis se offerente, omni tempore & ubique vinum sibi parare possent, tam bonum & forte, quàm ipsi desiderarent, prout istius Spiritus & Tartari plus aut minus adderent. NB. Ars hæc haud exiguum commodum allatura esset frigidis Regionibus, in quibus, Spiritus Vini defectu, ob vinum ibi non crescens, laborantibus, frumenti Spiritus

 idem

idem præstaret. Præcipuum autem est, ut quis Tartaro illo instructus sit, qui per facilem solutionem aquam ingrediatur. Sed majoris hæc ars est momenti, quam ut divulgari debeat. Modum talem Tartarum parandi aliquibus jam aperui, à quibus ipsius copiam paraturis, facili negotio tantum quis impetrare poterit, quantum ipsi opus erit.

Ejusmodi Tartari usus etiam ad multas alias res præstandas conducit. silentio tamen involvendus, ne alii damno afficiantur, qui ejus notitiam habent. Verè autem hic & sincerè illud affirmo, qui crassum Tartarum vulgarem sine decremento & sumptu ita parare novit, victum & amictum ac reliqua ad vitam necessaria comparare sibi potest, ubicunque & quacunque in Regione etiam commoretur. Temporis progressu res hæc longius progredietur, multis ejusdem beneficio luculentius victuris, & incredibilia præstituris. Equidem initium feci, & mures ea, quæ hic scripsi, nunquam erodent, at contrà posteri, usque ad mundi finem, ad Dei gloriam iisdem fruentur, Deoque primum, & postea mihi, tanquam authori, & manifestatori, summas gratias agent. Si aliis victum quærentibus damnum non inferrem, multa utilissima, tali Tartaro præstanda, revelare possem, quæ tamen ob certas causas jam reticenda sunt. Sapientibus sat, risoribus verò & subsannatoribus nimium dixi, cuncta tamen mendaciorum insimulaturis, quia ipsi talia præstare ignorant.

Hujus

Hujus ex Auro, Tartaro, & Sale conjuncti, & hîc descripti liquoris usum quod attinet, in omnibus ægritudinibus, in Auri Potabilis locum succedit, & in corroborando Spiritus vitales utiliter adhibetur, quippe qui notabili & visibili operatione non adeò vires suas prodit, quod corpus corroboret, urinam & sudorem admodum leniter expurget, ac rarò aliquot sedes operetur, nimirum si fortiore dosi propinatus fuerit. Dosis est à gutta 1. 2. 3. 6. 9. usque ad scrupulum unum pro ratione ægri, in aquâ, vino, aut cerevisiâ, aut aliis liquoribus, manè jejuno stomacho, & vesperi post cœnam, aliquot diebus, se invicem consequentibus, assumpta. Corpus, aut alvum conservat apertam, ac cerebrum, & omnia membra corroborat: Præcipuè autem, si ante hujus Liquoris Auri usum, corpus bonis remediis purgantibus, qualia sunt meum Aurum, aut Luna purgans, expurgatum sit, eò quod medicamentum hoc dicti Liquoris Aurei longè commodius, & melius operetur. In ejus usu observandum est, num excrementa nigra abeant: quod si non fiat, dosis tàm diu agenda est, donec excrementa abeuntia nigrum colorem ostendant. Ægritudine porrò decrescente, dosis sensim minuenda, prout necessitas, aut morbus illud postulaverit.

Hæc sunt, quæ hâc vice in Quartâ Parte Pharmacopœæ Spagyricæ in lucem edere mihi visum fuit. Pauca hæc quidem, sed longè latéque se extendentia Secreta Medica quisque æqui bonique

hâc vice consulat rogo. Deo dante Tertia mea Centuria, propediem lucem visura, plurium excellentium Medicamentorum, & aliorum utilium Secretorum manifestationem offeret.



A P O-

APOLOGIA

Nonnullos libellorum famoſorum Scriptores refutans.

BENEVOLE LECTOR.



Mnia peccata & vitia Diabolo ſuum ortum debere, & ſuperbiam omnium peccatorum & vitiorum radicem eſſe, res eſt notiſſima.

Annon Lucifer Angelorum princeps, ob ſuperbiam ſuam ex cœlo infernales tenebras detruſus eſt? Annon poſtea molitus eſt, & adhuc molitur, pro viribus ſuis, omnes homines ad ſuperbiam traducere, & à Deo ſuo Creatore abducere? Etenim probè novit, ſi ad ſuperbiam hominem impulit, ſe eò ipſum deduxiſſe, unde omnis generis peccata & vitia, ſpontaneo fluxu, pedetentim erumpant. Inſpiciantur ea, quæ de Adami lapſu Moyſes ſcribit, quod nimirum à Satana deceptus tàm ſubitaneo lapſu à Deo defecerit. Annon ſuperbia tanti mali, proh dolor, effectrix eſt? Cum Eva de vetito pomo comedere negaret, dicens, ſe illud facere non audere, eò quod juſſu divino æternâ morte moritura eſſet, ſi illud faceret: Satanas regeſſit; haud quidem æternâ morte moriemini, ſed Diis ſimiles evadetis. His auditis gaudio exultabat Eva, cui non ſufficiebat, quod

in tàm amœnum hortum deducta esset à Deo, ipsi de omnibus fructibus comedere permittente, & unam solam arborem excipiente, de cujus fructibus edere ipsam prohibuit. Deo igitur similes esse desiderabant nostri Primi Parentes, quæ superbia à Diabolo proficiscebatur, post se trahens inobedientiam, & mandati Divini transgressionem, quæ horrenda peccata pedetentim posteà unum peccatum post aliud secutum, atque ita totum Genus Humanum corruptum est. Si Adamus & Eva Paradyso contenti fuissent, & ad similitudinem illam, qua Diis æquiparari volebant, non aspirassent, nunquam à Deo defecissent, & Paradyso exulassent. Superbia enim semper lapsum, & casum antecedit.

Si quis prudens, hominem ineptum, & superbiâ elatum, hodierno tempore videat, ipsum ab interitu aut damno suo haud longè abesse mox vaticinatur.

Unde oriebatur invidia Caini videntis, sacrificium sui fratris Abelis Deo longe gratius esse, quam suum? Annon ex superbiâ ipsius, qui fratre suo superior, & major esse gestiebat. Hinc sequebatur ira, ac postmodum cædes fratris, & lapsus, quo omnes homines fugere cogebatur.

Cum à Deo benedictus, & coràm hominibus vilis opilio David, ingentem gigantem Goliathum, qui Sauli, ac toti ipsius exercitui tantum terrorem incusserat, in terram prostravisset; Annon interitus Goliathi ortum suum duxit à superbiâ,

biâ, quâ parvum Davidem cum pedo ſuo ad ventantem contempſit? Porrò clamorem populi clamantis, Saul cecîdit mille, & David bis mille, non poterat concoquere ſuperbia Saulis, ægerrimè ferentis, quod Davidi ſuus debitus honor exhiberetur, ac proinde molientis Davidi morte compenſare, quicquid beneficii in patriam contulerat. Annon hæc ſuperbia ipſi excidio fuit, cum ſeipſum gladio ſuo confoderit, quem tamen David, ſi voluiſſet, facilè interimere potuiſſet.

Ac licet Davidi tanta beneficia, quibus Patriam ſuam affecerat, fœdo exilio compenſata fuerint, Deus tamen ipſum perire non paſſus eſt, ſed ad honores regios evexit, poſtquam hoſtes ipſius peſſundederat.

Quænam alia cauſa fuit interitus Abſolonis, quod arbori crinibus ſuis adhærens, tribus haſtis confoſſus fuerit, quàm Diabolica ſuperbia, quâ ſe Patri prætulit, eumque Regno ſuo expellere conatus eſt. Talium exemplorum multa millia afferri poſſent, quibus ſuperbiam interitus prænunciam eſſe docetur. Ex iiſdem enim patet, in eandem foveam illos incidere, quam aliis foderunt.

Annon omnia bella, quæ fuerunt, & adhuc ſunt, inde ortum ſuum trahunt, quando unus præ nimiâ ſuperbiâ ſe alteri præfert, eodem ſuperior eſſe cupit, ac plura appetit? Si autem homo iis, quæ à Deo accepit, contentus viveret, & præ nimiâ ſuperbiâ proximo ſuo non invideret ea, quæ

Deus ipsi largitus est, pax & concordia in Humano genere stabilis & firma maneret. Sed Diabolus, omnis invidiæ & omnium litium author & excitator, concordiam hominum ferre non potest, ac proinde instrumenta quærit, quorum adjumento omne bonum opprimat, & quodvis malum Generi Humano accumulet. Ubi Diabolus hominem in superbiam conjecerit, pro arbitrio suo ipsum regens, idoneum ex eo efficit instrumentum, quo piis omne malum & damnum infert. Nam quando Divina Benignitas in hunc vel illum quietum hominem plures dotes contulit, quam in superbum aliquem, mox Diabolus instrumentum suum superbum instigat, ut misero isti suas dotes invideat, ac, si fieri potest, plane eripiat, & sibi vindicet. Annon hoc inter omnis generis, & conditionis homines usu venire videmus? Invidia omnibus invidens, neminis nisi sui ipsius rationem habet, quod per plures annos, summo cum meo damno, experiri coactus fui. Postquam Deo placuit mihi aliquid Lucis in Naturâ largiri, & ego divino jussu & mandato impulsus, ad Generis Humani usum communem illud conferre incepi, superbus Diabolus mox se opposuit, & lucem illam extinguere molitus est. Quanquam autem Lucis illius patrocinium suscepi, & unum Diabolum inde propuli, mox tamen alios longè pejores sibi adscivit, lucem oppugnare & penitus extinguere conatus. Testes sunt libelli illi famosi, qui pro-

proximis duabus nundinis Lipſienſibus, & Francofurtenſibus, à putidis illis mendaciorum, & calumniarum fabris confićti, nil niſi mendaces ſuas cloacas illas, illos nimirum mendaciorum putidiſſimos figulos, redolent.

Libellis illis ſuis quidem, tenebriones iſti, nomina ſua non addiderunt, ſed eò tamen res pervenit, ut omnium hâc ſocietate viperinâ, & turbâ Diabolicâ conglutinatorum ſodalium nomina, & cognomina innotuerint, quæ etiam hîc indicata & manifeſtata fuiſſent, niſi ſubdola illa Diaboli progenies inſtrumenta ſua, ad me ab hoc propoſito dimovendum, adhibuiſſet.

Quamvis probè cognitos & perſpećtos habeam inimicos meos, tàm apertos, quàm clandeſtinos, qui Lipſiæ & Francofurti hærentes, odio Vatiniano me proſequuntur, certò tamen reſciſcere nequivi, an iidem illi mei hoſtes illud fecerint, an verò ad illud faciendum alios precio corruperint. Cautè igitur mihi procedendum ratus ſum, ne caſu fortuito unum aut alterum aggrederer, quem licet reipſa tam putidi facinoris reum, liquidis tamen, & manifeſtis teſtimoniis fa&ti convincere non poſſem, atque ita de novo inquietas lites mihi crearem. Quantum verò mihi de toto hoc negotio percipere licuit, quidam mendaciorum illorum ſtrućtores ſunt, alii verò condućti precio, ea imprimenda curarunt, adeò ut diverſi huic culpæ affines deprehendantur. Sapienter itaque me fa&turum putavi, ſi per ali-

quot

quot familiares, in iis locis, ubi tales libelli impuri excusi sunt, inquirendos curarem potissimum eos, quibus præ cæteris culpa præcipua imputanda esset, ut debitâ propulsatione utens, audaci & justo impetu in ipsos irruerem. Sed hoc incommodi accidit mihi, quod ii, qui mihi hac in re operam suam polliciti sunt, illud non fecerint, ac me sine certo indicio tamdiu detinuerint, donec Mercatores Francofurtum ad nundinas profecti sint. Atque hoc impedivit, quominus hisce nundinis autumnalibus libelli illi putidi debitâ & justâ refutatione non sint excepti.

Quoniam igitur tempus omninò elapsum est, atque idcircò fieri nequit, ut tam celeriter totam occasionem, quæ Diabolicum illud sodalitium meorum inimicorum conflarit, describam: Alii proximis nundinis Vernis id facient, qui & majore authoritate pollent, & melius, quàm ego, idem scribendo præstare possunt. Etiamsi enim unum aut alterum authorem, ac inceptorem istorum libellorum, quorum nonnullos etiam nominibus suis propriis indicare possem, toti Mundo manifestare, & maledictis incessere, aut calumniis onerare vellem, nihil tamen adjumenti conferret. Ideò res aliter instituenda, si quid auxilii inde sperandum. Calumniari & maledicere opus est à Satanâ proficiscens. Inter ejusmodi nebulones nomen meum profiteri non soleo. Alii surgent, qui Veritatis patrocinio suscepto, eam tuebuntur. Ac si homines hoc facturi non essent,

essent, tandem ipsis lapidibus veritas dicenda, & eloquendo defendenda foret. Ea de causa nullum istorum famæ & nominis raptorum & corruptorum perdictorum hîc patefacio, sed vindici Deo, aliisque hominibus honestis totum negotium commendo, qui fortiori defensione veritati patrocinari poterunt, & audebunt. Veritatis verò hostes aliquandiu saltem patienti expectatione totius rei eventum expectent velim. Interea temporis, ejusmodi glirium rodentium, ac Diabolicæ illi societati adhærentium asseclarum nidus accuratiore indagine in lucem protrahetur, ac forsan nonnulli inter eos erunt, qui ad saniorem mentem reversi, errores suos agnoscent, ac veritati locum dabunt, sicut quidem jam ex nonnullorum actionibus patere incipit. Alias enim in eodem prædicamento ipsis inventis, eadem cum cæteris fortuna subeunda esset.

Præteritâ æstate tria illa in Quinta Parte Prosperitatis Germaniæ Promissa Arcana realia, quanquam in Appendice Quintæ Partis Prosperitatis Germaniæ, & in I. & II. Centuria satis apertè & dilucidè descripta, & in lucem edita sint, adhuc semel publicè demonstranda erant. Sed meæ domus, in qua habitabam, venditio, & laboratorii in aliam domum translatio impedivverunt, quominus illud factum sit. Nihilominus tamen intereà in pluribus locis ab iis qui descriptiones meas sequuti sunt, non solum mineras extrahendo, sed etiam ex Sale Salempetræ confi-

ciendo, non contemnenda experimenta edita, ac magna laboratoria, ut & ædificia ad Salempetræ conficiendum constructa sunt.

Alii Saturnum aggressi, & eum non per vulgarem Salem, sed concentratos Salium Spiritus, ut in I. Centuria docui, tractantes, parvo labore, paucisque sumptibus, ac brevi tempore, ex uno Plumbi Centenario aliquot Argenti Marcas elicuerunt.

Ex quo tempore Saturni Mercurium descripsi, nonnulli fuerunt, qui ipsum ex præscripto meo confecerunt.

Hic vivus Mercurius Metallorum non solum plures amicos, qui hactenus dormiverunt, ex somno excitabit, sed etiam alios novos parabit & vivificabit.

Vulgarem Mercurium quidam fixum, & constantem reddiderunt, qui neutiquam tacebunt, veritatem animosâ defensione tueri non verebuntur. Quàm turpiter igitur se dabunt Maledici illi, cum suis mendaciis, & libellis putidis? Quam diu Mundus stabit, turpitudinis & infamiæ stigma inustum, ipsis adhærebit, casuri in foveam illam, in quam, sicariorum & latronum more, me innocentem præcipitem dare conati sunt. Tota ipsorum corpora nonnisi ex merâ, & putidâ superbiâ sunt conflata. Linguæ ipsorum, nulli alii rei, quam mentiendo, calumniando, & maledicendo assuetæ, veneno viperarum linguas superant. Manus innocentis sanguinis profun-

fundendi causâ extendunt. Pedes in impiorum ſemitam calcant. Ut compendio dicam; Omnes ipſorum cogitationes, omneſque conatus nulli alii rei inhiant, quàm ut proximum ſuum damnis & calamitatibus afficiant, quod malum ex ſuperbiâ, tanquam radice ſuâ, protuberat, & Diabolum authorem habet. Idcirco tandem etiam à Diabolo, magiſtro ſuo. cui tàm fideliter inſerviverunt, debitam, & meritam mercedem accipient, & vel cum ſuperbo Abſalone, ſeipſos flavis ſuis & criſpis crinibus ſuſpenſos vita ſpoliabunt, vel cum ſanguinis humani avido Saule propriis ſuis armis confodient, vel cum Caino fratricidâ in fugâm conjecti nuſquam locorum in terrâ quietem reperient.

Nullum dubium eſt, quin propediem meliora, quàm ego feci, in lucem edituri, & veritatem defenſuri ſint. Viam enim ad Terram promiſſam per meum Magnetem ſtravi. Sicut autem in vaſto Oceano nullus nauta ſine Magnete, viam ipſi monſtrante, navigationem ſuam feliciter expedire poteſt, ſed ſemper in metu verſatur, ne obſcurâ nocte navem ſuam in arenæ cumulum, aut duram aliquam cautem impingat, & ſummo vitæ ſuæ periculo, bonorumque omnium jacturâ, frangat. Magnete vero, aut pyxide nautica inſtructus, curſum certum tenere, à periculoſis ſcopulis ſibi cavere, & iter ſuum feliciter conficere poteſt.

In haud diſſimilia pericula incurrunt illi, qui Alchymiæ exercitiis dediti nullam cognitionem, nullæque artis fundamenta habent. Hi propter inſcitiam ſuam nihil efficientes, mox Alchymiæ culpam imputant, cui ipſi affines ſunt. Jam verò Magnetem manifeſtavi, cujus auxilio Alchymiæ navicula, quæ hactenus Magnete deſtituta fuit, tutius ad Portum deſideratum pervenire poteſt. Ope hujus Magnetis Veritatem plurimi conſequentur, ac poſtea audaciore pennâ veritatis tutelam ſuſcipiet, quam inviti jam quieſcere patiuntur. Tum cum omni populo clamare poterunt: Saul mille, David decies mille cecîdit: Glauberi hoſtes Goliathitæ etiam ſcripſerunt, ſed nihil aliud, quàm mendacia, & libellos famoſos: Glauberus nobis Veritatem exhibet. Sed me tractare non debent, ſicut Phariſæi Chriſtum, Hieroſolymam adventantem, ut ipſis ſalutem ſuam annunciaret, quem acclamando exceperunt dicentes: Laudatus ſit qui venit in nomine Domini &c. ſed mox poſtea exclamantes, crucifige, crucifige ipſum, odii ſui Diabolici teſtimonium exhibuerunt.

O quoties, & quàm ſæpè idem mihi ab improbis hominibus contigit, qui Angelico vultu accedentes, à me doceri hæc aut illa ſecreta petierunt. His poſtquam, pro ratione temporis & occaſionis, illorum ſecretorum revelatione ſatisfeci, laudibus in cœlum ab ipſis, Anagrammata in nominis

nis mei honorem etiam fingentibus, evectus ſum: Imò eò dementiæ progreſſi ſunt; ut Eliæ artiſtæ titulo me cohoneſtarint. Ut primum verò nihil, cujus ipſos participes redderem, ſuperfuit, omni amicitiâ in inimicitiam conversâ, ex voce Artiſtâ Sophiſtam fecerunt, ac qui anteà ſe mihi Angelos exhibuerant, mox inſtar capitalium hoſtium, & verorum Diabolorum me tractaverunt. Non tamen omnes, ut ipſorum literæ, quæ penes me ſunt, teſtantur. Revera igitur affirmare poſſum, me ne unicum quidem inimicum habere, cui non benefecerim, antequam me hoſtili odio proſequi inciperet. Idem mihi uſu venit, quod illi, de quo fabula narrat, quod nudis pedibus, quendam putaticium ſuum amicum, Romam portarit, & antè portam non ſatis placidè depoſuerit, eà de cauſa ab eodem illo ſuo amico, omnis præteriti laboris oblito, aſperis, & amaris verbis objurgatus, & gratiam recipiens, quam mundus referre ſolet. Votum amicus ille fecerat, religionis ergò Romam iter facere, quod ob adverſam corporis ſui valetudinem præſtare non poterat. Ab alio igitur ſe eò portandum curavit, quem eâ, quam diximus, mercede affecit. Libros grandes conſcribere poſſem, de technis illis Hypocriticis, quibus me perfidi illi Hypocritæ mihi illuſerunt.

Qui cum perverſis ejuſmodi ingeniis confli-ctatur, ipſiſque beneficia exhibet, ſine magno ſuo

damno & malo ab iisdem nunquam se expediet, sed potius benefactis suis inimicos sibi parabit. Quæ ante dixi, repeto, & firmiter assevero, me non habere inimicos, nisi eos, quos pro virili meâ beneficiis affeci, & benefaciendo ad me odio habendum incitavi.

Odii autem istius, & inimicitiæ causa hæc est: Si quis, rem familiarem malè administrando, aut aliâ aliquâ calamitate suis bonis excidit, aut in juventute suâ non didicit, quâ ratione victum pararet, aut etiam ex nimiâ avaritiâ, sine labore & sudore ditescere studuit, ac inter compotandum forte fortuna aliquid de Alchymiâ auditu percepit, esse nimirum artem Aurum & Argentum faciendi, quorum verborum gratus sonus aures permulcet, mox desiderio inflammatus, id sibi negotii solum dari credidit, ut sibi de aliquo laborum Chymicorum perito dispiceret, ac 100. Imperialium sumptu artem addisceret, per totam vitam lautè & opiparè vivendi copiam subministrantem.

Rebus verò ad votum non succedentibus, nec massis aureis ex camino delapsis, mox Alchymiæ convitiati sunt, non tamen culpam ferenti, quàm ipsi ferunt, qui ob ignorantiam suam nihil præstare potuerunt. Asino isti similes sunt, qui utricularium utriculo canentem audiens, tantâ voluptate afficiebatur, ut & ipse utriculum arriperet, periculum facturus, an etiam utriculo canere posset:

ſet: Cum vero conatu irrito rem tentaret, mox utriculum abjecit, & pedibus eidem inſultavit. Res adhuc tolerabilis eſſet, ſi ejuſmodi homines ipſam Alchymiam ſolam odio proſequerentur, eò quod eam infelici ſucceſſu tractent. Odium enim tale potius error dicendus, quam ipſis vitio vertendum eſſet. Quod autem perſonam aliquam in ſpecie, ex mero odio, & purâ putâ invidiâ criminentur, & calumnientur, non humaniter, ſed Diabolicè agunt, ut impii homines, ſi modò homines appellandi ſunt, ſi non in hac, tamen in altera vitâ mercedem ſuam accepturi. Cum hoc mundo præſente ità comparatum eſt, ut vulgare dicterium enunciat: Quo quis eſt perverſior, eò majore felicitate fruitur, & quantò majore ſtudio quis pietati inhiat, tanto pluribus in hoc mundo tentationibus affligatur. Quæ cùm Deo ità placeant, neceſſe eſt, ut iis acquieſcamus. Videmus, quod Lupus devoret ovem, à quâ ipſi nulla injuria orta eſt. Magnæ aves raptu viventes, gallinas, & columbas devorant. Minores autem aves deglutiunt apiculas, innocentiſſima animalcula, quæ nemini ſunt impedimento. Animalibus autem his, quæ naturæ impulſu talia faciunt, non tam vitio hæc vertenda ſunt, cum omni rationis uſu carentia, olim actionum ſuarum rationem non ſint reddìtura, & neſciant, quod malè faciant, parentum ſuorum exempla duntaxat ſequentia, & naturæ inſtinctu, more-

que consueto actiones suas instituentia. Sed quod homo homini sit lupus, & unus alterum devoret. hoc impunè non feret, licet irrationalia animalia impunè ferant.

Sed proh dolor! omnes humanæ actiones eò evaserunt, ut homines sine conscientiâ vivant, ac quicquid velint agant, & irrationalium bestiarum more se mutuo consumant, quæ horrenda consuetudo non apud vulgum modo, verum etjam Magnates inveteravit. Historia narratur de quodam Magnate, qui minorem viribus aggressus fuerat, eique haud parum alas acciderat. Cum autem hic de injuriâ sibi illata congrueretur, ac diceret, sua sibi injustè erepta esse, ab illo regerente hoc responsum tulit. Annon vides, istum Magnatem me majorem, me pro cibo uti? Quando ego de te comedo, factu idem, ac de alio comede, qui te minor est. Si hoc rectè & ordine fit, ubinam minimus manebit, & de quo comedet? Sed quid Lupo, post oves devoratas capto, usu venit? Pellis ipsi detrahitur, & caro ipsius cæteris bestiis & avibus carnivoris & rapacibus objicitur. Vultures & milvii captivi facti portis affiguntur, ubi à vermibus corroduntur, & consumuntur. Miseris Oviculis tamen illud est solatio, quod ipsarum afflictiones, & cruciatus propediem finientur, & ipsæ gaudio æterno recreabuntur. Hoc ita intelligendum est: quando magnus Venator Jesus Christus aliquando uni-

ver-

versalem Venationem instituet, & omnes eos, qui vitali aurâ in hoc mundo fruiti sunt, in unum locum compellet, ut villicationis suæ rationem reddant, annon nosset, & sciret, quid quisque boni aut mali in vitâ suâ operatus sit? Annon ministris suis dicet? Rapite sublimes hos Lupos, objicite ipsos infernalibus Lupis, ut ab ipsis dilacerentur; quia meas lactiferas, & lanigeras oves dilaniaverunt. Aves has rapaces inferni Portis affigite, ut à vermibus, serpentibus, & Draconibus infernalibus in æternum mordeantur, & rodantur; nam simplices & utiles meas gallinas, & columbas devoraverunt. Ovibus autem Magnus ille Venator dicet. Venite ad me: Injurias Luporum passæ estis, quæ tamen optimam lanam exhibuistis, quâ aliis servivistis; Introite in meum ovile, convivæ mei nuptiales eritis, & nullos Lupos amplius timebitis: Ex bonâ vestrâ lanâ vobis vestes nuptiales conficiam. Vos apiculæ, quæ summo studio, labore, & diligentia dulcissimum mel, & gratissimi odoris ceram, ex variis flosculis, in aliorum usum collegistis, ex vestro melle optimum Nectar, & dulcem panem vitæ parabo, quo in posterum vescamini, & quod bibatis, ut nunquam posteà esuriatis, & sitiatis: Ex vestrâ cerâ vobis candelam paratam dabo, quæ vobis meæ cœlesti mensæ assidentibus semper luceat, & nunquam extinguatur. Hoc unicum, & ultimum est solatium,

quo pii ab impiis in hac terrâ vexati & cruciati, contrà injurias, & afflictiones, quas innocentes & miseri perferre coguntur, se solari possunt. E contrario Lupis illis rapacibus, & Innocentes oves horrenda crudelitate deglutientibus, supplicium meritum expectandum erit.

Hæc sunt, quæ defensionis meæ causâ, contrà libellorum illorum famosorum fabros perditos, & nominis ac famæ honestæ raptores deproperare, & in medium proferre potui. Inposterum satis multi honesti homines, Deo volente, se offerent, qui justis & æquis defensionibus meis scriptis patrocinabuntur. Facilè mihi persuadere possum, summo desiderio hostes meos expectare explicationem meorum scriptorum, quæ Diabolicæ suæ malitiæ instinctu putidissimorum mendaciorum insimulaverunt. Ne illi adeò væsanum me futurum putent, ut cuivis Asino, qui mea Scripta vel ex ignorantia intelligere nequit, aut etiam intelligere non vult, peculiarem Explicationem exhibeam. Quod autem ea, quæ intellectu suo percipere nequeunt, pro meris mendaciis habeant, nefarii & injusti sceleris maculam sibi inurunt, quod neque coràm Deo, neque coràm hominibus excusare poterunt. Num hæc est gratia illa, quam pro tot beneficiis Patriæ præstitis, ac tot thesaurorum manifestatione mihi referunt? An bonum tàm barbaricis actionibus, sine ulla animadversione, &

pœ-

pœnâ illorum, qui hoc faciunt, compenſandum eſt? At Deus tandem exurget, & debito ſupplicio tàm enorme ſcelus compeſcet, de quo nullum dubium eſt. Nam quâ menſurâ quis menſus fuerit, eâdem menſurâ, & quidem plenâ, & cumulatâ ipſi cuncta reddentur, quæ metietur. Homines voluptatum illecebris irretiti, & omni rerum abundantiâ luxuriantes viſu ſuo privantur, & inſtans periculum non cernunt, haud aliter ac Gallus ſylveſtris, qui amoris œſtro percitus inſidiantem ſibi aucupem non cernit, ſed ab ipſo globo trajicitur. Simili cœcitate percuſſum hodierno tempore humanum genus in omni ſecurritate & luxuria ſe volutat. Credo, ſi Chriſtus hodierno tempore in terrâ verſaretur, & hunc Barbaricum, & Ethnicum vivendi morem falſorum Chriſtianorum videret, non minus hunc Chriſtianum Orbem, quam olim urbem Hieroſolymam deploraturus, & quæ ſuis diſcipulis de dictæ urbis interitu vaticinatus eſt, de noſtrâ Patriâ, religione hypocratica deformatâ vaticinaturus eſſet. Deus pios conſervet, & impios à ſuâ impietate ad pietatem convertat. Arboris radici ſecuris jam eſt appoſita. Deus ſe ludibrio haberi non patitur. Opilionibus dormientibus Lupus ovili appropinquat, ut impetu in oves facto ovile deprædetur, quod Deus clementer avertat. AMEN.

Deo permittente, & mihi vitam prorogante, proximis nundinis Vernis Francofurtensibus, haud pauca excellentia, & instantibus his temporibus admodum periculosis præcipuè necessaria, ac maximo solatio, emolumento & adjumento futura Secreta, qualia hactenus nec visa unquam nec audita sunt, in lucem emittere institui. Deus hoc meum inceptum fortunet.

FINIS.



PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ

Quinta Pars,

De verâ Medicinâ Universali, summisque illis Arcanis, tàm Universalibus, quàm Particularibus, hactenus Mundo ignotis, & incognitis, quorum auxilio inauditæ, & ferè incredibiles operationes, non solum in Medicinâ, verum etjam Alchymiâ, effectui dari possunt.

In honorem Dei, ægrorumque consolationem conscriptum opusculum

A

JOH. RUDOLPHO GLAUBERO.




AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM,

Anno CIↃ IↃC LXIII.

AD LECTOREM

PRÆFATIO.



QUando mihi, BENEVOLE LECTOR, in memoriam revoco, hujus præsentis nostri mundi detestandam ingratitudinem, quâ tot à me beneficia profecta, more suo solito, compensavit, non modo scripta mea utilissima summæ inutilitatis accusans, verùm etiam libellis famosis, mendaciorum plaustra continentibus chartis, calumniarumque plenis scriptis, infamiæ maculam honori meo inurens; satis causæ mihi suggestum, & suppeditatum esse reor, ut tot ac tantorum Arcanorum patefactione, inposterum omninò supersedeam, ne invito & indigno Mundo, contrà voluntatem suam, prosperitatem & salutem suam violenter obtrudere videar. Hæc est causa silentii mei, quod, biennii spacio hactenus, meum de ingratissimis hominibus benè merendi studium inhibuit, ac benefaciendi decursum fervidum interrupit, adeò ut non mo-

do omnem ſcribendi laborem illo ipſo tempore depoſuerim, verum etiam taciturnitatem perpetuam ætati meæ reſiduæ impoſuerim. Nullam enim laborum meorum aliam mercedem mihi expectandam video, quam odium, invidiam, & mendaciſſimas calumnias ignorantium vervecum, & aſinorum peſſimorum, nil niſi maledicta, calumnias, & putida mendacia ex faucibus ſuis eructantium, quorum haud exiguus numerus mihi hactenus inſultavit, nullâ commodiore ratione, & nullo firmiore propugnaculo, quam taciturnitate & ſilentio, ut opinabar, rejiciendorum. Poſtquam enim veritati patrocinatus, unius aut alterius putidiſſima mendacia ſolidè refelleram, firmiter mihi perſuadens, diabolum illum à cervice meâ jam depulſum eſſe, inquietiſſimus tamen non ceſſavit, ſed incitatis mox, & aſcitis aliis ſeptem longè pejoribus Diabolis de novo in me inſurrexit, multò deterioribus calumniis & mendaciis me aggreſſus, quibus evidentiſſimam veritatem plusquam Cimmeriis tenebris involvere molitus eſt. Diaboli hæc indoles eſt, & proprietas, utpote lucis radios fulgentiſſimos tolerare non

non valentis, atque id propter suorum filiorum, & discipulorum opem implorantis, quibus tanquam instrumentis suis, quod bonum est, radicitus extirpare, & quod malum est, in solidis fundamentis collocare nititur. Harum rerum omnium seriæ meditationes à scribendo me deterruerunt, omni ope atque operâ enitentem, ut ex talium Diabolicarum actionum laqueis me expedirem. Consideranti è contrario, nihil omninò boni aut mali, sine divinâ voluntate, hominibus offerri, malaque omnia bonorum, ac piorum saluti inservire, mihi solatio est exemplum Davidis, quem filius Absolon de regio suo solio deturbavit; quem ex urbe Hierosolyma fugientem impius Simei non modo maledictis quamplurimis oneravit, sed etiam lapidibus petiit, nullo tamen pacto militibus suis permittentem, ut de impio illo nequam vindictam ullam sumerent, sed dicentem, à Deo jussum hominem hoc fecisse, suo tempore meritas pœnas daturum, id quod postea quoque ipsi, debita mercede affecto, usu venit. Cur Dei permissu licuit Diabolo, virum insignem pietate Jobum, tot calamitatibus affligere, at-

corpus miſeri, tot ulcerum doloribus horrendis, excruciare? Ut videlicet, ſicut Scriptura Sacra teſtatur, obedientiam ſervi ſui Jobi admirabilem non modo experiretur, verum etiam toti mundo conſpiciendam exhiberet. Quia igitur totius capitis noſtri omnes capilli numerati ſunt, nec unus ſine patris noſtri voluntate de capite decidere poteſt, id quod Chriſtus nos docet, quid eſt, cur tanto dolore nos affligamus, ſi quo malo ab impiis afficiamur? Cur Deo vindictæ ſumendæ curam & poteſtatem non permittimus? Ipſi enim ſoli notum eſt tempus, & cognita eſt occaſio nobis auxilio ſuo ſuccurrendi, & de hoſtibus noſtris ſupplicium ſumendi, ſicut ſemper fecit, cumprimis probè cognitum, & perſpectum habens, quo tempore, & quo pacto nobis auxilium ferendum ſit. Imprudentiſſime profectò faceret, qui cum ſtercore certamen inire, aut cum Diabolo ipſo pugnare vellet: hic ſpiritus aëris eſt incola, ac ſenſibus externis carens verbera non ſentit; Illud fœtorem ſummum redolens, ſi moveatur, aut verberetur, diſpergitur, ac diſperſum proxima quævis maculat & inquinat; unde vulgares illi verſiculi nati:

Hoc

Hoc ſcio pro certo, quod ſi cum ſtercore certo,
Vinco, vel Vincor, ſemper ego maculor.

Talia ſtercora eſſe dico Inimicos & Calumniatores meos, qui putidiſſimis ſuis mendaciis tantos fœtores excitant, homines profectò, ob inſcitiam, & ignorantiam ſuam in vervecum patriam, aut ad aſinos in Arcadiam relegandi. Diaboli autem titulo eoſdem inſignio, propter Diabolicas ſuas actiones, quibus ea, quæ bona ſunt, in ſummum contemptum adducunt, ut in eorum, loco ſuo motorum, ſedem mala, damna, & perniciem introducant. Quis cum Diabolo pugnaret, nullibi gentium ſtabilem ſedem habente, ac nomine omninò carente, cui omninò ſimiles ſunt prædicti calumniatores, & architecti famoſorum illorum libellorum, mendaciſſimis calumniis nomen meum rodentium, qui circumforaneis, & unguentariis omnibus longe poſtponendi, regiones quaſvis pervagantur, nomina ſua mutant, & ab uno principe ad alterum transfugiunt, lapidis Philoſophici compoſitionem ſtentoreis pollicitis promittentes, cujus ipſimet cognitionem planè nullam habent. Admiratione profectò dignum eſt,

Principes & Magnates, alias ingenio insigni pollentes, in hâc re adeo cœcos, visuque captos esse, ut ejusmodi circumforaneis pessimis fidem adhibeant, atque pecuniam, alimenta, aliaque necessaria subministrent; quod si non facerent, eò audaciæ nunquam frivoli homines isti progrederentur, ut honestorum virorum scripta contemptui ducerent, authoribusque ipsis convitiorum suorum maledicentiâ insultarent. Magnatum autem patrocinio tecti, ac sub tali defensionis scuto latentes, quæcunque libent, eadem sibi licere putant, & neque Deum timent, neque ullâ homines reverentiâ prosequuntur. Nullo tamen unquam pacto declinabunt tempus à Deo destinatum exitui, non modò illius, qui furatur, quam ejus, qui furtum celat; tempus, inquam, non diu cessaturum, sed propediem affuturum, atque de talibus vindictam sumpturum, quo si non alius, attamen grandis profectò ille Gog, atque Magog se ultorem inferet, adventu suo jam imminens. Deus itaque orandus, ut piis parcere, & impiis ex interitus viâ, ad salutis semitam reducere velit, qui etiam faxit, ut irritum hoc vaticinium meum

me-

meipſum mendacii arguat, haud tamen à veritate abluſurum, mea quidem opinione, qui vehementer vereor, ne juſtiſſima ira Dei tandem eruptura, omni longanimitate depoſitâ, impiam & pietatis ſpecie fucatam illam Chriſtianorum falſiſſimorum, ludibrio creatorem ſuum habentium, vitam juſtiſſimo judicio puniturus ſit. Satis cauſæ mihi fuiſſet opuſculum hoc in lucem non emittendi, ac Mundo ſuam inſaniam, ac rabiem relinquendi, niſi voluntas Divina contrarium mihi injunxiſſet, & quidem proculdubio propter exiguas paucorum piorum reliquias, qui, tanquam innocentes oves, rapacium luporum injuriis hactenus expoſiti ſunt, ut ipſis, quaſi manuductione quadam exhibitâ, cum Lotho ex Sodomâ & Gomorrâ egredi liceat, antequam à tempeſtate ingruente opprimantur. Arboris radici ſecuris jam admota eſt, cui duræ, & chalybe fortifer munitæ, nullum lignum, quantumvis durum, reſiſtet; unde nihil nobis conſultius eſſe poterit, quàm ut tempeſtivè coram Majeſtate Divinâ nos humiliemus, & Diabolicam ſuperbiam ex cordibus noſtris eradicemus. Deus miſericors eſt, nec mortem

peccatoris caput, imò mavult, ut resipiscendo se convertat, pœnitentiam agat, & vivat. Haud multum, sed parum temporis reliquum est, cum horribilis tempestatis tonitrua, & nubes jam capitibus nostris immineant, decidendo, procul omni dubio haud parvo diluvio nos inundaturæ, quibus ignis consumens, & veneno infecta jacula, ut & annonæ charitas, fames, ác morbi pestilentes se adjungent. Tot enim abhinc annis mortales, largissimo divinorum donorum proventu, plusquam porcino, & belluino more, tàm turpiter abusi sunt.

Sed quæ tanti abusus causa est? Quia nullus, Pharaoni Josephus adfuit, qui tanti proventus abundantiam debitâ parsimonia tuitus fuisset, solatio futuram annis, quorum sterilitas inopiam minatur. Jam verò nimis serò ejusmodi Josephus parsimoniæ suæ labores adhibiturus esset, apud mortales superbiâ inflatos, & securitate nimiâ delinitos, nec fidem nec auditionem inventurus. Eorum, qui regendis mortalibus præsunt, animi superbiâ, proprii commodi studio, & avaritiâ turgent, ac securitate summâ excæcati sunt; quæ securitas tamen

tamen quæso quamdiu in vigore suo versabitur? Non diutius profectò, quàm ad illud usque tempus, quod Deus destinavit ad monstrandum impio suam omnipotentiam, & ostendendum mortalibus, se solum Dominum, & ipsos inutiles servos esse, quantumvis magni seipsos æstiment. O impie mortalis, & putidum vas vermium, an tu vis cum Deo pugnam inire, qui armis nimis hebetibus uteris, nec ullum auxilium humanum habes, quod tibi opem ferat? Num Deus opitularetur tibi, qui inimicus ipsius ipsum in membris suis persequeris? Nullius aliquando consilii erimus mortales: Nullius Jurisconsulti consilia, nullius Sophistæ technæ hîc adjumento erunt: Unicam salutis spem fuga suppeditabit, non tamen satis auxilii subministratura: Innocentium Deus misereatur, ac ipsis viam ostendat, per quam elabi possint. Sed dicat hic forsan impius aliquis: Mente captus est proculdubio GLAUBERUS, qui tot absurdis nugis & ineptiis hominum animos occupare studet. Huic respondeo, Nugas, & ineptias nullas à me proponi, & quas illi nugas, & ineptias esse putant, easdem tandem cum sum-

ſummo ipſorum damno veriſſimas inventum iri. Quod mundus perverſus in ſtultorum numero me reponat, ne gry quidem facio, mea ſorte contentus, & in eo acquieſcens, quod veritas apud ſolum Deum, & non apud inſanum, ac ſtultum mundum, cujus ego ſapientiam ſuſque deque habendam cenſeo, ſedem & locum ſuum habeat. Hiſce præfationem hanc finio, ſubmiſſè orans, ne quis admonitionem hanc meam, à juſto zelo profectam, in ſequiorem partem interpretetur.



PHAR-

PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ

Quinta Pars,

Quæstionibus, & Responsionibus proposita.

I. *QUÆSTIO.*

AN in Rerum naturâ fieri possit, ut Tinctura ejusmodi, aut Medicamentum ita Universale parari possit, ut ejus ope tàm Humana, quàm Metallica Corpora ad altiorem, meliorem, & nobiliorem gradum, aut essentiam promoveantur?

Responsio.

DE eo planè dubitandum non esse, juxta cum tot ac tantorum Virorum, qui scriptis suis in lucem editis, se illud confecisse fatentur, authoritate, ipsa quotidiana experientia, omñi dubio carentem veritatem demonstrans, jubet, ac postulat.

II. *Quæ-*

II. *Quæstio.*

SI vera ſunt, quæ tot illuminati Philoſophi, de hac Medicinâ Univerſali, literis prodiderunt, qui fit, cum totum ferè Mundum ejus inquiſitio occupatum teneat, ut ex tot millibus, vix unus ejuſdem compos fiat, & maxima inquirentium pars bonorum ſuorum jacturam faciat?

Reſponſio.

QUod quamplurimorum mortalium, tanto theſauro inhiantium, conatus ſint irriti, non ars culpam ſuſtinet, ſed his ipſis culpa eſt imputanda, qui ab injuſto ſuo propoſito, & inſatiabili avaritiâ impelluntur ad inveſtigationem doni tam divini, cujus auxilio ingentes divitias corradere, magnoſque honores ſibi conciliare ſtudent, haud cogitantes, quod dona ſua Deus ſemper iis largitus ſit, & adhuc largiatur, qui humiles, integri, ac ſinceri, non modò precibus aſſiduis eadem petunt, verum etiam indeſinentibus laboribus quærunt. Teſtatur hoc expreſſis verbis ipſe Apoſtolus, dicens, Non eſt volentis, aut currentis, ſed Dei miſerentis; cui tamen fidem non adhibet pluſquam Cimmeriis tenebris immerſus mundus, qui nullum alium ſcopum ſibi proponit, quàm ut auro & argento

ſuo

ſuo per fas, ac nefas corraſo, tantum theſaurum, Deo quaſi ex manibus extorqueat, eoque acquiſito malitiæ, ſuperbiæ, & impietati ſuæ majora incrementa ſuppeditet, hoc pacto omnis malitiæ Patri Diabolo, in hâc vitâ, magis appropinquaturus, & tandem planè ſimilis futurus. Atquæ hæc prima & præcipua cauſa eſt, cur quamplurimi, hujus tanti theſauri inveſtigatione occupati, & opum, & laborum ſuorum jacturam faciant.

III. *Quæſtio.*

ANnon alia plura impedimenta ſe offerunt, quæ aditu ad tanti medicamenti cognitionem, pios, & coràm Deo ac hominibus integram vitam ducentes, prohibeant?

Reſponſio.

IMò quamplurima, aut ferè etiam innumerabilia impedimenta ſe objiciunt, quæ piis quoque hominibus aditum ad tantum opus occludunt, licet illud optimo propoſito aggrediantur, aſſiduis precibus à Deo petant, diligentiſſimâ meditatione perſcrutentur, & continuis laboribus inquirant.

IV. *Quæ-*

IV. *Quæstio.*

Quænam igitur ſunt impedimenta illa?

Reſponſio.

UT omnia illa impedimenta ſigillatim enumerentur, eorumque quodvis adeò clarè oculis ſubjiciatur, ut unuſquiſque intelligere, ac percipere queat, in præſentiâ fieri nequit, neque etiam neceſſarium eſt, ut omnia innoteſcant, non ſolum magno alicui libro inſcribenda, verum etiam Lectorem tædiosâ lectione oneratura, tantum abeſt, ut ipſum ad tanti operis cognitionem acquirendam inflammare poſſent. Ut tamen unius aut alterius cupiditati aliquo modo ſatis fiat, ex impedimentis illis nonnulla, & quidem præcipua recenſebo, ex quorum cognitione unicuique innoteſcent cauſæ, quæ pios etiam à tanti arcani notitiâ arcere ſolent. Primò enim multi ſunt, quibus ad hoc opus inchoandum, & perficiendum, neceſſario requiſita media non ſuppetunt, licet ingenio polleant, naturam, ejuſque miracula perquirendi cupiditate inflammati ſint, ac improbos labores, ad Chymicas operationes neceſſarios, neutiquam perhorreſcant. Cum igitur animi candor, & integritas ſingularis, homines ejuſmodi candidos, & ſinceros, ad honeſtatis ſtudium

dium & cultum impellat, impiorum, ac fallacium impoſtorum, circumforaneorum, & calumniatorum more huic aut illi, præter aurum, nil aliud expetenti avaro, ſe non obtrudunt, ut ipſum Lapidis Philoſophici confectionem, cujus notitia ipſimet deſtituti ſunt, edoceat, ſed à leviſſimo hoc conſortio, ut & contemptiſſimo Aurificum nomine abhorrentes domi deſidere, & paucis iis, quibus divinâ largitione frui ipſis licet, contenti eſſe, quàm in principum, & magnatum aulis, verſutiâ vulpinâ cuivis placere, caput in alterutram ſcapularum inclinare, foroque uti, malunt. Hoc primum eſt impedimentum, quod haud paucos bonos, à tanti theſauri poſſeſſione arcet.

Porrò plurimi reperiuntur, qui obiter, ac perfunctoriè ſcripta Philoſophorum percurrentes, ac rem ipſam nec ſeriò meditantes, nec intellectu ſuo percipientes, grandis ſapientiæ ſe poſſeſſores eſſe arbitrantur, ac firmiter ſibi perſuadent, ſi literis leviter tincti, ac unius aut alterius linguæ cognitionem aliquam conſecuti, Anagrammate aliquo, in Magnatum auribus ſuaviter tinniente, ipſorum animos deliniverint, & ipſos argento emunxerint; fieri non poſſe, ut tàm profundam ſuam eruditionem tanti Myſterii perſcrutatio latere, aut eludere queat. Verùm toto cœlo errant, probè noti, & cogniti Deo, qui ſuperbis ejuſmodi ſannionibus, & veritatis contemptoribus invidis, ſuam

benedictionem subtrahit, sine ope divinâ tam diu in voluptatibus aulicis fluctuantibus, donec ab uno credulo decepto, ad alios deceptos devoluti, tandem crassam suam ignorantiam, pessimasque technas, detestandæ garrulitati involutas, ipsi patefaciant, & vanissimas suas aureorum montium pollicitationes, irrito exitu, prostituant. Hinc lapidis conficiendi, cui superbiæ suæ augendæ, & veritatis facilius opprimendæ causâ, tantoperè inhiant, spe cum fumo evanescente, omni suâ fide, & boni nominis famâ excidunt, ac neminem adeò credulum amplius inveniunt, qui ipsorum vanissimis pollicitis se deliniri patiatur. Hoc alterum genus est eorum, qui irritos labores tanto Operi impendunt, malitiam suam eo augentes, quod alienas opes dilapidando, etiam nimis credulos decipiant, & secum in perniciem trahant.

Accedit his tertium genus errantium, & vanis laboribus seipsos decipientium, qui nimis creduli, & simplices, quando forte fortuna Chymicorum aliquorum scripta nacti comperiunt, quantos thesauros Chymicis laboribus consequi liceat, mox Auri pruritu laborant, ac tantarum divitiarum cupiditate inflammati, ad eorum lectionem illotis manibus accedunt, in laborando nudam literam sequentes. Unde fit, cum ipsis imperitis, & ignaris cuncta sint obscura, atque incognita, ipsumque lumen Naturæ non affulgeat, ut à vero scopo aberrantes,

tes, vanorum laborum irritis conatibus ſe immergant.

Sunt, qui ignis tractandi aliquam cognitionem quidem habent, ac diligenti lectione Philoſophorum ſcripta pervolvunt, ſed eorundem tamen lectione confunduntur, dum perſcrutari nequeunt verum Ignem, & veram Materiam Lapidis, de quibus Philoſophi tàm obſcurè, & tàm variè ſcribunt. Hi enim ex fixo Auro & Argento, non autem ex aliis immaturis, & volatilibus Mineralibus Philoſophorum Lapidem conficiendum docent, cum nihil aliud metatur, quam illud, quod ſeminatum fuerit. Alii contrarium ſtatuunt, nimirum ex fixo Auro & Argento aliquid melius confici non poſſe, cum à Natura ad eam perfectionem deducta ſint, ut in Primam Materiam reduci nequeant, ex quâ tamen Univerſalem Medicinam, & non ex fixo Auro & Argento, conficiendam aſſerunt. Idcirco fixo Auro & Argento rejectis, eorum Prima Entia, adhuc volatilia, Lapidis Philoſophici veram Materiam Primam eſſe contendunt, quippe adhuc immatura, ut ajunt, ac tenera, atque apta, ex quibus conficiantur ea, quorum conficiendorum deſiderio tenemur, id quod ex fixis iſtis duobus corporibus fieri neutiquam poſſe ſtatuunt.

Ad hanc confuſionem haud parum adjumenti confert inſignis copia, & varietas nominum, quibus Lapidis Philoſophici Materia inſignitur.

Hic in Vitriolo, ille in Mercurio, quidam in Saturno, alius in Magnesia illam investigare jubet. Atque ita variis atque innumerabilibus nominibus notatur Materia illa, adeò ut fieri non possit, quin harum rerum rudis & ignarus in varias dubitationum perplexitates conjiciatur, penitus ignorans, an Philosophi Vulgare, an verò ex fixis Metallis extractum Vitriolum intelligant, præsertim cum passim innuant, Aurum, Mercurium, & Saturnum suum non esse vulgaria illa Auri, Argenti Vivi, & Plumbi Metalla. Quis igitur adeò prudens, & sapiens esset, ut se ex tot, ac tam confusis, ac impeditis hujus Labyrinthi circuitibus expediret? Hinc etiam doctissimi, & diligentissimi scrutatores tot erroribus implicati, nullâ unquam ratione se ipsos explicare, & expedire potuerunt. Nec minus incommodi adhæc accedit ex inconstantia laborantium, qui licet Materiam haberent, tamen eam, ob inconstantiam suam non perficerent. Si enim è vestigio lapis non prodit, voti ipsos compotes faciens, libris in terram projectis, ac conculcatis, Authores maledictis, & imprecationibus incessunt, eos doli mali accusantes, quod non satis clarè scripserint, ut unusquisque uno actu & ictu tantam artem percipere, ac sine omni labore tanti thesauri compos fieri posset.

Adeo nasutos etiam invenias nonnullos, ut ipsis verisimile non fiat, tam divinum donum

ex

ex abjectis, vilibus, ac nullius precii rebus parari posse, cum tamen ut plurimum omne bonum abejectum & non pretiosum esse soleat, *Sendivogio* teste, qui se haud paucis, ab initio usque ad finem totum opus enarrasse dicit, illud tamen, ob vilitatem suam, parvi momenti censentibus, & nihil inde boni posse proficisci credentibus. Haud raro quoque usu venire solet, ut etiam ex iis, qui legendo, & investigando ad veræ Materiæ cognitionem pervenerunt, non pauci vero Igne, veræ illi Materiæ Tincturam conciliante, destituantur, ac ideo sui voti compotes fieri nequeant. Infinitus est numerus talium, ac similium obstaculorum, quæ hujus Operis Magni cupidos scrutatores impediunt, ac remorantur: Multi enim quærunt, sed pauci inveniunt.

V. *Quæstio.*

NUm igitur Philosophi adeo discordes sunt, ut unus ex hâc, alius ex aliâ Materiâ Universale illud Medicamentum paraverit?

Responsio.

IMò non solum quoad externam literam, sed etiam in suis opinionibus Materiam ipsam concernentibus, admodum variare, & inter se diffidere videntur, sed in fundamento ipsam

veritatem ſpectante, ad unum omnes conſpirant, licet unus ex hâc, alius ex aliâ Materia Univerſale ſuum pararit, ac poſt opus abſolutum, operationem ſuo modo deſcripſerit.

VI. *Quæſtio.*

NUm plures unâ ſunt Univerſales Materiæ, ex quibus Tinctura Univerſalis paratur?

Reſponſio.

QUantum quidem ex Veterum, atque Recentium Philoſophorum Scriptis colligere licet, non ſolum diverſis Materiis, ſed etiam diſſimilibus operandi modis in Tincturis ſuis præparandis uſi ſunt. Tincturâ autem acquiſitâ quiſquis Univerſalem Medicinam habuit, eâdem contentus, licet una alteram virtute & efficaciâ ſuperaverit.

VII. *Quæſtio.*

QUænam ex Metallis, aut Mineralibus pro verâ Lapidis Materiâ habentur?

Reſponſio.

SI literalis ſenſus ſolus ſpectandus eſſet, Philoſophi non ſolum ex omnibus Metallis, ſed etiam

etiam ex ipſis Mineralibus , Tincturam ſuam parandi modum ſciviſſe videntur, quandoquidem Materiæ ſuæ tot nomina impoſuerunt, eam modò Aurum, modò Argentum, aut Martem, aut Saturnum, imò etiam Magneſiam, Arſenicum, Sulphur, Fuliginem, Urinam, Sanguinem, Sperma, Menſtruum, & neſcio quibus aliis nominibus abſurdis, appellantes, quæ inveſtigatores imperitos in varios errores ſeduxerunt, ut inutilibus Materiis labores ſuos impendentes, opes conſumpſerint, & oleum atque operam perdiderint.

VIII. *Quæſtio.*

ANnon ex fixo Auro & Argento, æquè ac ex cæteris imperfectis Metallis, & immaturis, & volatilibus Mineralibus Tinctura extrahi poſſet, quandoquidem Philoſophi dicunt, quod omnia Mineralia & Metalla ex unâ eademque radice originem ſuam ducant, atque in intimâ ſuâ eſſentiâ conveniant, ſolâ puritate, aut impuritate, fixitate, & volatilitate inter ſe diſcrepantia. Si igitur purum ab impuro, nucleus à cortice ſeparetur, ſeparata illa imperfectorum Metallorum puritas idem dabit, quod puriſſimum Aurum, & Argentum exhibebunt. Imo ſi neceſſarium foret, facilè demonſtrari poſſet, Veram Tincturam, tàm Metallicis, quàm Humanis corporibus ſalubrem, non ſolum ex quo-

vis Metallo, & Minerali, ſed etiam ex ipſis Vegetabilibus, & Animalibus parari poſſe, ratione ſui Sulphuris, qui eſt Pater & origo omnium Metallorum.

Reſponſio.

SEd quid opus eſt, in longè remotis ea quærere, quæ in propinquis ſe offerunt? Prudenter idcircò Philoſophi omnia Vegetabilia, Animalia, & ad Univerſalem Tincturam cæteras res inutiles repudiaverunt, & expreſſè monuerunt, ea ſeminanda eſſe, quorum quis meſſem facere deſiderat; & ei, qui talibus operationibus laborem ſuum impendere cogitat, ab iis incipiendnm eſſe, quæ Natura reliquit, & ad majorem perfectionem promovere non potuit. Quid autem aliud Artifices, quàm Aurum & Argentum quærunt? quorum ſemina adhibenda, aut quæ ſeminanda eſſe, ipſorum ſeriæ admonitiones innuunt, ſi Aurum & Argentum multiplici argumento exaltata metere quis voluerit.

IX. *Quæſtio.*

QUandoquidem igitur cum his laboribus ita comparatum eſt, ut ea multiplicata metantur, quæ ſeminata ſunt, cur non nobiliſſimum ſemen Auri ſolius ſeminatur? Quid opus eſt

eſt ipſi Argentum adjungere, in quo nullum colorem ſpecies externa conſpiciendum exhibet.

Reſponſio.

Licet, quoad externam ſpeciem, nullus in Argento color appareat, certum tamen eſt, multum coloris in ipſo latere, qui tamen prius non patefit, quàm illud veræ Artis Chymicæ operâ recluſum, converſum, & externus ejus albor reconditus, ac internus rubor in apertum productus fuerit. Vera enim Tinctura ad Metallorum tranſmutationem neceſſaria, ex ſolo Auro, ſine Argenti additione, nunquam profectò parari poteſt. Argentum quippe Matrix eſt Auri, in quâ hoc, tanquam ſemen maſculinum, germinat, creſcit, coloremque ſuum multiplicat.

X. *Quæſtio.*

Mirum hoc cuique videtur, in Argento albo rubrum quoque colorem latere, quandoquidem haud pauci opinantur, quod Aurum ipſum plus coloris non contineat, quàm quidem ipſum indiget: Quo pacto igitur hoc intelligendum eſt?

Responsio.

EXternæ speciei hîc nulla ratio habenda est, sed ejus quod in occulto latet. Interna seminis alicujus penetralia oculis non subjecta sunt. Exemplo rem declarabimus. Vegetabile aliquod Semen, nullam colorum varietatem conspiciendam præbet. Hoc terræ matrici suæ, mandatum primò viridia germina, post caules, ac folia emittit, quibus pulcherrimis coloribus tincti flores succedunt, tandem locum cedentes seminibus incredibili multiplicatione erumpentibus, quæ omnia in ipso semine conspicua non fuêre.

Sit itidem exemplo avis alicujus ovum, in quo avem tàm diversis ac multis membris constantem, & tàm variis, iisque pulcherrimis plumis exornatam, prius nemo conspiciet, quàm ovo externi caloris operâ maturato, ipsa exclusa fuerit,

X I. *Quæstio.*

VEgetabilis seminis, ut & Avis similitudo hæc haud parum mentem meam illuminat, credendique ansam præbet mihi, ideò firmiter credenti, non solum in fulvo Auro, sed etiam in ipso albo Argento abundantem colorem occuli, adeò ut firmiter mihi persuadeam, quod ex Auro & Ar-

& Argento conſtans, & ſumma Tinctura negotio facili parari queat: ſed ex imperfectis Metallis & Immaturis Mineralibus, licet etiam ſummos colores intimis ſuis penetralibus occultent, propter imperfectionem & immaturitatem, quá laborant, ægrè admodum, ac difficulter in igne permanens Tinctura confici poſſit.

Reſponſio.

A Veritate ſententia tua non abludit. Quanquam enim minora Metalla, ut & ipſa Mineralia ſummos viſceribus ſuis colores occultant, atque illi ipſi colores, ab inutilibus ſuis corporibus, facili labore, ſegregari poſſunt, longum tamen temporis ſpacium, ingentes ſumptus, ac improbi labores ad ejuſmodi operationes requiruntur, nimirum, ut tales Tincturæ volatiles, communi lignorum, & carbonum igne, conſtantes, permanentes, & fixæ reddantur. Sed qui Philoſophorum ignem arcanum novit, facili negotio Tincturis ejuſmodi conſtantiam in igne requiſitam conciliabit, quod aliàs communi illo & noto igne difficulter admodum, aut omninò effectui nunquam dabit. Exemplo tibi ſit aqua communis, aut vulgaris, quæ ſemper aqua manebit, & nunquam idcircò, ab igne lignorum aut carbonum, in lapideam, aut metallicam naturam redigetur. Nam ad illud res reduci poteſt, quod antea fuit:

Lapis

Lapis aliquis durus in aquam puram mutatus, ex illâ ipsâ aquâ, vulgaris ignis adjumento, in puriorem lapidem reducetur, id quod de Metallo quoque uſu venit, ſi eadem operatione tractetur. Quod autem vulgaris aqua quævis, aut quivis Lapis in Metallum mutari poſſit, equidem non contradico, ſed non vulgaris, verum Arcani Sapientum Ignis adminiculo illud fieri ajo, à quo etiam Aquæ in terrâ in Metalla mutari ſolent, quandoquidem omnia Metalla, & omnes Lapides ex aqua originem ſuam ducunt, & in principio aqua fuerunt. Quicunque igitur Arcanum hunc Ignem, quem Philoſophi omnes ſummo ſemper ſtudio celaverunt, probè perſpectum, atque cognitum habet, illi licet cuncta Prima Auri, & Argenti Entia, utpote Sulphur Vulgare, Mercurium, Antimonium, Arſenicum, Auripigmentum, Koboltum, atque alia ejus generis aggredi, ut ea in albas & rubras Tincturas tranſmutet. Sin verò ejuſdem nullam omninò cognitionem habuerit, in nomine Domini fixo Auro, & Argento adhæreat, eademque volatilia reddita in aquam, hanc ipſam verò aquam rurſus in fixum Lapidem convertat, quod ſi fecerit, proximam viam ingreſſus, ejus compos fiet, cui inveſtigando operam ſuam impendit.

XII. *Quæstio.*

SI hæc Tincturam Philoſophicam, ex notis illis Metallis, fixo nimirum ☉ & ☽, acquirendi compendioſiſſima eſt via, cur Philoſophorum nonnulli tradunt, ſuum ☉ & ☽ non eſſe vulgare illud, & omnibus notum ☉ & ☽, & pauperes juxtà cum divitibus illud ſuum ☉ & ☽ habere, ac facili negotio ex illo ſuo ☉ & ☽, Tincturam ipſam parari poſſe, adeò ut omnes ii toto cœlo errent, qui illius Medicinæ ſummæ quærendæ causâ in vulgari Auro & Argento deſudant?

Reſponſio.

HOs Philoſophos, qui vulgare, & notum Aurum, atque Argentum repudiarunt, Tincturam ex ipſis confici poſſe, omninò latuit, qui ſi illud cognitum, & perſpectum habuiſſent, tale quid ſcriptis ſuis tàm audacter non affirmaſſent. Quia enim ipſi ſola illa, ex volatilibus Mineralibus, Tincturam conficiendi ratio nota, & illa, ex fixo Auro atque Argento, ignota fuit, nullius alius, quàm ſuæ illius mentionem facere potuerunt, cum tamen è contrario haud pauci Philoſophi occurrant, qui vulgare Aurum & Argentum commendant, & omnia reliqua Mineralia rejiciunt.

Eorum

Eorum etiam non exiguus eſt numerus, qui ex imperfectioribus Metallis, & volatilibus Mineralibus confici poſſe Tincturam fatentur, ita tamen, ut unum ſubjectum altero longè facilius, celerius, àc melius operationi ſe ſubjiciat. Nemo hominum cuncta cognita, & perſpecta ſimul habere poteſt, adeò ut longè ſatius foret, omiſſis incognitis, ea tantum judicare, quæ cognita ſunt, ut hoc pacto tot ſcriptis, ſe mutuo oppugnantibus, Mundus non repleretur. Sunt qui ſibi perſuadent, quando per ambages tandem ad optatum locum perveniunt, nullam certiorem, & compendioſiorem viam eſſe illâ, quâ ipſi in itinere ſuo faciendo uſi ſunt. Hinc tot intricatis opinionibus involuta ſunt Scripta Philoſophorum, ex quibus ſe nemo expediet, niſi totius Naturæ cognitio ipſi pateat: Qui cum pauciſſimi ſint, quamplurimos errare, & paucos admodum veritatis ipſius compotes fieri neceſſe eſt.

XIII. *Quæſtio.*

QUid igitur nobis ſcitu neceſſarium eſt, aut quibus rebus inſtructi ſimus oportet, quando ad tanti Arcani inveſtigationem animum appellimus?

Reſpon-

Responsio.

QUandoquidem non hominum, sed Dei donum est Medicina Universalis, par est, ut eadem non ab hominibus, sed à solo Deo petatur, qui pio homini unâ nocte, & quidem per somnium, ea revelare potest, quæ toto vitæ suæ spacio, multorum intricatorum librorum lectione, non consequetur. Docet id *David* his verbis: *Frustra tempore matutino surgitis, ac curis onerati cubitum vos confertis: Deus enim sua dona in somno largitur iis, quos diligit.*

XIV. *Quæstio.*

QUo pacto donum tàm divinum à Deo impetratur?

Responsio.

ASsiduis precibus, quibus assiduus & impiger labor accedat oportet. Preces enim solæ non sufficiunt, si bonorum librorum lectio, assiduique labores ipsi non adjungantur. Deus bona sua seriis precibus, & laboribus continuis, mortalibus vendit.

XV. *Quæstio.*

NUm igitur, ad tantum donum à Deo impetrandum, ſine ullo diſcrimine, omnes homines apti ſunt, an verò tantum Arcanum peculiares homines poſtulat, ut non unuſquiſque ad illud idoneus ſit?

Reſponſio.

NOn unuſquiſque profectò aptus & dignus eſt, qui illius compos fiat. Si enim cuivis concederetur, tanti momenti Ars æquè vulgaris ac piſtoria, & cereviſiaria evaderet, quod contrà voluntatem Dei, qui non vult, ut juxtà cum vaccâ, æquè longam caudam habeat capra, ſibi ipſi ſuperbiâ elatæ oculos eadem aliàs excuſſura. Deus probè novit, quando, & ubi dare debeat, & quis tanta dona meritus ſit. Hoc extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, à Deo ſuperbos nunquam quid boni impetraturos eſſe.

Idcirco unuſquiſque, qui magnarum rerum deſiderio tenetur, ſeipſum excutiat oportet, an ſincero corde Deo ſuo ſerviat, ac eam ob cauſam prius ſe probè exanimet neceſſe eſt, quam tanti Arcani labores aggrediatur, ne ipſi uſu veniat, quod ambitioſo, & ſuperbo illi convivæ accidit, qui, ut *Chriſtus* docet, in convivio primum

mum locum, quo non dignus erat, occupavit, ac poſtea, ſummâ cum ignominiâ, ſe digniori, & honeſtiori eundem concedere coactus eſt.

XVI. *Quæſtio.*

QUalis ille eſſe debet, qui tantum Arcanum à Deo precibus impetrare, & laboribus ſuis ad finem perducere deſiderat?

Reſponſio.

PRimò tanti momenti Arcanum requirit hominem liberum, nemini alii devinctum, ac nullis aliis negotiis humanis implicatum, ut in quiete & ſilentio conſtitutus, Dei benedictionem aſſiduis precibus impetrare, indeſinenti bonorum authorum lectioni vacare, laboribuſque requiſitis omne tempus impendere queat. Deinde talis homo præditus pietate ſit oportet, ut & liberalis, ac ad opem pauperibus ferendam pronus: taciturnitatis item ſtudioſus, & bonâ ac ſanâ mente pollens, temperantiæque & ſobrietati deditus. Circumforaneorum more modo huic, modo illi ſe non inſinuet, credulus nimis fidem cuique non adhibeat, proprio commodo non ſtudeat, nec ad avaritiam proclivis cuncta ad ſe rapiat. Inconſtanti animo non vagetur, ſed patiente & conſtante ingenio finem expectet, cujus deſiderio tenetur, ideoque non

ſtatim ira excandeſcat, aut tædio aliquo afficiatur, ſi quæ uſu ipſi venerint, quæ voto ipſius ſtatim non reſpondeant. Scopus ipſi propoſitus ſit, non magnos in mundo honores conſequi, & potentiam atque authoritatem ſibi conciliare, ſed potius Dei honorem quærere, atque pauperibus ægris opem ferre. Præterea mediis neceſſariis inſtructus ſit, ne carbonum, materiarum, aliorumque labores ſuos requiſitorum percuriâ, opus inceptum deſerere cogatur. Cumprimis verò Deum ſemper antè oculos habeat, ab eo ſolo felicem ſucceſſum expectet, propriæ ſuæ ſapientiæ nihil tribuat, aſſiduè precetur, indeſinenter laboret, ac exitum patienti animo à Deo expectet.

Ut paucis dicam, tanti Arcani ſtudioſus ita vitam ſuam tranſigere debet, ut neque in Dei, neque hominum reprenſionem incurrat.

XVII. *Quæſtio.*

VTra harum viarum, quæ ad conſequendum divinum hoc donum ducunt, eſt tutiſſima, & facillima? Eane, quæ vulgari ☉ & ☽. utitur? an verò illa, quæ ignotum, & adhuc volatile Aurum Philoſophorum adhibet?

Reſpon-

Responsio.

VTramque bonam esse, & ad optatum finem perducere scias, si modo rectè & ordine, secundum artem adhibeantur.

XVIII. *Quæstio.*

QUo pacto imperitus tyro, & tantæ Artis ignarus discipulus rectam viam ingredietur, ac non errabit, quando non habet, à quo quasi manu ducatur?

Responsio.

QUis cæteris, qui ante nos fuerunt, viam monstravit? Annon, paucis exceptis, qui se à bonis amicis Artem didicisse fatentur, cæteri omnes ex Veterum libris, & revelatione divinâ eandem discere coacti sunt.

XIX. *Quæstio.*

VBi reperiuntur tàm boni, ac benevoli amici, qui imperito, ac ignaro alicui viam monstrarent.

Responsio.

TAles admodum rari sunt, qui etiam causas suas habent, ut in revelandis ejusmodi Arcanis circumspectè ac prudenter agant. Fronti hominis inscriptum non est, num bonus, an malus sit. Vix exemplum aliquod occurrit, quo constet, Patrem, antè obitum suum, filio tantum Arcanum patefecisse: Imò si quid de eo scriptum parentes liberis, post mortem, reliquerunt, tàm intricatum tamen fuit, ut sine divinâ revelatione nihil efficere potuerint. Hinc diversis ab opere desistendum fuit, posteà in lucem edentibus scripta à parentibus relicta, quæ intellectu æquè difficilia fuerunt, ac illa reliquorum authorum, qui non liberorum, sed omnium aliorum causâ, quæ scripserunt, in lucem ediderunt.

XX. *Quæstio.*

TAm intricata, & obscura scripta cui usui sunt? Annon satius fuisset, ut nihil omninò scripsissent? Si modo veram Materiam palàm fecissent, plus lucis quærentibus affulsisset, qui eo facilius veritatem percipere potuissent.

Respon-

Responsio.

Satius certè non fuisset, si rem tantam silentio præteriissent. Unde nobis posteris innotuisset, quod tam excellens Medicamentum in rerum natura existat? Quæ scripserunt, ea nobis omnem dubitandi scrupulum eximunt, ac fidem faciunt, tale Medicamen Universale fuisse, esse, & confici posse, si Deus permittat. Quod unanimi consensu Lapidis Materiam non patefecerint, inde profectum est, quod unus hanc, alius aliam materiam, ad universalem suam Tincturam conficiendam adhibuerit, atque ita eam conficiendi rationem suam suo modo descripserit. Hinc unus hunc modum tradidit, alius vero, qui aliâ viâ progressus est, similem priori rationem conscribere non potuit, sed illam tantum innuit, quâ ipse usus est. Maxima discrepantia ipsam solam Lapidis Materiam concernit. Una pars vulgare, & fixum ☉, & ☽. Lapidis Materiam esse ait, ac cætera omnia subjecta removet.

Altera, ☉ atque ☽. vulgaribus, tanquam ad Lapidis Materiam inutilibus, penitus remotis, volatile, & immaturum ☉, ejusdem Materiam esse affirmat. In ipsâ porrò Lapidem conficiendi ratione Philosophi mentionem faciunt siccæ, & humidæ, longæ & brevis viæ, & communis, atque arcani Ignis, quibus in maturandis suis Tin-

ćturis uſi ſunt. Hinc neceſſarium fuit, ut tam diſſimilia, dubia, & inter ſe pugnantia ſcripta in lucem ediderint, quæ veritatis inveſtigationem adeò difficilem, atque intricatam reddiderunt, Artiſque ſtudioſos in tot errores, atque irritos labores abduxerunt. Vulgaris Ignis, volatile ☉ maturandi, ac in Tincturam redigendi viribus caret, quod arcanus ille Ignis, aſſiduè flammâ ſuâ in vitro apud Materiam Lapidis ardens, præſtare poteſt. Vulgari autem Igni accedat oportet humidus Ignis, qui à carbonum Igne incenſus, & efficax redditus, fixum Aurum, & Argentum radicaliter conjungit, ad volatilitatem adducit, ac rurſus conſtantia in igne reddit. Hæc via, judicio meo, eſt omnium breviſſima, facillima, & tutiſſima, quippe tridui ſpacio fixum ☉ & ☽ ſpirituale, ac volatile reddens, & in ☿ Philoſophorum mutans, qui Mercurius Philoſophorum albus poſtea unius diei ſpacio, in nigrum Plumbum Sapientum abit, ſi exiguus Ignis ipſi admoveatur. Hoc Plumbum requiſito ſuo vitro impoſitum, vulgaris Ignis ope, poſt colorum transmutationes, in conſtantem Tincturam redigi poteſt.

Quamvis autem maturum, & fixum ☉ pluris conſtet, ac pretio ſuo immaturum longè ſuperet, magni tamen non refert, cum ad opus hoc perficiendum non libræ Auri, ſed dimidia tantum, aut una, vel altera uncia adhiberi poſſit, ut eò citius operatio finiatur. Nec tantâ etiam

Auri

Auri copiâ indiget is, qui, ubi ſemel tantum dimidiam unciam ad perfectionem debitam promoverit, nullo amplius ☉ eget, ut operationem, majori copiâ Auri adhibendâ, de novo repetat. E contrario immaturi Auri, per Arcanum Ignem, maturatio, licet tot ſumptus, quàm vulgare ☉, non poſtulet, plus tamen temporis ad perfectio. em ſuam requirit. Accedit, quod humida via ſemper majori periculo expoſita, etjam longiore temporis morâ perfectionem ſperatam adducat. In cujuſvis arbitrio igitur, ac voluntate libera poſitum eſt, utram harum viarum eligere velit, ſi modo cautè & prudenter progrediatur. Ac ſi unâ aut alterâ vice errorem aliquem forſan committeret, tanti tamen errores non erunt, ſi tandem ad optatum finem perveniens, ſementis ſuæ factæ fructus multiplices metere poſſit. Hanc meam de Univerſali Medicinâ ſententiam, nemini tamen aliquid præſcribentem, ac cuique judicium ſuum ſalvum permittentem, Hermetis Diſcipulis impertire volui, ac debui.

Intereà unumquemque monitum volo, ut non inconſultò, ac temere tanti momenti rem aggrediatur, ſed prius accurata mentis lance perpendat, quid fieri, aut non fieri poſſit, ne irriti laboris ipſum tandem pœniteat, & tædeat. Tam exigui enim momenti res non eſt, Tincturam Philoſophorum veram parare, nec cuivis etiam homini datum eſt, ut tàm ma-

gni operis cognitione, & possessione particeps evadat.

XXI. *Quæstio.*

ANnon consultum esset, ut duo aut tres amici operas suas conjungerent, mutuis laboribus, & sumptibus sibi invicem opem ferentes, & molestias levantes, quæ uni soli exhauriendæ sunt? Aut si quis solus tantam rem aggredi malit, annon ipsi consultius foret, ut sibi fidum aliquem, & diligentem operatorem adsciſceret, cujus adjumento in laboribus suis promovendis uteretur?

Responsio.

NEutrum alicui consulerem, ut faceret. Cum aliis tanti momenti opus aggredi communibus sumptibus, & laboribus suscipiendum, ac perficiendum, res est haud exiguo periculo obnoxia, ac successu sperato ut plurimum destituta, propter diversissimas hominum opiniones, de quibus recte Comicus, Quot capita, inquit, tot sententiæ; suus cuique mos est. Uno hoc desiderante, altero verò illud volente, nil nisi confusæ actiones, & operationes oriuntur, quæ totum opus non promovent, sed remorantur, atque pessundant. Plures ac dissentientes architecti nunquam ædificium con-

conſtruunt, quod debito ædificationis modo reſpondeat. Idcirco longè ſatius eſt, ut unuſquiſque ſolus ſe operi ſuſcipiendo accingat, in ſilentio quietus eidem vacet, ac ſolius Dei auxilium invocet, relictis hominibus, apud quos fides, & amor, Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cygno; imò Fratrum quoque gratia rara eſt, ac, quod peſſimum, inter ipſos parentes & liberos haud infrequenter dilectionis vinculum diruptum jacet. Docet idem aurei Alphabeti principium dicens: Deo ſoli confidito, atque in eo ſpem tuam ponito; Humanis promiſſis fidem nullam habeto: Deus ſolus fidem ſervat; In mundo fides exulat. Quid rerum in aulis Magnatum geratur, in propatulo eſt: Duo tres, quatuor, aut plures Operarii Chymici, ibi lapidis fabricandi & cudendi laboribus occupati, nil minus quam lapidem quærunt, non ſolum propter ignorantiam ſuam parum, imò nihil efficientes, verum etiam nil prius & antiquius habentes, quàm ut holoſericis ſuis tunicis induti in gynecæo ſuperbiant, & menſis variorum ferculorum, & generoſorum vinorum ac potuum copia oneratis aſſidentes, ventres ſuos saburrent, ac farciant, id quod experientia quotidiana apertè teſtatur.

Operatorem aliquem ſibi adſciſcere adhuc majori periculo ſubjectum eſt, quàm communibus ſumptibus & laboribus conjunctâ ſocietate tantum opus aggredi. Nam cum nullius ho-

minis cor inſpicere queas, ut cognoſcas, quid monſtri alat, & quid boni, aut mali, cordis ſui penetralibus occulat, de ipſius taciturnitate, ac fidelitate nil certi tibi polliceri poteris, inſcius planè, atque ideò ignarus, an fidelis & taciturnus futurus ſit. Vulgares quidem labores ejuſmodi hominibus abſque damno committi poſſunt: Magna Arcana ipſis concredi ſine jactura nequeunt. Raró quippe ſervum tàm fidelem invenias, qui, poſtquam ad unius, aut alterius alicujus ſecreti, etiam exigui, cognitionem clàm pervenit, ſibi mox non perſuadeat, ſe artificem jam ſatis peritum, nullius alius artifices inſtitutione, & manuductione amplius indigere. Perſuaſione hac malâ ſeducti homines ejuſmodi perverſi, mox clàm ſe ſubducere ſolent, aut ſi adhuc diutius apud magiſtrum ſuum commorantur, adeò contumaces, & immorigeros ſe præbent, ut ea, quæ ipſis conficienda traduntur, corrumpant, eo tantum fine, ut dimiſſionem magiſtro ſuo extorqueant. Si ipſis igitur indulgere, ac permittere nolueris, ut, quæ ſub manibus habes, tàm petulantibus laboribus corrumpant, ac peſſundent, ingratiſſimos, & beneficiorum acceptorum planè immemores, dimittere cogeris, dimiſſione honeſtâ tamen non acquieſcentes, ſed plurimis maledictis paſſim bonam tuam famam rodentes, utpote qui eâ opinione jam imbuti ſunt, quod te magiſtrum ſuum ſapientiâ, peritiâ, & cognitione longè anteeant.

Sed

Sed apud alios pollicitis grandibus ſeductos opus aliquod aggreſſi, cum ex laboribus ſuis irritis animadvertunt, promiſſis tàm largis exitum non reſpondere, tandem ſe magiſtrum ſuum nimis maturè deſeruiſſe ſentiunt, ac omnis conſilii inopes neſciunt, qua ratione rebus ſuis collapſis medeantur, haud diſſimiles cani iſti, qui eruendi oſſis ex ollâ igni appoſitâ eminentis cupidus, ollam ipſam cum carne in pavimentum dejecit, ac culinam ingredi poſteà non audet. Si jam non ſatis prudens, ſed incautus ejuſmodi ſociorum ingratiſſimorum, te blanditiis ſuis impoſtoriis denuò delinientium, miſertus fueris, ac ipſos in domum tuam receperis, ex perverſis pejores reddes, quippe tam perverſæ indolis homines, ut cogitent, quia impunè tulimus, quod carnem ex ollâ ablatam devoraverimus, carnem etiam aſſam de veru detrahemus, ac nos ſubducemus. Nec eſt quod ullâ cautione, quantumvis providâ, aut nullam amplius fidem ipſis habendo, eorum malitioſas technas te declinaturum ſperes, nihil aliud inde expectaturus commodi, pro beneficiis tuis, quam maledicta, calumnias, & peſſimum odium, quo te proſequentur. Quæ cuncta ſi tolerare nolueris, nihil aliud efficies, quàm ut camarinam fœtidam movendo te ipſum putido ſtercore commacules. Idcircò neceſſe eſt, ut omne cum talibus hominibus commercium, cane pejus & angue fugias, quippe mox te inſcio ſe aliis nequam adjun-

adjungentibus, cum quibus de damno tibi inferendo consilia captant. Prompta enim, & facilis est consociatio hominum corruptis filis vestimenta sua rupta sarcire studentium, qui tàm perversis, & perfidis servis, domo exeuntibus se associant, familiaritati ipsorum se insinuant, ad convivia ipsos invitant, & muneribus afficiunt, atque ita, quæcunque domi inter privatos parietas geruntur, expiscando comperiunt. Si quæ literæ ad alios mittendæ servo traduntur, ut ad tabellarios deferat, mox hominem in latibula sua alliciunt, literas resignant, legunt, atque ex iis excerpunt, quæ excerptu digna ipsis videntur, & posteà rursus obsignatas tabellariis tradunt. Sic proditorem domi tuæ inscius alis. Si nimiam fidem tali homini habes, ac in Laboratorio tuo sumptuosis materiis, Auro nimirum, Argento, & similibus uteris, mox invisibilia cuncta redduntur, ac aliorum custodiæ traduntur, qui ipso fure, talia furtim auferente longè pejores censendi sunt. Non addo, quod in tuo proprio Musæo tibi satis tuto esse non liceat, id propter coacto Manuscripta tua abscondere, & arcis firmiter occludere, nisi velis, ut describantur, ac descripta aliis vendantur. His atque pluribus ejusmodi incommodis obnoxius est, qui cum ingeniis talibus conflictari cogitur. Si quid igitur prudentiæ interest, ex his paucis disces, quid tibi faciendum sit. Tales ceu pestem, ac Diabolum ipsum fuge, à quibus, mediorum à Deo dato-

datorum auxilio nobis cavere possumus; sed ut ingratissimis ejusmodi hominibus sine ignominia, & damno liberemur, nunquam fieri potest. Hîc tamen eos ministros excipio, qui honesti, pii, seduli, ac virtutum studiosi, conscientiæ suæ rationem habent. Nam omnium hominum corda Satanas non occupavit, cum operarii Chymici etiam reperiantur, qui suis heris adeò fideles sunt, ut, si ex asse florenum ipsis conficere possent, promptissimo studio illud efficere conarentur. Adeò rari tamen sunt, ut ex decem vix unus inveniatur, cui fidem habere, & fidere licet. Hoc propria mea triginta annorum experientia me docuit, id propter ea proferentem, quæ proprio meo incommodo expertus sum. Legantur, quæ Paracelsus de perfidis hujuscemodi nebulonibus scripsit, inter alia confessus, tredecim ex suis ministris à carnifice punitos, ac unum ex omnibus fidelem à se inventum fuisse, Oporinum puta, qui tamen, post Paracelsi obitum, satis apertè dissimulatam suam infidelitatem prodidit, dum non maledictis solummodo ipsum oneravit, sed etiam publicis scriptis calumniatus est. Hæc est gratia illa, quam Mundus pro beneficiis rependere solet. Hos cane pejus & angue vita & fuge, quibus nec Deum timentibus, nec homines curantibus perinde est, sive ipsam veritatem evidentissimam oppugnent, sive apertissimis & notissimis mendaciis patrocinentur. Licet hominis alicujus malitia

non

non ſtatim innoteſcat, ſcipſam tamen prodit maledictis & calumniis, quibus accepta beneficia proximo ſuo compenſat.

Cæterum non excuſandi ſunt, ſed temporalibus, & æternis pœnis obnoxios ſe reddunt omnes illi, qui perfidis ejuſmodi hominibus opem ferunt, malitiæ ipſorum patrocinantur, ſe ipſis aſſociant, & quâcunque ratione poſſunt, ipſorum furta occultant. Nam ſi non eſſent, qui fures reciperent, fures ipſi etiam non exiſterent, adeò ut illi, qui in furtim ablatis rebus occultandis furibus opitulantur, in eodem cum his ipſis cenſu habendi ſint, perinde ac ſi ipſimet furta illa commiſiſſent. Cum latro aliquem in campo occidit, aut fur effractis foribus bona aliena rapit, eaque apud alium abſcondit, hic ejuſdem cum ipſo criminis reus eſſe dicitur. Nam ſi fur neſciret, cui furtim ablata tradenda eſſent, furtum forſan non committeret. Horum omnium cunctos Hermeticæ artis diſcipulos participes facere operæpretium duxi, ut ſibi ab ejuſmodi Harpyis cavere diſcant.

XXII. *Quæſtio.*

CUm igitur non conſultum ſit, cum aliis, tantum opus aggrediendi causâ, ſocietatem inire, ac majus periculum adeat ille, qui ignotum aliquem Operatorem ſibi adſciſcit, longè ſatius forſan foret, particulare aliquod medicamen-

camentum quærere, ſummorum & imorum utilitati inſerviens, quo non ſolum pauperibus auxilium ferri, ſed etiam apud divites neceſſaria ſuſtentatio inveniri poſſet, ac ita quietè vivere liceat?

Reſponſio.

CONſilium hoc prioribus duobus longè conſultius, ac tutius eſſe quidem videtur, ſed tamen & ipſum cautione providâ indiget, nimirum ſi quis inveſtigatione ſedulâ medicamentorum aliquot eximiorum cognitionem acquiſiverit, ut non ſtatim unumquemque ejuſdem participem reddat, & ſibi ipſi damnum inferat. Etenim ſolenne eſt malitioſis hominibus, quamplurimum alicui tale quid à Deo donatum eſſe comperiunt, ut aſtutiſſimis technis poſſeſſori illud elicere conentur, montes aureos pollicentes, quos nunquam exhibere poſſunt. Si tibi ſemel tantum ex manibus ars exciderit, ac in aliorum manus pervenerit, illud primum tibi metuendum erit, ne palàm fiat, & ejuſdem fructu priveris, licet illi, quibus ea credita eſt, firmiſſimis obligationibus fidem ſuam adſtrinxerint, quod de hominibus intelligendum à quibus Obligationes ejuſmodi, ut vocant, poſtulari poſſunt. A Magnatibus tales exigi non poſſunt, verbis ſolis fidem dare adſuetis, qui tale aliquod arcanum nacti, Chymicis ſuis operariis illud

illud conficiendum tradunt, quia ipſi Chymicarum operationum partim ignari ſunt, partim etiam manus non admovent. Si operarii laborum Chymicorum periti illud ad optatum finem perducunt, munuſculo aliquo afficieris, cujus plus quàm dimidiam partem ille ſibi ſervat, cui in mandatis datum eſt, ut illud tibi exhibeat. Fit hoc inſciis dominis, quos quis de tali fraude certiores reddere, atque aulicorum invidiam, & odium ſibi conciliare auderet? Atque ita illi, qui lac dulce tibi afferre juſſi ſunt, dulcem atque pinguem cremorem ante demunt, quàm tibi ſerum acidum afferant. Si majoris certitudinis causâ miniſtrum aliquem miſeris, qui operationibus perficiendis interſit, tibi ſatisfiet, ſi fidelis fuerit; ſin minus, de munere tibi exhibebit, quantum ipſi placuerit. Idem mihi uſu venit, inter alios tales miniſtros habenti, qui apud alios, inter pocula, audacter gloriari de furto ſuo auſi ſunt, quod uno aut altero munere, ad me pertinente, me emunxerint, & ad indulgendum genio illud adhibuerint.

Hæc atque alia incommoda uſu venire ſolent ex arcanorum revelatione, licet voto reſpondeant illorum, quibus revelata ſunt. Si verò contingat, ut Operarii illi Chymici Magnatum, in laborando errorem ex ignorantiâ committant, aut ipſum laborem aliquantò moleſtiorem refugiant, verentes, ne in holoſericas ſuas togas ſcintillæ inſiliant, & carbonis nigrore manus

infi-

inficiant, mox Dominis suis persuadent, arcanum revelatum falsum, & te impostorem, ac nauci hominem esse, atque ita non solum te boni nominis famâ honestâ spoliant, sed etiam Dominos suos fraudulentis suis technis & mendaciis fallunt, dum ea falsitatis arguunt, quæ tamen verissima sunt. Diversas literas penes me habeo, à talibus Operariis aulicis ad me scriptas, quibus arcana ad se transmissa non sine fructu se elaborasse, ac proinde majora illis se præstituros fatentur, posteà tamen falsum rumorem spargentes, quod ne minimam quidem ex ipsis utilitatem perceperint. Fructum, qui mihi pro revelatione mea debebatur, ipsi interceperunt, nonnulli pinguibus officiis, alii nobilitate, ac pecuniâ donati. Sic ut plurimum usu venire solet, ut ii, qui vites colunt, uvas exprimunt, ac vinum parant, vinaceis contenti esse cogantur, otiosi vero, atque laboribus vacui vinum ipsum bibant. Eapropter longè satius est, ut quis suas ipse uvas exprimat, & vinum suum bibat, & aliis, qui etiam libenbenter vinum potant, suas vineas colendas, ac uvas suas exprimendas relinquat. Hoc pacto sciet, quid suum sit, quid habeat, quid faciat, ut suis pro arbitrio suo uti possit. Tot, ac tam adversis casibus jure ac merito absterretur ille, cui plura arcana innotuerunt, quò minus alios eorum participes reddat, longè satius ducens, quieto animo iis paucis frui, quæ Deus ipsi lar-


gitus eſt, quam multa cum periculo ab aliis expectare.

Hæc per quæſtiones & reſponſiones præmiſſa ſufficiant. Sequitur Uſus nonnullorum magni momenti Arcanorum, atque incomparabilium Medicamentorum, quorum mentio facta eſt in proximè editis à me libellis, quorum unus de occultis ignibus agit, & alter tres Dialogos continet.



DE LEONE, AUT LEONIS,

Vel Auri Sanguine, quomodo parandus, & tàm in Medicinâ, quàm in aliis artibus summâ cum utilitate ad usum adhibendus sit.



UOD ad modum hunc Auri sanguinem parandi attinet, in Primo Dialogo, eique adjuncto Corollario jam descriptus invenitur, ut pleniore declaratione hîc non opus sit. Notandum tamen, quod post Primi Dialogi descriptionem, longè facilior, & compendiosior, Aurum quodvis, nostri occulti Salis Ammoniaci ope, quasi in momento in sanguinem convertendi modus se obtulerit. Sanguinis autem hujus usum per se Medicina non admittit, propter Aquam Regis, quo Aurum ab initio dissolvitur, ut & propter Salem Armoniacum, qui Aurum mutat, & in sanguinem convertit. Hi enim Spiritus Salium acres, & corrosivi inutiles sunt in Medicina, & noxii, eamque ob causam ab Auro separandi, quod fit affusione aquæ communis, aut pluviæ, quæ Spiritus Salium imbibit, ac Auri pulverem ruberrimum

ad fundum vasis præcipitat. Diversis autem aquæ affusionibus hic pulvis abluendus, atque ab omni salsedine probè liberandus est, ut ita liberatus, cordialis alicujus aquæ additione, ad Syrupi consistentiam redigi, & conservari queat, cujus dosis, pro ægri ac morbi conditione, augeri, ac minui potest. Communiter hujus Sanguinis Aurei tantum sufficit, quantum ad cochlear vino, cerevisiâ, aut alio vehiculo plenum, rubro colore tingendum requiritur. Ejus usus est in omnibus morbis, in quibus cor est corroborandum. Præcipuè verò sanguinis fluxus immodicos tàm in viris, quam fœminis sedat, & Gonorrhæam, Lepram, ac Gallicum Morbum curat, si corpus debitis medicamentis purgantibus, & sudoriferis expurgatum fuerit. Exterius in cute, pustulis illis, in naso, aliisque faciei locis medetur, si pennâ quotidie ipsis aliquoties illinatur. Vehementer enim exsiccat, cutemque ipsam lævem, & pulchram reddit.

Hinc etiam est apprimè utilis fœminis, quibus & facies & labra pallore naturali obducta sunt. Illitus enim pallorem in pulchrum & naturalem colorem mutat, præcipuè si parum albi olei ex talco confecti ipsi admisceatur, quod ruberrimum illum Auri colorem temperat, & pulcherrimum pigmentum suppeditat mulieribus, quæ non modo pallidam, sed etiam fusco, aut flavo colore tinctam faciem habent, ac hoc cosmetico eximio faciem suam naturali colore pingere

gere possunt. Nullum enim Cosmeticum huic æquiparari potest, utpote adeò commodo, & constanti, ut agnosci neutiquam queat, nec etjam corrumpi, sicut alia, quæ aceti, acidi vini, limonum succi, aut aliarum ejusmodi rerum halitu aut afflatu mox in colorem turpem abeunt, ac faciei fucum produnt. Sanguis enim hic Aureus admodum constans est, & pulcherrimum suum colorem conservans, ab omni elementorum injuriâ tutus manet.

Tingit prætereà hic Sanguis, antequam salinis suis Spiritibus liberatus fuerit, crines, pilos, lanam, ossa animalium, & avium plumas, pulcherrimo colore purpureo, qui ad ruborem abiens adeò constans est, ut à nullis acribus aquis corrumpi queat, & id propter cæteris omnibus coloribus purpureis, quocunque nomine etiam appellentur, longè præstet, atque non immerito pro Regio Colore habendus sit.

Alios usus plures hîc recensere nimis longum foret. In Medicina confectionibus diversis, atque Aquis Vitæ Cordialibus tingendis inservit, qui color multò nobilior, & utilior est illis, quibus Confectiones Alkermes, & Aquæ Vitæ vulgò tingi solent. Auri colorem ægro nullum damnum inferre, sed commodum potius afferre constat, quo si confectiones dictæ, aut ipsæ etiam Aquæ Vitæ colerentur, pulchræ evadunt, ac pulchriores adhuc, si Atomi Auri, in vino, aut aquâ, instar minimarum stellularum volitantes,

aut natantes, adjungantur. Nam si Aquæ Vitæ, Auri Sanguine jam tinctæ, parum de Atomis dictis admisceatur, ex pulchro colore purpureo, instar nitidissimæ in cœlo Auroræ, effulgebunt. Hæc est Aquas Vitæ parandi optima ratio, propter Auri Atomos tantæ subtilitatis, ut à stomachi calore facili negotio se concoqui, & digeri patiantur, & vires suas emittant, quod vulgaria illa Auri folia, quæ ornatus tantum gratiâ Confectioni Alkermes, Aquis Vitæ, & similibus Compositionibus miscentur, non faciunt, eapropter Atomis illis nostris neutiquam comparanda. Haud parvi momenti rem patefacio., cujus in Magnatum Pharmacopolis profectò summam rationem habere operæ pretium esset. Quæ & quanta porrò in Metallicis hâc ipsâ Auri Tincturâ præstari queant, in primo Dialogo reperientur.

Facilis Auri Atomos conficiendi, & parandi modus.

IN forti Spiritu Salis, aut vulgari Aquâ Regis, si prioris Spiritus copia tibi non fuerit, solve dimidiam unciam Auri, & solutioni affunde unam aut alteram libram aquæ pluviæ, cui una circiter Rhenani Vini libra commixta est. Cuncta in vitro, probè movendo, confunde, ac vitrum accuratè tectum, nequid pulveris in illud inci-

incidat, per aliquot dies in calido loco repone, ut Aurum, inſtar minimarum ſtellularum, ex aquâ deſcendat, & vaſis fundum petat. Si autem omne Aurum in fundo non conſediſſet, vitrum balneo imponendum, & ſolutio aliquandiu coquenda eſt. Poſt refrigerationem ſolutionis, vas alicubi reponendum, ut Aurum ſubſideat, quod in Atomos ſolutum, aquâ & vino effuſis, ex vitro eximes, & aliquoties purâ aquâ elues. Ita habebis Atomos Auri, quibus in Medicinâ tutò uti poteris.

NB. Notandum autem, quod fieri non poſſit, ut hoc modo Aurum omne ita ſolvatur, ut nihil omninò in Aquâ ſolvente remaneat. Idcirco neceſſe eſt, ut reliquum Aurum per præcipitationem ab aquâ ſepares. Separandi modos aliquot in cæteris meis ſcriptis offendes. Tenuiſſimis, & ſubtiliſſimis his Auri Atomis etjam ſummo cum fructu in aliis Operationibus Chymicis uti poteris, quod in aliis locis Scripta mea ſatis luculenter docent.

Quia optimæ Aquæ Vitæ hîc mentionem facio, neceſſarium, & utile mihi videtur, ut plenam ejus deſcriptionem, cum uſu ejuſdem hîc ſubjungam.

Modus conficiendi Aquam Vitæ Auream, qualis nunquam adhuc ab ullo Medico descripta, & tradita est.

℞. Optimi & purissimi Salispetræ, & Tartari albi, ac puri libram unam, flavi Sulphuris libram dimidiam; In pulverem has materias redige, mixtas probè crucibulo impone, admotoque candente ligni carbone incende, ut flammam concipiat, & conflagrando flavam massam in tigillo relinquat, quæ igne liquata, & in mortarium effusa igneum, & Sulphureum tibi dabit lapidem, falso suo sapore linguam ferientem. Hunc calidum adhuc, in pulverem redige: nam refrigeratus mox humiditatem ex aëre ad se trahit, ac in pulverem redigi nequit. In pulverem redacto affunde duas aut tres libras optimi Spiritus Vini, ac in frigidum locum per aliquot dies repone, ita tamen ut aliquoties singulis diebus in vase materiam cum Spiritu Vini moveas. Hoc pacto Spiritus Vini rubram ex Sulphure Tincturam extrahet, ac simul Tartari Calcinati sale se acuet. Hujus tincti Spiritus Vini, per chartam bibulam, seu filtrum, ut vocant, transmissi, duas tertias partes in Balneo per destillationem abstrahe, ut Spiritum habeas admodum grati saporis, & odoris, quem ex Sulphure, omnis odoris centro, secum trahit. Hic Spiritus Vini, cum sequentibus aromatis, & flori-

floribus in ipſo maceratis, ex vaſe impoſito Mariæ Balneo, rurſus deſtillatus, tibi exhibebit incredibilis efficaciæ Spiritum Vini Cordialem, quem Tinctura Auri rubrum reddes, atque Auri Atomis, quantum ſufficit, adjunctis Aureum efficies. Quantum verò ipſius Spiritus fuerit, tantum poſtea ipſi addes Spiritus dulcis Auri Volatilis, qui nimium ipſius Vini Spiritus fervorem mitigabit. Cæterum ut hic idem calor nimius adhuc magis mitigetur, ac ipſe fortis odor Spiritus Aurei corrigatur, Sacchari Candi albi, in pulverem minutum contriti, quatur uncias in ipſis ſolves, quæ Aquam Vitæ hanc verè Auream ſuaviſſimam reddent. Incomparabilis hæc Aqua Vitæ, in omnibus corporis ægritudinibus, in quibus Spiritus Vitales, Cor, & Cerebrum corroboratione indigent, tutiſſimo, & utiliſſimo uſu adhiberi poteſt. Spiritus enim Vini Aromaticus per ſe Vitales Spiritus corroborat, quod Spiritus Auri potentius efficit, accedentibus adhuc Atomorum Auri viribus inſignibus, adeò ut huic Aquæ Vitæ inter omnes primæ ſint deferendæ, & nulla alia melior, & potentior parari queat. Non enim rubra ſolum Auri Tinctura, verum etiam Aurum ipſum in Atamos mutatum, ſtomachi humani digeſtionem, & concoctionem ſubire cogitur; unde uſu venit, ut excrementa nigra excernantur, quod fieri non poſſet, ſi ☉ indigeſtum abiret. Cum igitur extra omnem dubitationis aleam

 poſitum

positum sit, quod à Stomachi digestione superetur, fieri non potest, quin saluberrimâ suâ operatione corpori ægro auxilium ferat: Tandem & hoc moneam oportet, Excrementa, quod salvâ reverentiâ dixerim, ægrorum illorum, qui hanc Aquam Vitæ quotidiano usu adhibent, non abjicienda esse, adhuc haud parum commodi allatura, si ipsis appositis vites stercorentur, quæ uvas, acinos aureis stellulis notatos habentes, proferent, sicut experientiâ propriâ expertus sum. Ac forsan ex ejusmodi excrementis majoris momenti aliquid in Metallicis effici posset, quod tamen necessarium non est, cum aliis modis boni quid præstari queat.

Aromata, & flores prædicto Spiritu Vini Alcolisato extrahendi, & ad Aquam Vitæ adhibendi.

℞. Recentium florum. Lilii Convallii ℥iij. Rosarum Rubrarum, Cinnamomi, Macis, Cardamomi, Boraginis, Rorismarini, Salviæ, Lavendulæ ana ℥jj. Ambræ griseæ, Moschi a. ℈ ß. Omnes hi flores recentes, cum acromatibus siccis, Spiritui Vini imponantur, macerentur, & distillentur oportet. Si recentium florum compos fieri non posses, exsiccatis, & aridis te contentum esse necesse est, quibus tamen recentes, si haberi possunt, præstant.

Vni-

Universalis Medicamenti, in Secundo meo Dialogo descripti, Usus.

HUjus Medicamenti virtus, & efficacia se adeò latè extendit, ut humano intellectu nec comprehendi, nec percipi queat. Ex immaturo autem, & adhuc volatili, ac in igne non constanti Minerali, à Philosophis Magnesia Saturnina nominato paratur.

Quando nigrum hoc Minerale, ab omni crassâ impuritate purgatum, in candidissimum, & pulcherrimum colorem reducitur, tenuissimi & altissimi, ac ponderosi admodum pulveris formâ, summo cum fructu, ad gravissimorum morborum curationem adhiberi potest. Ex corpore humano cuncta noxia, visibili, & invisibili modo ejicit, illud, præ omnibus aliis medicamentis, quocunque etiam nomine insigniantur, cunctis damnosis, & malis humoribus liberans, ac purgans. Dosi admodum parvâ incredibiles vires exercet, adeò ut nullum hactenus medicamentum inventum sit, quod tàm parvâ quantitate exhibitum, tàm incredibilem efficaciam exercuerit. Ac licet Antimoniata viribus polleant, unumquemque in admirationem rapientibus, sicut patet ex Panaceâ meâ Aureâ, & Antimonii Panaceâ, jam viginti annorum spacio per totam Europam celebratis, huic tamen Medicamento Universali nullâ ratione æquiparari possunt.

Primo

Primo enim viribus longè inferiora ſunt hoc ipſo, quod uno grano plus efficere valet, quàm illa duobus tribus aut quatuor granis effectui dare poſſunt.

Secundo gravitate, & pondere hoc illa ſuperat, quippe quoad quantitatem, & menſuram, unâ unciâ ter, quater aut quinquies Antimonii vel Aureâ Panaceâ ſuperius, atque ita ægris propinatu facilius, & commodius.

Tertio ſi ſaporem, & odorem ſpectes, illis hoc longè præferendum eſt, utpore nec ullius odoris, nec ullius ſaporis particeps, cum tamen illa Antimoniata, Antimonii nimirum, & Aurea Panacea ſemper Salium odorem & ſaporem referant, eamque ob cauſam ad uſum ſæpius adhibita, ægris nauſeam pariant.

Idpropter in Panaceæ meæ ex Antimonio paratæ, & rejectæ locum, Univerſale hoc Medicamentum ſubſtituere decrevi, ac inprimis quoque ob hanc cauſam, quia nonnulli deceptores, ac impoſtores ex Antimonio rubrum pulverem confecerunt, pro meâ Panaceâ illum hominibus perfido uſu venditantes, quâ fraude nunquam uti poterunt, cum, deceptoriâ ſuâ imitatione, hoc ponderoſum, & omni ſapore, atque odore deſtitutum medicamentum, nullo unquam tempore efficturi ſint. Doſin hujus tanti Medicamenti quod attinet, tali cautione opus eſt, ut vix quarta parte ejuſdem tantum propinetur, quantum Panaceæ Antimonii propinari ſolet. In-

Infantibus epilepsiâ, variolis, febri, aut simili morbo laborantibus, à primo ad sextum mensem, unâ vice vix decima, aut duodecima unius grani pars exhibenda est. A sexto usque ad duodecimum, decimum octavum, aut vigesimum quartum mensem ipsis octava, vel sexta, aut ad summum quarta unius grani pars sufficit. Iis qui duos, tres, sex, octo, aut decem annos agunt, una quarta, aut tertia unius grani pars propinanda. Hominibus à decimo usque ad vigesimum annum dimidium, tres quartæ partes, aut ad summum unum granum unâ vice satis erit. Qui inter vigesimum & quinquagesimum ætatis annum versantur, uno, aut uno & dimidio grano utentur, ad summum duo grana non excedent. A quinquagesimo anno per reliquum ætatis decursum, usque ad vitæ terminum constitutum, Medicamenti hujus Universalis diminuenda est iterum dosis, propter senectutem, ferre tantum, quantum Juventus, ac virilis ætas potest, non valentem. Omni autem ætati jucundè, tutò, & sine omni periculo, si debita dosis observetur, hoc tanti momenti Medicamen Universale adhibebis, adeò ut non sit cur idem prægnantibus fœminis etiam propinare verearis, quibus tamen vix dimidia ejus dosis, quâ alii homines utuntur, pars convenit. In Febribus paroxysmo præmittatur; In peste mox ubi sentietur, ut etiam post sumatur; Hydropicis semel, aut si una dosis non sufficeret, bis singulis mensibus exhibeatur; Podagricis,

cis, & Calculosis quâvis septimanâ bis; Leprosis, Morboque Gallico affectis, similibus ex sanguinis impuritate ortis morbis laborantibus ter, Lienis, hepatis, ac Mesenterii obstructionibus devexatis semel singulis septimanis propinetur; In Epilepsia, Mania, cæterisque capitis affectibus præternaturalibus, unaquaque septimanâ, bis adhibeatur, & quidem tamdiu donec malum penitus sublatum fuerit; Colici affectus quotidie unam dosin requirunt, antequam cessent. Atque dictos, & alios corporis morbos curandi ratio hæc est, ope *Universalis* nostri Medicamenti, quod interno usu adhibitum incredibilia præstat, & etiam in omnibus periculosis vulneribus, apertis ulceribus, tàm veteribus, quàm recentibus, Cancro, Fistulis, &c. admiranda efficit. Interno usu semel octidui spacio usurpatum falsos honores omnes consumit, & impedit, quominus exitum suum per ipsa vulnera quærant, atque hoc pacto eadem pejora & periculosiora reddant. Externo usu tamen etiam optima Balsama, & Emplastra, qualia in Tertiâ meâ Centuriâ occurrunt, adhiberi necesse est, ut vulnera, & ulcera, debito modo purgata, medelas adhibitas admittant, ac curationi felici se subjiciant.

Accedit, quod in hujus Medicamenti usurpatione ægro incumbat, ad minimum 4. aut 5. horis postquam illud hausit, nec cibo, nec potu uti, totoque illo die in lecto, aut ad minimum in camerâ suâ manere, aërem vitandi causâ, at-

que

que prius non indulgere ſomno, quàm medicamentum operatione ſuâ debitâ functum fuerit. Ejus vehicula, quibus mixtum exhauritur, ſunt vinum, cereviſia, carnium juſcula calida, ſyrupi, roſarum conſerva, recens butyrum, poma aſſa, & id genus alia. Haud inconſultum quoque eſt, matutino medicamenti hujus uſui, veſpertino tempore præcedente, Cœnam leviorem præmittere, ac veſci levioribus, & concoctu facilioribus cibis, qui ſtomachum ad purgandum aptiorem reddunt. Tales ſunt pruna, uvæ paſſæ, ſimileſque alii cibi, laxatione ſua lentis ac viſcidis humoribus lubricitatem, & mollitiem aliquam conciliantes. Operatione peractâ ægro vitandi ſunt duri cibi, & fortes potus, quibus ſtomachum ſuum ſtatim non debet farcire, ſed proximo poſt purgationem die potius temperantiæ ſtudere, ac nonniſi herbarum, ut cerefolii, fœniculi, ſpinachiæ, ſimiliumque juſculis veſci, ut medicamentum eò facilius operari queat, quod adhuc longè promptius operatione ſuâ fungetur, ſi mox ipſi uſurpato ſubjunges drachmam puri, atque albi Tartari in pulverem redacti, & cum drachmâ ſacchari, aut quod melius eſt, mannæ in purâ aquâ cocti, & calidè hauſti, quæ potio prius medicamentum hauſtum ſequens, ſtomachum, & inteſtina probè expurgare ſolet. Atque hic eſt Medicamenti noſtri Univerſalis uſus, cujus ſi accurata ratio habita fuerit, nullus error committetur, & medicamentum ipſum, ope-

operatione laudabili, cujusvis votis abundè satisfaciet. Sed de hoc incomparabili Medicamento, in pulveris formâ, satis.

Quod si hic pulvis per fusionem in parvos lapillos, lactis colorem referentes mutetur, alio modo ad usum adhiberi postulat. Pulveris igitur prædicti loco, usurus lapillorum aliquo, corpus expurgandi, & ab omnibus humoribus noxiis liberandi causâ, illum per aliquot horas, vini pleno cochleari impones, vinumque ebibes, eandem operationem sensurus, quam ipse pulvis efficere solet. Cautione tamen opus est horum lapillorum ope auxiliaturo ægris, & vires eorum expendat, quantum requirant, & quantum ferre valeant. Viribus autem expensis, major aut minor lapillus vino, virtutem imbibituro, imponendus est: Infans quippe tantarum virium non est, nec tantum ferre potest, quàm fortis aliquis vir, cujus vires longè majores sunt. Ideo necesse est, ut ii, qui horum lapillorum ope curationes morborum feliciter expedire desiderant, primâ vice unam, duas, aut tres horas lapillum in vino relinquant, ac vini exhausti operationem accuratè examinent. Operatione ad votum respondente, idem tempus, quo in vino jacuit, observare semper poteris. Si minor, quàm expectes, operatio fuerit, diuturnius, si major & fortior, brevius in vino macerandi tempus ipsi concedes, atque providâ hac cautione efficies, ut à scopo proposito non deflectas. Quamvis

vis autem hujus Medicamenti, lapilli formam obtinentis usus, illius pulveris usui longè præstet, quippè jucundior, & gratior existens, satius tamen est, ut illi, qui tàm accuratè usum illum observare nequeunt, pulvere ipso utantur, ut eò tutius agant, & sciant, qui sibi faciendum sit. Qui verò lapillorum tractandorum rationem norunt, iis non opus est, ut corporalem illum pulverem usurpent, cum vinum illud, in quo lapilli macerantur, bibentes solis viribus frui possint. Lapilli ipsi licet aliquandiu, & pluribus vicibus vino macerentur, vires suas non amittunt quidem, sed tamen minuuntur, præcipuè quando, ob fortiorem purgationem, in vino superfuso coquuntur, quæ coctio facit, ut corpusculi sui diminutionem sentiant.

Atque hæc sunt, quæ tàm lapillorum, quàm ipsius pulveris, in demendis & purgandis omnibus noxiis, & malis humoribus corporis humani, tàm in junioribus, quàm in senioribus, usum concernunt.

Corpore igitur, dicto nostro Universali Medicamento, satis superque expurgato, ne quis recidivam patiatur, consultum erit, ut & debitam diætam observet, ac singulis diebus, per horæ quadrantem, aut dimidiam horam, ejusmodi lapillum in ore contineat, haud parum lenti ac viscidi humoris ex cerebro, & stomacho ad se attracturum, qui toties ac tàm diu exspuendus est, donec nulla amplius humiditas, tàm

copioſo affluxu in ore colligatur. Hæc attractio cerebrum, & ſtomachum vehementer levabit, atque ab obſtructionibus noxiis liberabit, famemque ac ſitim præternaturalem removebit, ita ut ſine appetitu præternaturali, prandium exſpectari queat. Nam quando corporis humani vaſa interna, ſplen nimirum, jecur, ac meſenterium, lentis humoribus obſtructa ſunt, & ipſe ſtomachus obſtructionibus iiſdem fartus eſt, ut plurimum matutino tempore, horis aliquot poſt, quàm quis cubitu ſurrexit, præternaturalis fames ac ſitis, ut & membrorum debilitas ſentitur, quæ incommoda cibo & potu averti poſſe, haud pauci, ſed falſò arbitrantur. Experientia enim docet, quod pauco cibo & potu ſumpto, talium hominum debilitas augeatur, tantum abeſt, ut removeri talibus mediis queat. Unde liquidò patet, debilitatem illam cibi, ac potus defectui acceptam non eſſe ferendam, ſed potius vaſorum illorum internorum obſtructioni, quæ Vitali Spiritui ad nervos, quos corroborare debet, aditum prohibens, neceſſariò talem membrorum debilitatem efficiat, & ſtomacho præternaturalem appetitum pariat. Si jam tales obſtructiones, quotidiano horum lapillorum uſu, paulatim amoventur, adeò ut lenti illi humores incrementa ſumere nequeant, omninò neceſſe eſt, ut morbus pedetentim cedat, & diminuatur, & priſtina valetudo bona, cum vitæ longioris ſpatio ſequatur. Stomacho itaque tam lentis,

lentis, ac biliosis humoribus obsepto, fieri non potest, ut tàm leni ratione dicti humores expellantur, sed necessitas postulat, ut vinum, in quo lapillus coctus fuerit, haustum illos ejiciat, & lapillus ipse postea, conservandæ valetudinis bonæ causâ in ore, modo præscripto, contineatur. Sin verò usu veniret, ut nauseantis, ac debilis stomachi humores illi lenti, vasorum obstructiones tenaciores, ac fames, sitisque illa præternaturalis penitus hâc medicandi ratione non tollerentur, indicio erunt, cuncta hæc incommoda profundiores radices egisse, ac dictis medicamentis penitus tolli non posse. Adhibenda igitur potentiora, & fortiora remedia, quæ tenaces illos stomachi humores emolliant, incidant, & ejiciant, corporis obstructiones omnes reserent, Spiritui Vitali omnia membra pervadendi meatus aperiant, & corruptum stomachum corroborent, ut cibos laudabili digestione concoquat, & bonum, atque laudabilem sanguinem generet. Cum igitur tàm efficax Medicamentum, quo omnes vasorum internorum obstructiones tollantur, ac simul debilis stomachus corroboretur oportet, apud paucissimos reperiatur, consultum mihi visum fuit, in præsentiâ, ejusmodi Medicamentum, in humani generis gratiam revelare, cujusmodi remedium efficacissimum, in nullius Medici manibus, centum proximis, aut quidem pluribus annis fuisse audacter affirmo, illudque à me in-

ſtinctu divino inventum, lubens publici juris facio.

Ejus præparatio eſt, ut ſequitur.

℞. Recentis, & fortem odorem ſpirantis Myrrhæ, puriſſimæ & clariſſimæ Aloës, optimique Croci Anglici ana circiter 1. 2. aut 3. uncias. Cunctis in pulverem comminutis affunde fortem Martis Spiritum aperitivum & volatilem, cujus in meo Libello Ignium mentionem feci, & ſolve, quæ ſolutionem admittunt. Solutioni adde parum mei Fermenti Arcani, quod è veſtigio efficiet, ut fermentare incipiat. Antè additionem ejus in promptu eſſe debent Alembicus, & charta cum farinâ, ut alembicus cucurbitæ impoſitus linimento probè muniatur, & nihil exire permittat.

Quamprimum enim fermentum Solutioni adjunctum fuerit, hæc fermentandi initium facit, ipſoque vitro Balneo impoſito, ac calorem ſentiente, Spiritus ille Ferri volatilis, inſtar Spiritus Vini, promptè ac lubens aſcendit, hoc quidem calore multo inferior, ſed efficaciâ ſuâ longè penetrantior. Poſtquam omnis Spiritus aſcendit, reliqua humiditas, ferè ad conſiſtentiam mellis evocanda eſt, ita leniter tamen, ut ſuccus aduſtionem aliquam non redoleat. Hoc facto vitrum eximes, ut refrigeretur, ſuccoque poſt refrigerationem, eundem Spiritum Martis

Vola-

Volatilem, quem diſtillando à materiâ ſeparaveras, rurſus affundes, qui craſſum illum ſuccum ſolvet, & cum ipſo ſoluto fortis odoris, penetrantis efficaciæ, ac rubri coloris, inſtar ſanguinis Balſamum evadet, propter penetrantem ſuam efficaciam, probè conſervandum & pro Vitæ Balſamo habendam, utpote quod omnes corporis obſtructiones tollit, omnia interna vaſa, & membra maximè corroborat, & ab omnibus corruptionibus tuta præſtat. Huic Balſamo nullus alius eſt æquiparandus, undecunque etjam afferatur, aut petatur. Non enim viva ſolum corpora hominum ab omnibus morbis tutatur, & conſervat, ſed etiam ea, quæ à cæteris Balſamis, in conſervando à putrefactione mortua corpora, præſtant, longè efficacius effectui dare poteſt, dum cuncta penetrat, & à putrefactione tuetur, viribus tàm admirandis, ut nemo tanta Dei miracula ſatis mirari queat. Quod ita ſe res habeat, quilibet ranâ, mure, aut ſimili aliquo animalculo mortuo periculum facturus, experietur. Uſus ejuſdem Balſami, in omnibus internorum membrorum obſtructionibus tollendis, & debili ſtomacho corroborando hic eſt. Corpore prius probè expurgato, pro ratione ætatis, propinandæ jejuno ſtomacho ſunt 1. 2. 3. 4. uſque ad 10, aut 12. guttæ in Aquâ illâ, quæ poſt deſtillatum Spiritum Volatilem elicita eſt, ut ſuperius diximus. Poſt epotum medicamentum unam aut alteram horam jejunandum.

Balſamum hoc totius corporis membra permeat, Stomachum, cerebrum, cor, & quævis vaſa interna corroborat, omnes obſtructiones tollit, ſanguinem laudabilem efficit, cibi ac potus appetitum excitat, ac Humidum Radicale auget, ita corpus humanum, divinâ gratiâ, & benedictione, uſque ad ſummam ſenectutem conſervans. Nemini autem mirum videatur, aut iſtæ cogitationes in mentem veniant, alios jam antè Balſamum hoc habuiſſe, quia Paracelſus ſuum Elixir proprietatis, ex Aloë, myrrhâ, & croco compoſuit, ac alii veſtigiis ipſius inſiſtentes, illud eodem modo confecerunt, hactenus ab omnibus peritis Medicis magni æſtimatum. Nam longè abeſt à viribus Balſami mei, illud Elixir Paracelſicum, adhuc in corporali ſuâ formâ, & nihil niſi merum corpus exiſtens, cum è contrario meum Balſamum Vitæ Spiritibus ſuis efficaciſſimis excellat, totum corpus hominis permeantibus, ac ſuis puriſſimis viribus & Spiritus omnes, & totum corpus ipſum replentibus, corroborantibus, ac omnem corruptionem, & putredinem arcentibus. Porrò ſi quis hoc Vitæ Balſamum longè efficacius, & potentius reddere, cupiet, Aperitivi Spiritus Martis loco, Auri Spiritum uſurpare poterit, procul dubio illud Balſamum longè majoribus viribus ditaturum, ſed ſumptibus etiam majoribus oneraturum, adeò ut nonniſi divitibus Medicamentum hoc uſui futurum eſſet. Poſſet quoque in hujus

hujus Medicamenti præparatione Spiritus Volatilis ſeparatim conſervari, & ſicut Spirituale Balſamum, aut Elixir, ſubtilitatis, ad internas Corporis partes conſervandas uſurpari, ita ſuis penetrantioribus, potentioribus, & efficacioribus viribus quaſcunque obſtructiones noxias, & quoſvis humores etiam tenaciſſimos potentiſſimè ſoluturus. Eodem quoque pacto & ipſum Balſamum ſeparato uſu adhiberi poteſt.

Cæterum eâ, quam tradidi, ratione alii etjam efficaces, & penetrantes Spiritus, Balſamaque magni momenti ex aliis Animalibus, Vegetabilibus, & Mineralibus confici poſſunt, quibus admiranda quis in Medicina præſtiterit. Fundamentum hîc locavi, cui quivis, arbitrio ſuo, forte ædificium imponere poterit. Nihil magis deſiderandum, & in votis habendum eſſet, quam ut ſubtilia ejuſmodi, & penetrantia Medicamenta introducta, tot inutilium, & popinariis elixationibus, ac coctionibus paratorum Medicamentorum locum ſubſtituerentur. Longe majus humano generi commodum conferrent, nec tot homines tam parvis, tàm contemptis, & ex ſolis ſtomachi humoribus tenacibus, & pituitoſis ortum ſuum trahentibus morbis, oppreſſi, ſine omni auxilio lato, morerentur. Quibuſnam aquæ herbarum vulgares viribus quæſo pollent? Ferè nullis. Si autem eo, quem tradidi, modo pararentur, & odore, & ſapore,

& viribus multò meliores, & utiliores futuræ essent. Si vulgari alicui Vino, quod jam naturalem, & consuetam fermentationem peregit, altera fermentatio, arcani mei fermenti ope, conciliatur, adeò & spiritus inde elicitur, fortem ac efficacem saporem atque odorem acquirit, præcipuè, si nulla aromata, aut aliæ herbæ, odorem gratum spirantes unà fermentationem subierint, ut eodem alia vina & sapida, & odorata reddi queant. Hinc firmiter, & constanter asseverare audeo, in Medicinâ Spiritibus Metallorum, præ cæteris omnibus, primas deberi: Sed quid in Metallicis præstare possint, adhuc incognitum est, si illud excipias, quod vulgare, & currens Argentum Vivum coagulare soleant. Si nobis ipsos fixandi, & constantes reddendi ars innotesceret, proculdubio non solum in Medicinâ, Universale Medicamentum summum, ad conservandam hominis valetudinem, verum etiam Tincturam absolutissimam, ad Metallorum corpora tingenda consequeremur. Hoc fieri posse Philosophorum Veterum scripta passim innuunt: quod tamen hactenus nondum à me effectui datum est.

Contentus tamen sum, ac Deo meo summas gratias ago, quod me tàm excellenti Medicamento dignatus sit, cujus forsan nemo proximis centum annis particeps redditus est, aliàs dudum revelati, & palàm facti, si cui obtigisset. Lusus puerorum, aut res tam vilis non est,

non

non solum Vegetabilia, & Mineralia, sed ipsa etiam fixissima Metalla, quasi unius momenti spatio, eò deducere, ut fermentationem suscipiant, & per distillationem, & rectificationem tàm fortem, ac penetrantem Spiritum edant. Credat, aut non credat, qui volet; mihi hoc sufficit, quod præstare idem, quandocunque volo, possim, quod, Deo dante, increduli verissimum esse propediem comperient, oculis videbunt, ac manibus palpabunt. Quo autem prædictum Balsamum modo parandum præscriptum est, eodem etiam ex aliis materiis varia, & ignota medicamenta efficacia confici possunt.

Opii præparatio Spiritum redderet, qui odore suo alicui somnum conciliaret, ejusque sensus exteriores sopiret.

Idem præstaret Tabacum, aut Hyoscyamus, aliaque similia, ut & herbæ inebriantes, quarum Spiritus, vel minimâ dosi, vino, aut cerevisiæ mixtus, atque potus, hominem mox ebrium redderet. Ejusmodi Spirituum ope ridicula plurima effici possent, ut si hordeum, pisa, fabæ, aut alia semina, & sicci fructus iisdem humectarentur, aut macerarentur, ac piscibus, avibus, aut aliis feris animalibus objicerentur, quibus vescentia, & ebria reddita manibus capi possent.

Pari ratione ejusmodi Spiritibus tàm fortem odorem spirantibus, omnia noxia animalia fera,

ut urſi, lupi, vulpes, atque alia hujuſcemodi raptu viventia animalia dimoveri & abigi, è contrario autem piſces in aquis in unum locum congregari poſſent. Illa enim omnes fortes odores, & fœtores fugiunt; Hi verò in aqua illos ſequi ſolent. Ut verbo dicam, mirabilibus effectis edendis apti eſſent dicti Spiritus, quorum tamen ne ſemel quidem mentio fiat oportet, tantum abeſt, ut revelatione aliquâ innoteſcere debeant.

Eam ob cauſam fermentationis hujus tantum arcanum mecum ſepulchro recondere, ac nemini palàm facere conſtitui. Sufficientem Medicamentorum optimorum, quibus Proximo meo inſerviam, copiam parandam curabo; Cæterarum rerum ſupervacuarum curâ ſuperſedebo: niſi forſan contingeret, ut Turcicus ille Tyrannus, nil niſi ſanguinem ſitiens, nobis, quod Deus avertat, nimis appropinquaret, cui admirandi, & hactenus incogniti mei Ignes Artificiales, aliæque Inventiones, novæ, & ex laboribus meis indefeſſis ortæ, ita reſiſterent, ut ex militibus ejus quamplurimis redeundi ſolicitudinem omnem exemptum iri confidam. Extra omne dubium eſt, igneos ejuſmodi globos confici poſſe, quorum una libra, viginti librarum pulveris pyrii violentiam maximè ſuperet. Quis novit, quâ de causâ tantorum arcanorum revelationem huic ipſi tempori præſenti Deus conceſſerit? Forſan ſuæ Omnipotentiæ monſtrandæ gratiâ, ſingulare,

lare, & admirandum quid effectui dabit, ut ultimâ & extremâ defensione ex periculo præsentissimo expediat Orbem Christianum, qui, licet variorum errorum labyrinthis immersus, à verâ & Christianâ vitâ longè aberret, multos tamen pios homines complexu suo adhuc fovet. Deus nihil sine causâ facit; unde omninò credibile est, novas has inventiones non frustra in hominum manus incidisse, quod tempus patefaciet.

F I N I S.



PARS SEXTA PHARMACOPOEIÆ SPAGYRICÆ,

SIVE

Lumen nuperrimè ortum & Clavis fortis,

Ad aperiendam Philosophicam Veritatem, tractans

DE

IGNE PHILOSOPHORUM SECRETISSIMO,

VIDELICET,

Quomodo

Ille ad præparationem multorum Medicamentorum Regiorum utiliter commodéque sit adhibendus, Illiusque beneficio

Venenosa, fœtida humanaque naturæ prorsus adversantia atque noxia Vegetabilia, Animalia & Mineralia in gratam saluberrimamque Medicinam convertantur;

Salia Mineralia & Spiritus eorum corrosivi dulcescant;

Fixa Corpora Metallica transmutentur in Spiritus Volatiles. Spiritus autem Volatiles remutentur in Fixa atque per quodvis Metallum ac Vitrum penetrantia Corpora tingentia, atque alia id genus incredibiliter rara perficiantur.

IN

Dei honorem, pauperum ægrotantium solatium hodiernique Mundi cœci illuminationem exhibitum

A

JOHAN. RUDOLPH. GLAUBERO.

AMSTELODAMI,

Apud Joannem Janssonium à Waesberge, & Elisæum Weyerstraet, Anno 1664.

BENEVOLE
LECTOR,



Ortasse cognoscere desideras, quid me moverit, quod ego tot inaudita Arcana *simul ac semel emittam. Sed resciscas velim, me id non sine singulari aliqua ratione momentosa egisse. Scire autem exactè, cur id agere mihi potissimum decretum fuerit, ut tibi nihil proderit, ita nescire nihil oberit. Hoc igitur quæso tu sis contentus, quod hujusmodi* Secreta *ardua tibi nota fecerim; neque verò limis me intuearis oculis, quod ego jam ingenio sim ita liberali, ut & meis benefacere inimicis studeam. Quippe ita fert voluntas Dei. Deum namque ita omnibus hominibus citra* προσωποληψίαν *ullam benefacere, in oculos nostros quotidiè incurrit. Enimverò solem in cœli firmamento collocavit, ut æque improbis ac probis illuceat, & ut non minus viperæ, serpentes venenosi & lupi noxiosi quàm oves bonæ ac fructuosæ sustententur. Si igitur tali suo nobis Deus prælucet exemplo,*

quidni imitamur nos eum? Errare namque non possumus, si taliter agimus, qualiter Deus agit. Ipse namque est Magister adeò bonus, ut nos nihil mali doceat. Satanæ autem est planè intolerandum invisumque, ut boni quicquam in genus humanum conferatur. Dotat quippe ille suos filios ac servos sibi fidos superbiâ, avaritiâ, invidiâ, gulositate, ebriositate, impudicitia, lucri privati studio, ulciscendi libidine atque consimilibus vitiis pluribus. Hinc nihil est quod à talibus Diaboli filiis discamus, sed nos oportet Dei præcepto esse morigeros, ut nimirum inimicis nostris injurias nobis ab ipsis illatas remittamus atque pro eis oremus, ut resipiscant & malitiâ desistant, quemadmodum & assimilia Imitationis exempla bona nobis in Christo præeunte proponuntur. Cui tamen Apostolus notabiliter addidit: Quòd *(si inimici nostri, quando ipsis benefacimus, non convertantur)* nos in ipsorum capita coacervaturi simus carbones ignis. *Quòd si ita est, ut sine omni cujusquam gentium dubio est, quânam quæsò ulla meliore ratione aliâ nos illorum malitiæ occurrere possumus quàm ut benefaciendo prunas in ipsorum capita coacervemus? Nihil itaque in hoc Mundo conducibilius est quàm*

quàm amicis ſimul ac inimicis benefacere. Ceterùm ſi inimici noſtri noſtrâ beneficentiâ abuti connitentur, Deum ſuo tempore vindicem ſortientur. Quare ego in hac ſententiâ perſtabo, quod complura id genus Secreta alia publicaturus, & verò propter hominum malignorum ingratitudinem neutiquam celaturus ſum. Equidem non diffiteor, me in aliquammultis hujus Libelli locis tam apertè ediſſerere, ut quaſi porcis margaritas objicere videar: ſciendum tamen eſt, hanc Claritatem ſolis probis ac piis illucere, impiis verò nil niſi caliginem fore. Hoc quippe eſt commune hodierni hujus ſeculi ingenium, ut ad Externa duntaxat reſpiciatur, nullatenus autem perpendatur, quid iſthæc in receſſu habeant. Quicquid enim ipſorum oculis apparet auguſtum, illud ſolum magnifaciunt, etiamſi nullam habet utilitatem: ſed verò ſi quid ipſis videtur ſimplex ac rectum, naucifaciunt, etiamſi eſſent meræ gemmæ ac margaritæ. Quocirca quum hæc mea Dogmata non niſi humili ſtylo emittantur, procul dubio vilipendentur & forſitan pauci invenientur, qui illa pro veris acceptabunt, uſqueadeò uti tantò minus ſit verendum, Secreta hujuſmodi redditum iri impiis, indigniſque nimis familiaria. Ego qui-

dem antehac optimorum quorumque Secretorum nonnulla, quæ in hac Tractatiuncula jam publicè describuntur, nonnullis amicorum ex sincero cordis affectu patefeci, idque hac lege, ut illa parare aggrederentur; sed ipsi opus nondum aggressi sunt, idque nulla alia de causa nisi fortè quod ipsis illud visum fuerit non res impendii magni, sed parvi. Hinc usuvenit ut credere nequiverint, intra dies paucos magnam parari posse Medicinam. Ita Mundus semper amavit vexari & fatigari frustraneis multarum impensarum laboribus diuturnis. Postquam enim ego ignaros reddidi certiores, quod brevi tempore & paucis sumptibus Magna maturari possunt, interquiescunt addubitantes de Possibilitate, quippe qui malunt sumptuosis diuturnisque Processibus Sophisticis operari, quàm Veritatem coram Mundo vilem simplicemque periclitari; id quod hominibus istiusmodi à nemine invideatur, utpote qui præ superbia in sua quodque Bonum forma tenui non condignè æstimant, sed tantummodo ambagiosos seductionum anfractus amant & indagant. Exstat literis Philosophorum, quod Mosis soror Maria *prophetissa* Lapidem Philosophorum *intra triduum maturare potuit. Consimiliter*

ali-

aliqui Philoſophorum Opus quoque ſuum ſpacio ſeptimanæ abſolverunt. Alii laborem aliquot menſium in illud inſumpſerunt. Iam verò illi errones (qui ab uno ad alterum evagantur & operam ſuam, quamvis ipſi ſint rudes omnium rerum, ad perficiendum Lapidem Philoſophorum *pretio offerunt) poſtulant ſibi ad coquendum concedi ſpacium vel unius, vel duorum, vel trium omninò annorum. Quanto autem diſcrimine inter ſe diſtant triduum & triennium! Quantum ad me attinet, ego quidem tantum Opus nondum unquam elaboravi, veruntamen tantum poſſibilitatis ſpectavi meis oculis & contrectavi meis manibus, ut (ſi mihi daretur tempus atque locus, & cœpta ſecundaret Deus) confidam, me ſummam iſtiuſmodi Medicinam intra temporis exiguum fore paraturum. Sed enim ego aſſevero veraciter, quod per vitam meam omnem ad ejuſcemodi Ardua nunquam adſpiravi: quod autem mihi à Deo datum eſt, jam in commune confero. Quare ſi cui Deus benè cupit, ille ibi (ubi meum fuit ceſſare) poterit inchoare & opus feliciter conſummare: ſin autem quis Deo irato ſuo quicquam tentaverit, nolit ille me moleſtis interrogatiunculis inquietare, utpote qui neſciam reſpondere*

 plura


plura his à me revelatis. Tandem, ſi Deus indulſerit, poſt intercapedinem temporis ego luci publicæ perſpicuè edam, quodcunque in particulari melioratione Metallorum conſpexi. Quod ſanè Lumini magno fore duco huic ultimæ Mundi tenebroſi ætati.



SEXTA PARS PHARMACOPOEIÆ SPAGYRICÆ.

Caput Primum.

Deſcribens illum artificioſum, de quo agit Libellus Ignium, *Philoſophicum Furnum Deſtillatorium, cujus ope, ſpacio unius horæ, omnes Operationes Chymicæ, una vice, mediante Igne Arcano, demonſtrari poſſunt, uſqueadeò ut illi parem nondum quiſquam gentium unquam deſcripſerit.*



X terra bona (quæ vi ignis reddi poteſt compacta ac ſolida inſtar vitri; prout comperias eſſe Colonienſem, Sibburgenſem, Freichiemenſem vel Waltenburgenſem) cura tibi unum aliquod ſuo quaſi in Diametro ut minimum pedes latum duos, at potius (quoad ejus fieri poteſt) tres, parari Vas ad inſtar Hemiſphæræ ſeu dimidii Globi tribus quatuorve præditum manubriis, ut ſuſpendi queat: imple illud frigidâ, aqua & Recipiens ſeu Alembicus cœcus erit perfectus. Deinde ei appone ſeu accommoda ſcutulam planam ex conſtante terra bona, duobus aut quatuor quaſi pollicibus latam & pollice lato altam, quam imple Sulphure vulgari, eoque mixto cum Minerali

 aliquo

aliquo Subjecto, puta Mercurio, Auripigmento, Arſenico vel Antimonio: quod vel particulariter in ☉, vel univerſaliter in Medicinam figere cupis; 🜍 accende ut ardeat, tunc hoc Sulphur calcinabit atque fixabit in igne continuè ardente illud Subjectum quod ad figendum fuit impoſitum. Et ſi quid inter ardendum Sulphuri deceſſerit, ſubinde alio atque alio Sulphure redintegretur. Quod ſi Sulphur fuerit omninò exſtinctum, denuò illud accendas, ut perſeveranter ardeat & nunquam exſtinguatur. Exſtinguetur autem non facilè, ſi extinctionem præcavendo aliquantulum goſſypii in medio Scutulæ poſueris. Dum autem Sulphur jam ardens cum ſuo penetrante ac maturante igne Subjectum adhibitum penetrat, Minerale volatile ab initio vehementem ignem patienter ferre non poteſt, ſed pars ejuſdem cum ignito & omnia Mineralia Subjecta fixante Oleo elevatur ſurſum, ad quod illud frigidâ completum receptaculum læve ſe condenſat in Oleum igneum, quod circumcirca ad vaſculum concreſcit, & rurſus in Sulphur ardens in ſcutulam deſtillat, uſque adeò ut ſpectatorem ejus non levis inceſſat admiratio. Motum hujus Olei quod adeò continuè agitur nunc ſurſum, nunc deorſum, Philoſophi nominarunt ſuam *Deſtillationem*, *Adſcenſionem* & *Deſcenſionem*, necnon *Cohobationem* & *Circulationem*: atqui Ignem Sulphureum perpetuò ardentem vocârunt ipſi *Calcinationem* & *Solutionem*. Enimverò in hac Operatione duo præpotentes Ignes agunt. Fortis namque Ignis

fixans

fixans est flamma Sulphuris; fortior autem adhuc est Oleum Igneum, continuè destillans, quibus ambobus Stygiis Ignibus mediantibus Subjectum volatile in Testa brevi temporis spacio (nisi antea impuritate laboraverit) absque ulla ponderis diminutione in fixam Medicinam fixatur. Demirandum est, quanta virtute uterque Ignis in figendis Metallis volatilibus polleant; spectatuque perjucundum, quod si quando gutta aliqua illius Olei Sulphuris jam sursum acti in Sulphur destillat, flamma instar sanguinis rubicundi adscendat, quæ alioquin à Sulphure solo non nisi flavo imbuitur colore. Repetita illius in vas suppositum destillatio vocabatur à Philosophis *Inceratio*; quando verò universum in fundo residebat sine fumo adscendente, isthoc ab illis appellabatur *Fixatio*. Has Operationes ego his meis ipsius manibus perfeci & oculis meis vidi. Plura profari ego hac vice non ausim, quoniam impiis jam plus satis dictum est. Quod ego quidem minimè gentium fecissem, nisi hoc præclarum Opus Philosophicum degenerasset in prostibulum, sive (ut explanatius dicam quid sentiam) nisi illud vel ingratiis meis in volas indignissimorum quorumque incidisset. Ego enim duntaxat hunc Furnum Fixationis Philosophicum nonnullis amicorum spectandum concesseram; illius tamen cognitio ab ipsis eousque in vulgus emanavit, ut me pœnituerit communicâsse. Atqui ejus vice non ità multò post à Deo data mihi est alia quædam eaque longè melior ac venustior Virgo,

Virgo, dum ipſe mihi tale monſtravit Inſtrumentum, quali longè commodius quàm priore adſcendens fumus Sulphureus excipitur, ita ut nihil inde pereat. Meum igitur erit hoc Donum divinum cuſtodire cautius quàm prius.

CAPUT II.

Ratio conficiendi aliam adhuc Medicinam Univerſalem ex ſolo Sulphure.

TErream Scutulam Sulphure imple atque illi ſub Alembico cœco da per VIII. vel XIV. dies ignem continuè flagrantem; & ſi quando adſcendens Oleum Sulphuris igneum identidem in Sulphur ardens guttatim defluit & tantiſper adſcendit atque deſcendit, dum fixetur & nullum amplius adſcenſum moliatur, permitte ignem exſtingui, atque illud quod in Scutula reperis gerens ſpeciem atri carbonis, exime ac ſuperfunde aquam puram, & fac ſimul coqui; unde in hac coctione Aqua Oleum Sulphuris fixatum, quod in Salem abiit, ex fecibus atris extrahet. Hoc Sal extractum deſtilla per filtrum, & ſine Aquam in Balneo exhalare, ſic reſiduum manebit in fundo ſuave, gratum acidulumque Sal flavum, quod exime & in purum crucibulum injice, ubi quidem patiaris benè incaleſcere, ſed non candeſcere; tunc illud evadet rubicundulum, quod diſſolvas atque per chartam emporeticam tranſmittas, & feces nonnullas excer-

cernet. Quam Operationem, ſi libuerit, aliquot vicibus iterare poteris, & Sal tanto magis expurgabitur. Hoc Sal eſt ſaporis medii inter acidum ac dulcem; cujus 5. à 6. grana ſumta corpus penetrant fortiterque ſudorem eliciunt. Auctior autem ejus doſis alvo concitat ſedes lenes, cumprimis, ubi operatio eſt in ferrea quadam ſcutula facta, veruntamen dulciculum ex ferro ſaporem referet, unde tamen nihil periculi metuatur. Quia Sal ſaporem hunc planè exuit, inprimis, quandò eum leniter candefeceris & ſolveris, coagulaveris & tertiâ vice candefeceris. Tunc enim ſaporem illum amittit & dat Salem rubicundè ſuavem, qui tutum præſtat remedium contra morbos omnes, ubi ſudato & purgato opus eſt. NB. Cauto tamen hîc opus eſt, ne ignem inter candefaciendum adeò augeas, ut viribus Salis nonnihil decedat; id quod accuratè obſervetur. Hanc Operationem priſci Philoſophi aſſimilârunt tali ignivomo Draconi, qualis ſibi ſuam ipſius caudam demorderit & in ſalutarem Medicinam converterit. Draco eſt Sulphur ardens, ipſius cauda eſt igneum Oleum, quod in Sulphur ardens delabitur atque in eo ſe in Medicinam efficacem convertit. NB. Credas mihi velim; in illis, quæ ego hîc paucis verbis aperui, Magna permulta eſſe recondita. Tu igitur ſi ſapies, rem profundius indagabis & longè plura invenies quàm hîc à me ſunt prolata.

Caput III.

Alius Ignis Philosophorum Arcanus, quo omnia venenosa ac fœtida Vegetabilia, Animalia atque Mineralia Subjecta mutantur ac parantur in Medicinam efficacissimam.

DEphlegma Spiritum Vini summè, ita ut ignis omnem accensi humiditatem absumat prorsus. Hac enim ratione consecutus fueris Ignem Secretum, cujus adminiculo res admirandas in Medicina patrabis.

Caput IV.

Ubi primùm exhibetur Medicina efficax ex hoc Vegetabili Igne ipso.

PAra tibi talem ex lapidosa terra ignibus lævigata, vel ex Metallo fornaculam, sub qua Ignis flammans possit ardere, attamen fumus nullus inde avolare, sed in illa se condensare in aquam vel oleum, atque inde in quoddam receptaculum effluere. Sub qua fornacula tu in quandam Scutellam terream aliquot semiuncias hujus Ignis subtilis infundas, accendas ac comburi sinas. Combusto jam Spiritu Vini, Sal Volatile tanquam incombustibilis, attamen Volatilis Mercurius Vini prodit, in receptaculo refrigeratur atque ita conservatur.

tur. NB. Quando Spiritus Vini fuerit combuſtus, magis magiſque affunde. Quantum utilitatis ex illo capere poſſit Medicina, ex facili colligas. Quia ipſe eſt immortalis atque incombuſtibilis Anima Vini. Quantum operæ in Alchymia præſtet, mihi nihildum eſt exploratum, utpote qui in eo non multum elaborârim. Baſilius de hoc Mercurio ſic ſcribit, quod quicunque illo potitus fuerit, palmam ferens inter Chymicos victor evaſerit. Ille, ut mea fert ſententia, calluit, quomodo hujus ope ſit ſua ex Auro Tinctura extrahenda. Sed de his jam ſatis.

CAPUT V.

Quomodo hujus Vegetabilis Ignis Secreti beneficio Microcoſmicus Mercurius corrigi, nauſeoſo fœtore exui, atque in Medicinam ſuavem converti queat.

SPiritum Urinæ, quantum ſummè potes, rectifica, juxta præſcripta à me fusè in Furnis. Huic Mercurio Animali adde ſui ponderis quintuplum aut ſextuplum noſtri Ignis Vegetabilis, quo imple aliquam Scutellam, expone igni ardenti ſub noſtro Alembico Philoſophico, & Ignis noſter exuret omnem fœtorem nauſeoſum Mercurii Animalis, ita ut gratus odore ac ſapore adſcendat. Quod ſi tibi nondum placuerit prima vice, altera vice eum committe Purgatorio, & fac eum tranſire; tunc inve-

invenies ſuavem Mercurium Animalem, cujus virtute res magnas in Medicina præſtabis; quippe qui violenter penetrat. Hinc Medicus ſedulus uſum ejus non ignorabit. Notum eſt, quod Spiritus urinæ in arcem Medicinæ conferat multum boni, à quo tamen ob inſuavem ipſius ſaporem vulgò abhorretur. Atenim quando ipſe Examen Purgatorii Philoſophici ſuſtinuit, tunc abſque fœtore in ſuum adſcendit cœlum, hoc eſt, Alembicum. Hujus quoque Purgatorii ope omnia alia fœtida, amara atque inſipida Vegetabilia, Animalia & Mineralia, Subjecta poſſunt purgari, ſuavia, dulcia & grata reddi, prout Exempla hæc ſequentia comprobant.

CAPUT VI.

Quomodo hujus noſtri Purgatorii adminiculo Anima Sulphuris emundari ac ſuavis reddi queat.

℞. Sulphuris commun. Tartari, Nitri ana libr. 1. pulveriſata benè commiſce, atque decrepita in crucibulo deſuper accenſo, alioquin enim fulminat; decrepitatum liquefac, effunde, reduc in pulverem atque extrahe Tincturam cum Spiritu Vini; combure Spiritum Vini ſub Recipiente, & quod adſcendit, in Medicinæ uſum tibi ſerva; quod autem in fundo remanſerit, ſuave & omnis fœtoris expers erit. Quia Spiritus Vini omnem fœtorem

exuſſit.

exuffit. Hæc utique Medicina eſt Diaphoreticum præſtantiſſimum.

Caput VII.

Quomodo Vegetabilis Ignis beneficio Tinctura ſeu Anima Antimonii ſit purificanda.

℞. Antimonii, Tartari, Nitri, ana. decrepita, funde, pulveriſa, & extrahe Tincturam, quam facias tranſire per Ignem Purgatorium, & remanebit tibi Medicina ſalutaris contra omnes morbos. Quod ſi deſideras præſtabiliorem, huic Antimonii Tincturæ, quæ jam ſemel Purgatorii examen ſuſtinuit, denuò tanti ponderis, quanti ipſamet eſt, Tartarum & Nitrum adde, decrepita, funde, extrahe, & fac ardeat, ut antea, & habebis Medicinam præſtantiorem. Præſtantiâ autem hanc longè antecellet illa, quâ gaudebis, ſi idem tertiâ vice egeris, dummodò volueris; ſingulis namque vicibus remanent fœces, unde Medicina tantò efficacior efficitur. Quemadmodum autem hîc de Sulphure & Antimonio factum eſt: Ita etiam omnia alia ôlida ac amarulenta Subjecta, immò vel ipſa fœtentia Animalium Stercora purificari poſſunt, ut exiſtant ſuavia. Cæterùm nulla flagitat neceſſitas, ut hæc amplificemus. Quippe quicunque inſignem Medicinam cupidiſſimè quæret, ex facili altius indagabit, quoaduſque tantum honorum ac bonorum inveniat, quantis deſiderio ſuo ſatisfaciat.

CAPUT VIII.

Qualiter mediante Vegetabili Igne *Ignes Minerales exstinguantur, corrosivaque ipsorum indoles ignea in dulcedinem convertatur.*

NOn ignotum est, Ignem majorem vulgarem semper minorem (quotiescunque alter alteri illorum admovetur proximè) vel extinguere vel languefacere: Idem item Ignibus Philosophicis contingit. Exempli gratiâ. Inde in Scutellam lapideam ℥j. Spiritus Salis, Vitrioli, Nitri, Sulphuris, aut alium Spiritum acidum, & 3. 4. aut 6. partes præstantioris Spiritus Vini, quem accendas, & Spiritus Vini flagrabit, Spiritus autem acidus mediante subtili flammarum igne in dulcorem degenerabit. Qui Spiritus dulces, & cumprimis ille ex Sulphure ac Sale magnas in Medicina virtutes produnt. Basilius Valentinus exarat de dulcificato Spiritu Salis, quod suam Auro Tincturam extrahat & quod illi, qui ipsum scit dulcificare, à Philosophis palma donetur. Idem condocet; Spiritum Vini inde septies esse abstrahendum. Abstractionem autem procul dubio non denotavit vulgarem, sed potius hanc Secretam, de quâ hîc tractatur à nobis. Quia non una vice Spiritus dulcescunt, sed aliquoties Spiritus Vini recens ex illis ope Ignis eliciendus est, antequam satis dulcescant.

C A-

CAPUT IX.

Alia ratio aliis adhuc Ignibus mediantibus maturandi, emundandi atque ſuavia reddendi Subjecta Vegetabilium, Animalium ac Mineralium.

NEmo noſtrûm neſcit, quod vulgaris ſeu noti Ignis natura atque proprietas ſit, omne Sulphur fœtens abſumere, Mercurium abigere & nihil reliqui facere niſi cinerem mortuum cum pauxillo ſalis fixi, id quod non eſt correctio, ſed ſaltem violenta deſtructio atque corruptio rerum bonarum. Quapropter eſt nobis adhibendus talis ad paranda Medicamenta eximia Ignis melior, qualis Sulphur non conſumit neque Mercurium abigit, ſed tantum maturat, mundat, ſuavitatemque ei conciliat, prout exempla hæc ſequentia comprobant. Primò faciamus tyrocinium de abominando Stercore humano, contemplantes, *Num ſuo illud* fœtore *privari atque* Univerſalis *ex eo* Medicina *parari queat.* Satis ſuperque conſtat, quod Animalium ſtercora ita cruda nondumque præparata, officium ſuum præſtent Medicinæ, prout ejuſmodi mos in Pharmacopœiis Galenicis jamdudum invaleſcit, ut præter cætera lepidè medicari præſumant morbum regium fimo anſerino, febres ſtercore equino; inflammationes inteſtinas aquâ deſtillata ex excremento vaccino, quam vocant *Aquam omnium florum*; anginam ſtercore canis albido, quod appellant *Album Græcum.* Super hoc feſtiva narratur

hiſtoria de quodam ruſtico laborante anginâ. Huic quippe ſcripſerat Medicus ſchedulam, quâ ipſum ablegabat ad Pharmacopœiam, petiturum Album Græcum. Chartula autem, quam tradiderat, inſpectâ, Pharmacopolæ puer inquirebat pyxidem, cui Album Græcum ineſſe ſolebat. Illa autem exiſtente inani, juſſit ut ruſticus aliquantiſper præſtolaretur; ſe namque ipſi mox affore conſulturum. Atqui ignarus celandi Secretum, excurrit eveſtigiò in cœmeterium, ubi aliquot albida Canum retrimenta colligit, quæ domum refert atque aliquantulum illorum in mortarium conjicit ad pulveriſandum. Quo conſpecto, ruſticus puerum his interpellavit: *Sepone quæſo iſta atque me juva dando neceſſaria; mihi quippe non vacat diutius opperiri.* Cui puer reſpondet: *Hoc ipſum eſt, quod tibi Medicus præſcripſit; Itaque exſpecta pauliſper, quia extempore erit ſat comminutum.* Ruſticus tum regerit: *Quid gannis, catillo? Numquidnam merdæ caninæ ego à Te argento mercarer? Domi meæ mihi iſtius abundè eſt. Tute igitur cum ipſo tuo Doctore iſtud oletum devorate.* Atque ita cum dicto ex Pharmacopolio indignabundus abiit. Complures id genus hiſtoriæ variè commemorantur, ex quibus perſpicias, ſtercora animalium, quantumvis adhuc cruda ac nihildum præparata, in Pharmacopœiis non inuſitata fuiſſe. Quæ quidem omnia niſi ad uſum Medicinæ facerent, jamdudum abrogarentur. Cæterùm ſtercus humanum, cui inter cætera meritò primas deferri oportuiſſet, in uſu Medico non eſt, idque

idque ob solam ipsius graveolentiam: Veruntamen ego vidi, quasdam vetulas illud febricitantibus (inscientibus tamen) Interius usurpandum dedisse atque ita febrim depulisse. Inter Chirurgos reperias nonnullos tantâ cognitione præditos, quod Sal stercoris humani solum generet putrefactionem, & verò è diverso cætera Salia præservent. Quocirca illis ad tales excrescentes carunculas utuntur putrefaciendas, quales ratione venarum internatarum præcidere reformidant. Stercus autem humanum (si Interius assumatur) sua præstare officia, nemo quisquam dubitet; at verò propter fœtorem gravem ab ipsius usurpatione abstinetur, atque idem à Medicina repudiatur: sin autem suo illud fœtore vindicaretur, utique locus aliqualis ipsi daretur, aliàs non item. Quamobrem ipsum Paracelsus tanti fecit, ut dixerit: *Illi cœlum ac terram esse occultam, cui stercus humanum sit incognitum.* Id quod condocefacit historia quæ in aula Cæsarea inter ipsum & Archiatros palatinos evenisse scribitur. Quippe quum Medici ipsum rogarent, ut post se ipsis Medicinale aliquod Experimentum relinqueret, Paracelsus Merdam humanam in medium supportandam curavit. Quâ conspectâ, illi præ indignatione convitiantes abierunt. Paracelsus autem respondit; *Aufugiant sanè, quippe qui sic satis se produnt indignos* Arcano, *quod ego ipsis aperire destinâram.* Ex quibus elucet, Paracelsum calluisse Oleta reddere usui idonea; quippe quæ procul dubio ipse nemini gustanda præbuisset, an-

tequam fuiſſent præparata, utpote cui alia medicamenta ad manum fuerint. Ut autem cognoſcatur, ſuum ſtercoribus fœtorem adimi poſſe, ſequentibus probatum dabo.

Homini ſano vegetoque duobus diebus ſe invicem conſequentibus nihil da comedere niſi modicè ſalſum eumque probè coctum panem ſecaliceum aut triticeum, & nihil da bibere niſi vinum bonum. Ejus autem excrementa his primis diebus duobus abjicias. Die tertio ille veſcatnr pane aliquo peculiari, cui incocta ſit ſemiuncia vel uncia mei ☉ ſanguinis. Pariter ille ſemiunciam vel unciam mei ☉ ſanguinis ſuo potui immiſceat, ut ejus ope illum colore imbuat rubeo, atque ita die tertio nihil comedat nihilque bibat, niſi quòd ſolo veſcatur hoc pane cui ☉ ſanguis ſeu Aurum redditum irreducibile fuerit incoctum, & Vino utatur ſolo, quod Tinctura auri coloravit. Deinceps quarti diei excrementa (quæ quaſi carbonis nigrore infecta eſſe oportet) in ſcutulam vitream immitti debent, hac tamen adhibita cautionis cura, ne qua admiſceatur illis urina, id quod eſſet noxium. Hæc quidem excrementa tetrum ſpirabunt odorem: ut autem ſuo eadem fœtore exuas atque in Medicinam Univerſalem convertas, hac via procede. Si illa excrementa libram unam penderent aut eam pondere aliquatenus ſuperarent, ſuperfunde ℥ij. Olei Sulphuris probè dephlegmati, vel eo tibi deficiente, tantundem valentiſſimi olei vitrioli rectificati, ſpatula agitatum ligneâ commiſce, ut Oleum Igneum excre-

menta

menta attingat; illud ſi per noctem exponas aëri, IgnisMineralisStercus illud Philoſophicè calcinabit & omni fœtore citra ullam ponderis diminutionem (quod mireris) privabit. Quod ſi fortaſſe nonnihil fœtoris in illo remanſiſſet, eidem etiamnum unam ſemunciam Ignis Mineralis adde & ſine adhuc ſtare per diem ac noctem. Deinde tibi quoque in promptu ſit Ignis Animalis, nempè Spiritus urinæ exactè rectificatus, de quo paulatim, non autem una ſimul vice, ſtercori tantum affundas, uſquequò ambo illi Spiritus contrarii in ſeſe invicem non amplius agant, ſed conquieſcant, tunc quippe illi duo Ignes colluctantes ſeſe invicem mortificârunt, unde Sal medium generatum eſt. Cui Mixturæ, quæ in phiola aliqua contineatur, tu quoque tantum *Ignis Vegetabilis*, hoc eſt, optimi Spiritus Vini ſuperinfundas, ut hic illam ad duorum digitorum tranſverſorum altitudinem tranſcendat. Quod vitrum in Balneum imponas, ut per XXIV. horas digeratur; tunc namque Spiritus Vini illud Sal, quod ex utroque Ignium Contrariorum enatum eſt, unà cum Sale, Sulphure & Mercurio Microcoſmico diſſolvet, atq; ex illo Auro ſecundâ jam vice inverſo Tincturam quam habet extrahet, atque inde inſtar ſanguinis rubri tingetur; quem decanta aliumque reaffunde, eique pariter XXIV. horas ad extrahendum in Balneo concede; parum autem Tincturæ acquiretur, cum illa ferè tota in Extractione prima ſit elicita. Hanc ſecundam primæ Extractioni addas in Cucurbita, atque in Bal-

neo per Alembicum Spiritum Vini perquam leniter abs Tinctura abſtrahas, tunc in cucurbita vitrea exiſtet Sal inſigniter rubicundum ac jucundum, cui tantum novi Spiritus Vini Aromatici ſuperinfundatur, quanto Sal omne ſolvatur. Quam ſolutionem ex cucurbita in Vitrum mundum ac validum transfundas atque pro Theſauro precioſiſſimo aſſervatam tibi habeas. Doſis ejus eſt exigua. Si enim ſingulis vicibus 1.2.3.4.5. aut 6. guttas imbiberis, urinam ciebit, & ſudorem juxta ac calculum potenter expellet. Quod ſi Doſis fuerit aucta, concitat ſedes atque purgat abſque omni moleſtia. In ſumma tutiſſimè hæc Medicina univerſalis in morbis quibuſvis uſurpari poteſt. Plura de hac Medicina perſcribere ſuperſedeo, ſtudens jam brevitati. Excrementa ſeu feces, ex quibus Tinctura extracta eſt, non ſunt abjicienda, ſed candefacienda, &, poſtquam ipſis fortis Aqua Regia fuerit ſuperfuſa, mediante calore Aurum reſiduum, quod nondum fuerit extractum, diſſolvendum; conſequeris tamen ejus parum, quippe quoniam Aurum antea ſemel inverſum ventriculus humanus etiamnum altera vice invertit ac reducibile fecit, ita ut à Spiritu Vini illud ope Mineralis pariter atque Animalis Mercurii extrahi potuerit. Non facilè crediderim, Diureticum ac Diaphoreticum reperiri poſſe præſtantius hoc ipſo *Microcoſmico* Sale quod *tinctum* ☉ eſt. Quantæ quippe Virtutis ſit hoc Diureticum ac Diaphoreticum, cogniturus, experimentum capias, ſi quando duntaxat Oleum Sul-
phuris

phuris acidum, aut eo tibi deficiente, Oleum Vitrioli rectificatum cum Spiritu Urinæ probo præcipitaveris atque in Sal redegeris. Quidni igitur Sal istiusmodi longè præstaret, simulatque Sulphur Philosophicè calcinatum, Sal & Mercurius Microcosmi unà cum Tinctura Auri accesserint? Ego de hac Medicina universali non eum in finem huc quicquam adscripsi, ut aliis illa anteferretur, quippe qui probè sciam, posse nos ex aliis quoque Subjectis eximia Medicamenta parare & stercore humano ex facili carere, sed quæcunque de illa tradidi, in salutem Reip. tradidi. Mea igitur pace, quicunque ab istiusmodi operatione amat abstinere, abstineat: mihi sufficiat, Mundo à me esse notificatum, quod Artis operâ possint omnia venenosa ac olida Subjecta emendari ac emundari.

Ad hunc modum Medicus assiduus beneficio 3. Ignium Principalium sibi multa Medicamenta præcedentia parare & præ cæteris Inertiæ colonis apud ægrotantes honorem magnum inire, & Dei hominumque gratiam consequi poterit. Ille enim *serpentum, viperarum* ac *scorpionum* Venenum potest invertere, atque in Antidotum tale convertere, quali resistititur pestilentiæ aliisque venenis. Ex *bufonibus* idem parare callet Medicamentum salutariter dandum Hydropicis: Ex *araneis* Medicinam medentem leprosis: Ex *Cantharidibus* & vermiculis majalibus aliquod Sal conducens contra calculos renum ac vesicarum. Ex *Lumbricis* seu vermibus pluvialibus Experimentum Venereum: Ex

Opio, Tabaco Hyoſcyamo, Somnoriferum inſigne: Ex *Abſinthio* Stomachiale atque Antifebrile: Ex *Helleboro*, *Agarico*, *Eſula*, *Catapotiis*, *Aſaro*, & *Scilla* atque conſimilibus *Sal Purgans Univerſale*: Ex *lapidibus percarum* & *oculis cancrorum* medicamentoſum Nephriticum contra calculos renum ac veſicarum: Ex *Napello*, *Staphiſagria*, & *Arone* eximium Antipodagricum. Hæc & id genus alia præſtabiliſſima & præſentiſſima Salia Medicinalia poſſunt iſthac ratione apparari; id quod ego in ſalutem infirmi generis humani celare non potui. Potuiſſem quidem uberius de hac Materia perſcribere, ſed brevitas, cui jam ſtudeo, eam verboſius exponere vetat.

CAPUT X.

De natura ac proprietate illius Ignis, qui in Tartaro ſeu calculoſis Vini fæcibus deliteſcit.

TArtarus eſt Sal, quod in fermentatione ſe à vino ſecernens, partim ad parietes vaſorum vinariorum adhæreſcit, partim cum fecibus in fundis ſubſidet. Hic Sal ſive Tartarus, etiamſi inter Salia numeretur, alienæ tamen eſt indolis à reliquis Salibus, quippe qui in aqua frigida ſolvi poſſunt, hic autem Tartarus in nulla frigente, ſed in ſola aqua bulliente diſſolvitur. Hujus autem duri vinculi cauſam hactenus nemo unus aperire voluit. Quum autem mihi jam indies, ut video, magis magiſque appropinquet *Mors ultima linea rerum*,

no-

nolui ego Secretum hoc mecum hinc in domum umbrarum auferre, sed malui illud in gratiam generis humani post me relinquere. Est autem cum illo comparatum ita. Tartarus in se continet peculiare Sulphur, quo sal ita ligatur seu figitur, ut similiter alteri cuipiam Sali in frigida solvi nequeat. Namque si Sulphur ab eo segregatum fuerit, ad instar Salium aliorum in frigida nullo negocio solvetur. Quamprimum verò ipsi tale Sulphur ademptum fuerit, suus quoque Ignis Arcanus, qui in ipso latebat, ipsi adimitur, atque deinceps non amplius vicem Ignis Secreti, quo mediante Metalla in Tincturas maturentur, obire potest, sed idoneus tantummodò est redditus ad præstandum suum in Medicina officium. De quo brevitatis jam colendæ gratiâ hîc nullam facimus mentionem. Ratio autem exuendi Tartaro suum coagulans aut tingens Sulphur, ut in frigida solvi possit, ita se habet: Comburendo 2. ℔ Tartari redige in Sal album, cui si superinfuderis aquam ad solvendum, abibit in lixivium. Quod lixivium affunde uni libræ Tartari, atque impone simul igniculo prunarum in fictili olla vitreata; coquantur; tunc Lixivium dissolvet Tartarum, & Sulphur ligans seu figens à Sale segregabit. Dein affunde partem aquæ vulgaris unam; coquantur simul adhuc semel, filtra per chartam; tunc in fundo feces Sulphureæ manebunt & aqua Tartari luteola transmittetur, super quam Acetum destillatum fundatur, ad mortificandum Lixivium. Quo peracto, Acetum

tum quoque apud utrumque Sal alterum coagulatur atque in Sal etiam mutatur, quod Sal in Medicina, Alchymia & artibus aliis multum opis ac salutis præstat; de quo ego si hic perscriberem, longus essem; multiplex autem ejus usus (Deo volente) in mea Centuria Tertia describetur. Destinatum namque hîc mihi non est, verbosè de hac Materia tractare. Fœculentum autem illum Limum, qui à Tartaro secretus adhæsit Filtro reses, nullus abjicias, sed fixare quæras. Tunc enim invenies aliquid mirandi & quidem plus quàm ego hîc propalare ausim. Quia ipse est germanus coagulator aquarum currentium, quippe quas indurat & insigni familiaritate conjunctus est Metallis & nominatim ☉, id quod ego cum admiratione expertus sum, quod videlicet ipse intra paucas horas albore tinxerit ☉ atque in Vitrum fragile converterit, cum tamen alioquin ☉ sit inimicum omni Sulphuri volatili. Non crediderim, ulli in rerum natura alteri esse hoc Sulphur mirificum virtute secundum. Enimverò magnâ pollet potentia coagulandi & indurandi Subjecta currentia. Nihil namque præter solum Sulphur habetur quod coagulet ac tingat. Mercurius & Sal non tingunt: Sulphur autem id facit. Contemplare quæso, quantarum in Mercurium virium sit Sulphur commune, utpote cujus I V. unciæ possint I. libr. Mercurii currentis coagulare in Cinnabarim duram ac rubram. Possunt etiam I V. unciæ Sulphuris vulgaris coagulare I I. vel I I I. libras olei quasi in

in durum jecur; poteſt etiam 1. libr. olei redigere x. libras lixivii in durum ſaponem; poſſunt quoque 1. aut 11. ſemiunciæ volatilis vaporis Sulphurei in venis ſubterraneis aquam ſerenam coagulare in duras petras ac lapides, necnon omnifaria Mineralia ac Metalla. Conſimiliter paucum illud Sulphur, quod in Tartaro habetur, poteſt multum vini acetoſi vel aquæ reddere durum tanquam hepar, prout notum eſt negotiatoribus aceti ac vini.

Mihi aliquando fuit animus ac conatus extrahendi ſuam Auro Tincturam beneficio Salium; inter quæ Salia quoque fuit Tartarus; unde meum mihi Aurum quidem prodiit omninò album ac fragile inſtar vitri; examinaturus autem (utrum alberet conſtanter ☉ meum nec ne) ego illud mediante ♄ cupellavi; ubi deprehendi, ☉ meum non permanere album, ſed ſuum priſtinum colorem flavum recepiſſe: albor autem ille non erat aliunde profectus niſi ex Sulphure Tartari tingente, quippe qui, quoniam fixus non erat, ex Cupellæ examine in auras avolavit. NB. Hinc quum ego paucum illius albore tincti ☉ fragilis minutim contrivi & ſuper pauxillum vulgaris Mercurii in crucibulo calefacti projeci, ſtatim ingreſſum eſt atque Mercurium coagulavit in grave corpus album, quod ubi catillo cinereo expoſui, Mercurius evanuit & ☉ duntaxat in ſuo colore remanſit. Rationem invenio afferendam hanc, quod memoratum Sulphur Tartari nondum erat fixatum. Tantum tamen mihi inde innotuit; illud apud ☉ in rubedinem

nem constantem fixari posse. Si cui datur tempus ac locus, ille poterit Opus hoc profundius rimari, quia in eo latet Arcanum Magnum. Quomodo autem alioquin sua Auro Tinctura sit extrahenda, postea docebitur. Tantum igitur de eo hac vice. Cæterum adhuc loci fuit hoc unum dicendum. Quicunque Sulphur Tartari cum Metallis Sulphureis conjungere & apud illa fixare callet, ille certè Tincturam consequetur, id quod Riplæus perspicuè significatum voluit, ubi dixit: *Se vidisse rubeum bufonem tamdiu totiesque bibentem de succo uvarum, donec ipsi ilia rupta sint.* Si cogitationem in hoc accuratiorem defixeris, mira (si te Deus suâ dignatus fuerit gratiâ) experieris; sin minus, persuadeas tibi, Te illis Secretis fuisse indignum. Tantum sit hac vice de admirando Tartari Sulphure dictum: plura, Deo volente, de eo agentur alibi.

CAPUT XI.

Progredientes jam ad Metallica Salia fixa, Mercurios volatiles & Spiritus subtilissimos, videamus, quantum illa polleant in Medicina; Et primò quidem ex Antimonio tanquam radicali succo omnium Metallorum.

℞. Mineræ Antimonii ℔. 1. minutim pulverisatam, Salis Armoniaci Secreti 6. aut 8. semiuncias, quas diligenter inter se permixtas inde in vitream Retortam lutatam; cui in furnum destilla-

ſtillatorium immiſſo, adhibeas Receptaculum, dando paulatim ignem, ut artis ac moris eſt, quominus vitrum diſrumpatur; tunc primitùs adſcendet pauculum Aquæ acidæ, dein candente Retorta, adſcendet ſpiſſum, pingue ac flavum Oleum, in quo reconditus eſt præſtantiſſimus Antimonii Mercurius, quem inde ſic ſeparare poteris.

Oleo flavo, deſtillato, ſuperinfunde Aquam vulgarem, quæ aqua ad ſe Salia trahet, & Mercurium inſtar flavæ, ponderoſæ ac ſplendentis calcis præcipitabit, quæ edulcorata & exſiccata tibi in futurum uſum aſſervanti, erit Purgans Univerſale. Doſis eſt perexiguæ quantitatis. Nunquam utor pluribus quadrante grani, unde alvo meæ (ſalva reverentià) concitantur 3. 4. aut 5. ſedes; robuſtiori autem homini exhibeo vel dimidium, vel unum vel duo grana. NB. Si Doſis exhibetur juſto auctior, hic Mercurius quoque Vomitum movet, perblandum tamen. Quod ſi illum vis reddere Diaphoreticum, inde abſtrahas Oleum Vitrioli rectificatum, & hic Antimonii Mercurius, qui antea liquabilis erat ſimiliter ceræ, fiet omninò fixus & illiquabilis, unde ab 1. 2. 3. ad 8. vel 10. grana propinare poteris; quæ quidem ſedes non commovent, ſudorem tamen citra ægri defatigationem eliciunt, & vicem Medicinæ benedictæ adverſus tales morbos omnes obit, ubi ſudato opus eſt. Caput mortuum ex Retorta exemtum, in pulverem minutiſſimum (quò enim contriveris minutius, eò conduxerit potius) redige & in phiala

Spi-

Spiritum Vini superfunde, crebrius agitando, (alioquin enim in vitro se verteret in duram massam lapidosam) commisce, atque in Balneo per diem civilem digere, tunc enim colorem rubeum Spiritus Vini acquirit, quem effunde, aliumque reaffunde, qui quoque inde extrahat, quantum poterit, dein Spiritum vini in Balneo à Tinctura satis leniter abstrahe, quæ instar Salis rubri in fundo residebit. Quod Sal est tantus in Medicina Thesaurus, quantus omni precio preciosior æstimetur. Corpus quippe totum illa similiter igni pervadit atque morbos perinde ac ignis ligna consumit. Qualiter enim vitiosi quid in corpore deprehendit, taliter operatur, expellens sudorem lotiumque, expurgans omnes malignos noxiosque totius corporis humores, atque summè emundans sanguinem, ita ut nullus credam, ex Antimonio posse nobiliorem hac Tincturam atque Sal elici. Ejus dosis est quidem parvæ quantitatis, sed magnæ efficacitatis, usqueadeò uti vel ex assumpto grano dimidio evidentem ejusdem operationem comperias. Hinc si quis patrumfamiliàs sibi duntaxat unam hujus Medicamenti drachmam comparaverit, poterit ejus ope per annum solidum non modò à futuris morbis multis semetipsum juxta ac suos præservare, verum etiam à cæteris jam passim grassantibus defensare; cujus ergò summa sit laus Deo.

CAPUT XII.

Hac ratione ex Auripigmento & Arsenico etiam paratur Volatile Oleum Mercuriale atque Tinctura Fixa.

℞. AUripigmenti libr. 1. Salis Armoniaci Secreti ℥iiij. quæ pulverisata commisce & destilla in Retorta per gradus volatile Oleum flavum corrosivum. Ultimò quoque adscendit in Retortæ collum Sublimatus rubicundus instar sanguinis, translucidus, idemque tam formosus quàm Rubinus Orientalis, cujus usus externus insigniter medicamentosus est contra ulcera atque affectus gangrænosos. Oleum verò illud flavum est medicamentum præsentissimum ad mortificanda omnia gangrænosa ulcera & ad præstruendum sanationi fundamentum, si quis duntaxat pennâ plumatâ inde allinat locum affectum. Quod si quis Aquam memorato Oleo affundat, illud Corrosivum, quod cum Auripigmento adscendit, separatur & Auripigmentũ in calcem flavam præcipitatur, quæ edulcorata ac exsiccata evadit tam forte Vomitivũ simul ac Purgans, ut Intrinsecus non temerè possit tutò assumi. Extrinsecus verò in vulnera deteriora inspersa, recens substruit sanationi fundamentum. Sin verò super commemoratum volatilem pulverem flavum abstrahatur Oleum Vitrioli rectificatum, illud fit tam fixum, ut citra fumi exhalationem vel violentissimi Ignis vim sustinere possit &

omne venenum ſuum amiſerit atque tutiſſimè ab 1.2.3.4. ad 6. aut 8. grana adverſus peſtem, febres omnes ac morbos tales, ubi ſudato opus eſt, uſurpari queat. Habet admirationem hoc Ens adeò volatile venenoſumque, quod ope unicæ Abſtractionis Olei Vitrioli poſſit evadere ita fixum atque in Igne conſtans. Neque verò minus admirationis habet, quod hoc Oleum non ſimiliter alteri cuipiam Oleo ex Mineralibus in formam liquoris adſcendat, ſed in ſpeciem cujuſdam pinguis Olei Vegetabilis, cum tamen ei nulla prorſus pinguedo inſit, ſed illud omne ex Auripigmento provenerit. Porrò non ſine uſu fuerit, docere etiamnum, quod memoratum Auripigmentum fixum (ſiquando ei mediante Mercurio Lunæ conciliatur Ingreſſus) ſuper candentem ♀ laminam projectum, eandem reddt ex toto albam & tam tractabilem quàm Argentum. Quæ cognita quamvis exiguum præſtent uſum, jucundam tamen Curioſitatem ſapiunt, quâ comperias, quod ex ♀ rubro album ☽ confici queat. Hac itaque ratione ex albo ac rubro Arſenico Oleum iſtiuſmodi Medicinale pariter atque Tinctura ad ♀ præparatur. NB. Quicunque in eo elaborare amat, ſibi caveat, ut venenatum vaporem evitet. Quippe Arſenici tractatio non vacat periculo. Ego quidem de Mercuriis Metallorum currentibus hîc quoque nonnihil ediſſerere potuiſſem; quum verò illa potius ſpectent ad Tranſmutationem Metallorum quàm conducant ad Medicinam, conſultum duxi, iſtiuſmodi in

hac

hac Tractatiuncula præterire & in Centuriis ſequentibus edere.

CAPUT XIII.

De ſubtilibus penetrantiſſimiſque Spiritibus Metallorum medicinalibus.

IN meo Libello Ignium, necnon Parte Pharmacopœiæ Spagyricæ Quinta ego quidem de Spiritibus Volatilibus nonnihil commemini, ſed præ brevitatis ſtudio Modum præparandi celavi. Quum verò animadverterim, iſtiuſmodi à pleriſque cenſeri impoſſibilia; operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi huc adſcripſero Eorum præparationem, idque tantummodò ex Metallo uno, ut nemo non videat veritatem traditorum. Quicunque cupidus eſt operandi, ex hoc uno tantum peritiæ diſcere poterit, ut ſibi non fuerit difficile educere ex aliis quoque Metallis Spiritus ejuſmodi volatiles.

Ratio præparandi Spiritus Metallorum volatiles.

℞. Filorum chalybeorum quibus aciculari ſeu acuum fabri uti nequeunt, ℔. j. quæ ita excandefacias, ut omne ſqualidum ac pingue inde exuratur, illiſque in cucurbitam vitream inditis, ſuperinfunde deinceps aquæ ſolventis ℔. 4. aut 5. impoſitaq; in Balneum vel arenam cucurbita, da ignem,

 quo

quo Aqua chalybem circumluens in cucurbita ſatis incaleſcat, non autem bulliat; tunc ferrum ſolvendum Aqua aggreditur; in hac quippe operatione Chalybs ſolvitur & fermentatur ad inſtar recentis cereviſiæ aut vini. In iſthac fermentatione ſubtiliſſimus quidam Spiritus Martis adſcendet ſine ullo corroſivo odorem ſpirans admodum fortem & ſapore pollens vehementer penetrante, quippe qualis Spiritus linguam ita penetrat, ut ſapor diu in ipſa reſideat, etiamſi quis os eluat; neque etiam inſuavis eſt. Penetrando corpus imbibentis de eo aliquantillum, elicit largum ſudorem, recludit obſtructiones epatis, ſplenis ac pulmonis, atque confortat ſtomachum ſpirituſque vitales. Conducit quoque inſigniter ſanitati aſſuetorum bibere vinum aquâ mixtum; vino quippe gratum conciliat ſaporem, idque longè melius quàm optimus quiſque fontium acidulorum præſtare poterit. Quod ſi quis hunc Spiritum per Rectificationem fortificare vel in anguſtum concentrare calleret, ille miranda beneficio ejus patraturus foret, qui quidem non tam facilè quàm Spiritus Vini concentrari amat, prout mox audiemus; veruntamen factu poſſibile eſt.

Aqua præparatur hoc modo.

℞. SAlis communis ℔. j. quam in 4. aut 5. ℔. Aquæ vulgaris diſſolve, eique affunde ℔. dimidiam Olei Vitrioli, quod ſuperinfunde filo chalybeo,

lybeo, atque inde Aquam destillando separa; tunc nulli Spiritus acres cum Aqua adscendent, sed omne corrosivum remanebit apud Martem,& non nisi volatilis Spiritus corrosionis expers adscendet. Admirationem autem movet, quod ex ejusmodi duro ac fixo Metallo ope caloris tam lenis adscendat Spiritus talis fugax ac penetrans. Admirationem verò majorem movet hoc, quod hic albus volatilis penetransque Spiritus intra horas paucas sese in fixam rubeam Tincturam vertere valeat, prout hoc Miraculum incredibile tu verum esse comperias hac ratione.

Ultra medietatem imple cucurbitam vitream nostro Spiritu Martis, cujus tamen non minus 5. aut 6. ℔. capias; quippe quoniam alioquin Specimen Probationis foret justo minus; impone illam cum suo alembico lutato in arenam, evoca seu destilla ferè omnem aquam per adscensum, ita ut saltem libra dimidia in fundo remaneat; ignem extingui sinas; quod adscendit, ex Recipiente exime, pauxillo præditum sapore similiter aquæ pluviali, idque inde cum Spiritus Volatilis in hac Abstractione seu décoctione fuerit ab Aqua segregatus atque vicissim in Corpus fixum, nempe rubicundissimum pulverem conversus. Qui pulvis ruber quidem vera est Tinctura, nullum tamen in Metalla habet Ingressum, nisi quis ipsi mediante Auro detur. Hinc impletur dogma Philosophorum condocentium ita: *Fixum fac volatile, volatileque redde fixum.* Quid quæso fixius ferro? Quid volatilius

ipſius Spiritu? Quid denique in Igne conſtantius quàm Spiritus rurſus fixatus in rubram Tincturam. NB. Quandocunque vitrum cum Aqua remanente, cui ineſt pulvis ruber, agitando turbatur, Aqua videtur eſſe cærulea, qui color cæruleus non niſi à Tinctura oritur, quæ in atomos minutiſſimos diſſipata eſt. Quum verò Tinctura rubicundum ſanguinis colorem referens rurſus in imo ſubſederit, Aqua viciſſim ſuper illum extat alba. De hoc Sulphure flammeo ſic loquitur Coſmopolita: *Quum Philoſophi ſuum Sulphur ex tenebroſo ipſius carcere liberarunt & in ſuo ipſius mari natans ſpectant, illud adorant*, id eſt, *ipſius pulchritudine lætantur*. Quicunque verò boni quicquam perficere connitetur, illum oportet ſibi antea bonam hujus noſtræ Sulphureæ Aquæ quantitatem comparâſſe, quia in 10. ℔. hujus Aquæ non multò plus uno ſcrupulo noſtri Sulphuris reconditum habetur, id quod ſuo etiam filio Avicenna commendavit, ut Opus illud non prius ordiretur, quàm ſibi procurâſſet LX. libras Aquæ noſtræ. De quibus Braceſcus etiam præclariſſimè diſſerit, quantumvis ipſe à Tauladano refutetur, quippe qui, præ nimia ingenii ſubtilitate, ſcilicet! capere nequivit, boni quicquam in deſpicato ferro craſſo latere. Bonus autem ille vir Tauladanus non magis Braceſci mentem intellexit quàm Ferri naturam cognovit. Si quis captus fuerit amore elaborandi quicquam in hoc Subjecto, ille Braceſcum legat, à quo ſat benè informabitur. Ex illo autem plerique ſuxerunt errorem, quid Braceſcus

cescus sub calcem sui Libri memorat; *Se non loqui de ferro vulgari, quod vi ignis fortis excoquente in ferrum reduci queat, sed tale ferrum esse eligendum, quale Ignis fortis virtute sese verterit in vitrum prasinum aut cæruleum.* Ubi simpliciores Lectores nudam literam secuti in vulgaribus ferri squamis Tincturam suam quæsiverunt, at irrito conatu. Ego hîc innuo cæruleam aut viridem scoriam, quæ excoquendo non amplius in ferrum reduci potest, puta siquando quis nostrum fixumSulphurBorrace mixtum vi Ignis follium fuderit; tunc nullum prorsus ferrum reducetur, sed in vitrum prasinum convertetur, id quod non præstabit Crocus Martis, seu aliud quiddam ferrum destructum, sed in reductione semper aliquod ferri granulum contribuit, quapropter inde nulla Tinctura confici potest. Quodcunque enim vi tingendi pollet, Metallum esse non debet, juxta concors Philosophorum omnium testimonium. Si quis quicquam eximii indagat, discat Artem concentrandi illum quâ Concentratione ipse in sua virtute multiplicatur. Hoc pauculum de Spiritu Volatili atque Sulphure Martis fixo ego hac vicè in salutem publicam communicatum volui. Totum Opus neque difficile, neque sumptuosum est, cum unum idemque Menstruum perpetuâ continuatione iterum atque iterum usurpare possimus neque sumptibus (qui per se sunt facilè parabiles) novis opus sit. Quæ accuratè notanda sunt, prout ingeniosissimus ille vates Virgilius perspicuè innuit his versibus:

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus
Junoni infernæ dictus sacer, hunc tegit omnis
Lucus & obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit, primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit Virga Metallo.
Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu, namque ille volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Ex his evidenter apparet, quod quando unus ramus aureus ex stipite arboris decerptus fuerit, alter sequatur, & non tantum unus atque alter, sed quotcunque decerpere volueris, ultrò sequantur, si modò Superi cœpta nostra secundaverint, sin minus, conatus omnis erit frustraneus; quinetiam impossibile erit, duro ferro sive ex duro ferro tanquam ex aurifera arbore ramusculum acquerere seu decerpere. Hæc tecum voluta animo. Quippe sat perspicuè dictum est, quibuscunque Deus aures atque oculos aperit.

CAPUT XIV.

De præparatione Volatilium seu subtilium Spirituum Metallorum reliquorum atque eorundem usu.

NB. HIc labor conficiendi Spiritus subtiles ex fixis Metallis & reducendi Spiritus Volatiles in fixa Corpora; Tabulam Hermetis tam fundamentaliter explicant, ut vel pueri intelligant. Quinetiam comprobat veritatem illius Aphorismi Philosophis ad unum omnibus unanimiter decantati: *Fax fixum volatile & Volatile fixum.* Cui Deus benè cupiet, facilè capiet: cæteris verò permanebit occultissimum, etiamsi ipsis sit luculentissimè præscriptum. Nullus dubito, quin hoc Opus (simulatque hæc mea Scripta interjectu temporis in manus diligentissimorum Investigatorum pervenerint) altius indagabitur, & invenietur via longè propior illâ hic à me descripta, cujus beneficio Sulphur Philosophorum ex carcere suo caliginoso, ubi validissimis vinculis ferreis illigatum tenetur, liberari queat. Mulcet animos admiratione, quod ex istiusmodi tenebricosa ac umbrosa arbore nigricante tam pulchri ramusculi aurei decerpi possint. Quamvis autem illi (qui Philosophi non sunt, sed haberi volunt, dum splendido amictu magnificè incedunt) præ cæca superbiâ videre nesciant, quæcunque hîc dilucidè conscripsi, videbunt, tamen

illa opifices lineis induti veſtibus & in ſua ipſorum ſimplicitate elaborabunt. Quibus conantibus ſuam Deus largiatur benedictionem. Quemadmodum ego hîc docui Rationem educendi penetrantes Spiritus Volatiles ex contempto ferro vetuſto & reducendi Spiritus in Corpora fixa tingentia: Ita ex aliis etiam Metallis illa parari poſſunt. Equidem Metallum unum altero aptius eſt operationi iſtiuſmodi atque unum altero promptius ſuos de ſe largitur Spiritus quàm alterum, Spiritus tamen ejuſmodi, ex Metallis omnibus elici poſſunt, veruntamen ope diverſarum Solutionum. Quæ enim aqua ſolvit Aurum, indiſſoluta relinquit argentum, & quæ ſolvunt argentum, non diſſolvunt aurum. Sal commune & halinitrum cum aqua & oleo vitrioli, potius verò Sulphuris, ſolvit Aurum ♂. ♀. ♃. Nitrum Aqua & oleum Sulphuris ſolvunt ☽ ac ♀. Acetum vini acerrimnm ſolvet ♄. Spiritus Auri coagulat Mercurium in ☉. Spiritus Argenti coagulat eum in ☽. Hi ambo Spiritus ſunt Medicinales; Spiritus ♀ & ♃. ſunt ſaporis ac odoris faſtidioſi atque ideo ad Medicinam inidonei. Spiritus ♄ eſt merum venenum penetrans, ſeu Aqua quæ odore ſuo Spiritnm vitalem ſuffocaret; quapropter ab eo ſibi quiſque ſedulò caveat; utpote cujus uſurpatio non vacet periculo: alioquin ipſe Spiritus in Metallicis antecellit omnes. Neque etiam ego crediderim, nos facilius Tincturam, quâ Mercurius coagulandus ſit, parare poſſe, quàm adminiculo Saturni frigidi atque viventia omnia necantis, dummo-

dummodò cautè tractetur. His claudo acta de Spiritibus, quippe de quibus quidem etiamnum plura dici possent; sed non videtur sapientis esse consilii, porcis objicere margaritas. Quinimò autumo, me jam plus justo in commune contulisse; sed verò Deum esse subtilissimarum quarumque rerum fidum propugnatorem ac moderatorem, probè annotetur.

CAPUT XV.

Quomodo beneficio Magnetis ex aëre extrahatur Medicina Universalis.

SAtis notum est, quod recondita in Aëre sit rerum omnium vita, sine quo Spiritu seu Anima Mundi nihil in hac rerum universitate vivere nec crescere potest. Varias autem Philosophi antiqui vias, quibus ille Spiritus è longinquo nobis propinquus reddatur, excipiatur & palpabilis exhibeatur, inquisiverunt & tandem invenerunt atque ejus beneficio in Medicina simul ac Alchymia res magnas præstiterunt, idque ita maximè, prout unus melius altero illum intercipere atque concentrare scivit. In hac quippe Concentratione Ars consistit tota. Quum igitur & mihi Dei gratiâ nonnihil de consimili Concentratione Universalis Spiritus Vitæ Macrocosmici innotuerit, ego nolui, more non neminis invidi aut avari, istiusmodi donum Dei mihi soli servare atque hinc mecum in tumu-

tumulum auferre, ſed malui in generis humani ſalutem, proximi utilitatem & amplificandum Dei honorem de eo quicquam participare, attamen non plus æquo ac bono. Quippe, docente Chriſto, nefas eſt eripere panem è filiorum manibus & objicere canibus. Si cui animus eſt educendi quicquam boni ex aëre, illum antea oportet eſſe inſtructum Magnete probo, atque ſibi deligere locum ac tempus opportunum. Enimverò tempeſtate humida nil niſi Aquam inutilem ex aëre extraheres. Quapropter hunc laborem extrahendi nolit quiſquam ſuſcipere niſi æſtate adultâ ſeu mediâ, quando aër illucet ſerenus, nubis omnis vacuus atque ſolis ſplendore calidus. Quippe tali cœli facie Magnes, quem ad ſolem ſuſpenderis, illicò è calidis Solis radiis extrahet Aquam medicamentoſam, quâ pro ſuo quiſque captu uti ſciet. Sciendum quoque eſt, quod varii quidem Magnetes reperiantur, quibus mediantibus Aqua ex aëre calido extrahi poſſit, non autem omnes faciant ad noſtram Medicinam univerſalem; Veruntamen mihi nonnullos illorum vulgarium Magnetum huc ſubjicere placuit.

Magnes I.

IMple 3. 4. 6. plus minus libris Mercurii lapideos cantharos læves aut vitra fortia, quæ vitra ſi obligata demiſeris in profundum puteum frigidum, Mercurius in ſe frigus concentrabit. Si porrò appetis extrahere Aquam ex aëre, ſuſpende frigentem iſtiuſ-

iſtiuſmodi cantharum Mercurio plenum ad aërem, ubi confeſtim Aquam ad ſe trahet ſtillans, cui infundiculum vitreum oblongi tubuli ſupponatur, quo deſtillans Aqua excipiatur & per tubulum à ſole calido in cellam frigidam deferatur. Quod niſi fieret, Sol deſtillatum Spiritum aëris rurſus ad ſe alliceret. Magnetem poteris relinquere tantiſper ſuſpenſum, dum friget & Aquam de ſe deſtillat; quamprimum verò non amplius ſtillat, illum rurſus in puteum frigentem demerge, ubi frigorem ſuum recuperabit. Interim in ipſius locum ſuſpende alium idque toties repete dum ſat Aquæ collegeris.

Magnes Alter.

ALiquot cantharos vel vitra tali Aqua impletas ad ſolem calentem ſuſpende, quæ ſuapte ſponte ibi tantum frigoris contrahent, ut vel manus admota vim ejus vix ſuſtinere poſſit. Illi, prout ſupra commemoratum eſt, Aqua adhærebit & in Excipulum ſtillabit.

Aqua frigida ſic paratur: In Aqua vulgari aut Spiritu Vitrioli ſolve tantum Salis Armoniaci & Saliſpetræ āā, quantum eo ſolvi poteſt. Hac Aqua Vitra tua comple, illiſque ratione ſupra dictâ, Aquam ex aëre extrahe. Tunc quippe illa erit paris cum priore virtutis. Quod ſi quid præſtabilius ex aëre extrahere quæris, præſtantiores quoque ei exponas Magnetes. Prout enim eſt Magnes, ita extrahit.

C A-

CAPUT XVI.

Aggredere itaque opus ita.

APpara tibi per campanam 3.aut 4. ℔. Olei Sulphuris,quas rectifica,ut evadat probè ignitum. Deinde curabis tibi conficiendum compagem ſeu Extentorium ſimiliter arcæ, quod panno lineo ita obducas, ut per illud nullus pulvis, ſed ſolus aër ſe penetrare poſſit. In quam ciſtam tu tuum rectificatum ſeu dephlegmatum Oleum Sulphuris in diverſis ſcutulis diſtributum ita imponas, ut ſcutulæ non niſi ad medietatem ſint repletæ. Relinque has ſcutulas per triduum aut quatriduum, vel tantiſper interdiu ac noctu aëri expoſitas, dum Oleum Sulphuris ad ſe tantum Aquæ, quantum fuit ipſum, traxerit ſcutulaſque compleverit. Quo facto, ſcutulas omnes effunde ſimul in cucurbitam vitream atque inde humiditatem omnem in Balneo igne moderato deſtilla. Oleum in fundo reſtans rurſus in ſcutulis aëri tantiſper expone, dum tantum Aquæ extrahat, quanta ſcutulæ fuerint completæ. Aquam inde rurſus abſtrahe atque extrahendo tandiu procede, donec ſat aquæ acquiſiueris. Hæc Aqua omnes pervadit Tincturas, tametſi eam ego nondum conſummaverim. NB. Optimum autem quodque, quod Magnes ex Aëre eduxit, remanet apud Magnetem ſeu Oleum Sulphuris tanquam veram Matricem ſuam, in qua nutritur ac matura-

maturatur, prout perantiquus Hermes ceu Pater omnium Philoſophorum in Tabula ſua Smaragdina his verbis præſcripſit: *Hic eloquitur Anima Mundi. Pater meus eſt Sol; Mater mea eſt Luna; Ventus ſeu Aër me in ventre ſuo occultè geſtavit: Terra me concepit ac peperit, atque mea eſt nutrix*, &c. Spiritus Mundi nullos poteſt parere fructus, niſi proſeminetur in idoneam Matricem, quippe quoniam abſque Matrice nihil in Mundo progigni poteſt. Animæ Mundi autem noſter hic Magnes eſt matrix omnium gratiſſima & Spiritui Mundi amicus maximè conſanguineus. De quibus quidem multa dici poſſent; ſed non eſt neceſſe, Corvo ignavo pultem præmanſam in os ingerere; evolet ipſemet quæſitum. Hic circa hoc Opus evadit verum, quod Philoſophi dixerunt: *Natura naturâ gaudet, Natura naturam vincit, Natura naturam retinet*. Adhuc loci reſciſcas & hoc, quod Hermes ſub finem Tabulæ ſuæ ait; nempe: *Vis mea non prius eſt integra ſeu perfecta, quàm verſa in terram fuerit*. Quomodo autem hoc fiat, ſuâ quiſque cogitatione perficiat. Fuſius namque de eo diſſerere prohibet impii Mundi moderni indignitas. Quibuſcunque Deus benè cupit, illis hoc ſatis perſpicuum erit. Plura de hac Materia (Deo volente) propediem alibi edocebuntur.

CAPUT XVII.

Quomodo sua Auro Tinctura beneficio Magnetis extrahatur.

℞. Semunciam Auri puriſſimi necnon unciam conflati ex chalybe Reguli Antimonii ſtellati, quæ ambo ſimul fundas in crucibulo cooperto; deinde identidem injice aliquantulum Salispetræ ſicci iterando, donec halinitrum ex Auro Regulum Antimonii omnem abſtraxerit atque in ſcorias converterit; ſine adhuc aliquantiſper benè fluere, ut Aurum à ſcoria (quæ inſtar aquæ fluat) fundum petens probè ſubſederit. Tunc effunde in conum fuſorium ubi Aurum ſe in Regulum induet, qui à fecibus ſeparetur. ☉ Regulus multò pallidior egredietur quàm antea fuit. Si hoc ☉ pallidum rurſus cum memorato Regulo Martiali fundatur & Regulus ope halinitri inde abſtrahatur, Aurum egredietur aliquantò pallidius quàm priore vice apparuit. Hæc operatio ſi minimùm octies, decies aut duodecies fiat, comperies, Aurum tandem propè in albedinem abiiſſe atque ſuam ipſi Tincturam ope Reguli extractam eſſe. Tinctura ☉ eſt in ſcoriis recondita, quæ beneficio cujuſdam Salis Antipathetici ex fecibus liquefactis ſimiliter Regulo ſummè tincto præcipitanda eſt. NB. His tamen caſibus Præcipitatio cautè tractetur, ita ut Regulum unà ne præcipites & Tincturam vities. Ad hanc

quoque

quoque Extractionem nullus conducit vulgaris Regulus, ſed talis potiſſimum, qualis è chalybe probo confectus hac gaudet indole, ut, ſi quando ſilex ei allidatur, ſcintillæ igneæ inde diſſultent, haud ſecus atque ab indurato chalybe. Cujus virtutis ſi fuerit expers, rectè Auri Tincturam non ad ſe extrahet; ſed operâ navabitur inanis. Hanc Extractionem Coſmopolita in ſuo Novo Lumine Chymico perbenè deſcripſit & patefecit his verbis: *Habetur Chalybs præditus potentiâ extrahendi illud ex Solis radiis quod multi quæſiverunt, at pauci invenerunt.* Porrò ſic inquit: *Datur adhuc alius Chalybs, qui Auro, ſicubi undecies cum ipſo unitur ſeu coit, ſemen ejus extrahit atque inde imprægnatur; Aurum autem ad mortem uſque infirmatur. Cæterùm Chalybs ſeu Magnes pariet filium, qui erit præſtantior patre ſuo, videlicet Auro, unde prognatus eſt.* Quicunque hunc Magnetem (de quo Coſmopolita commeminit & cujus parandi anſam ego hîc ſubminiſtravi) cognoſcit vel illo uti callet, biduo aut triduo tanta conſpiciet ac comperiet, ut præ gaudio cor ipſi ſaliat. Si quippe ipſe oculos habuerit Philoſophicos; ſin minus, non magis gaudebit ac porcus, qui inter ſuum vinaceorum pabulum deglutiverit inæſtimabilem margaritam aut gemmam, utpote qui neſciat, quantum unio diſtet ab oleto.

Caput XVIII.

Qualiter sua Auro Tinctura Methodo alia seu beneficio cujusdam Chalybis alterius extrahatur.

PRimò tibi para Viridem priscorum Philosophorum Leonem ex Subjectis Sulphureis ope mei Salis Mineralis. Viridi huic Leoni objice Solem, hoc est, Aurum purum, quod ille præ aviditate grandi continuò ingurgitatum devorabit atque inde sibi conciliabit insigne robur, potentiam ac venustatem. Totum enim ipsius Corpus inde renovatur. Caput cum parte corporis anteriore læviter nitebit crine anthracino perquàm similiter capiti corvino: Cauda verò cum parte corporis posteriore sortietur multifarios colores bellos genuinam referentes formam iridis seu caudæ pavoninæ, & simulatque viridis Leo Leonem flavum seu Solem in suo ventriculo sat concoxit ac digessit, per secessum excernit residuum, quod erit expers coloris seu sanguinis. Deinceps Leo superbus variisque coloribus venustis condecoratus ad aquas abit, quibus se immergit atque cunctos suos sibi colores abluit & totus evadit albus instar oloris; quem olorem album coquus ad ignem assat; ubi cygnus ille albus primò flavescit, deinde magis magisque rubescit, quoad usque Ignem tandem ferre, atque similiter Salamandræ sine ullo damni periculo in eo vivere valeat. Hæc rubra Salamandra neque

neque debet neque poteſt eſſe niſi præſtantiſſimorum Medicamentorum unum, quæ humanâ arte ac manu parari poſſunt. Huic operationi ego non niſi ſemel incubui, atqui memoratorum iſtorum omnium colorum alteri poſt alteros conſequenter mihi apparuerunt uſque ad Salamandram rubentem, quæ eſt præſentiſſimum remedium contra morbos quoſlibet. Quid autem in Chymia præſtet, mihi nondum cognitum eſt, utpote qui ſalutari Medicinâ contentus ſim; Avaris autem, qui temporale & corruptibile Aurum atque Argentum vanum pluris æſtimant quam animarum ſuarum ſalutem, Aurum committamus omne, ut eo accumulato ſe tantiſper obruant, dum ſub onere fatiſcant.

Caput XIX.

Alia adhuc Ratio extrahendi ex ☉ Tincturam.

℞. NOſtri exſiccati rubei ☉ ſanguinis in forma pulveris irreducibilis 1. ſemunciam aut unciam, Salis Mirabilis Sulphurei fixi, 5. 6. aut 7. uncias, quorum utrumque permixtum ſimul projice in crucibulum validum, quod coopertum impone in fornaculam ventoſam, dando ignem ut ſimul quaſi ſemihoræ juſto ſpacio inſtar aquæ probè fluant, atq; deinceps effundas in catinũ ferreum, dum Sal mirabile à Tinctura Auri traxerit colo-

 rem

rem ſanguineum.* Mixturâ frigefactâ, Regulum à rubro recremento ſepara, qui albebit inſtar ☽. Scoriam rubentem ſeu tinctum Sal Mirabile pulveriſa, cui ſi affuderis Aquam vulgarem, Aqua hæc diſſolvet tinctum Sal Mirabile, non quidem colore imbutum rubro, ſed ſubviridi: trajice per filtrum & ſine Aquam inutilem in vitrea ſcutula inde evaporare, & remanebit in fundo Sal rubens, quod Sigillo Hermetis vel Luto Sapientiæ probè muniatur, & ad tempus ſufficiens in continuo prunarum igne detineatur; tunc quippe Sulphur adhuc immaturum ſe apud ☉ fixabit & in igne conſtans evadet. A quo Luto Sapientiæ poſtea fixam Tincturam adminiculo Magnetis idonei abſtrahere & in Medicinæ uſum adhibere poteris. NB. Viridis illa Aqua ſalſa in quo deliteſcit rubedo, Mercurium coagulat in ☉, non quidem ad opulentiam, ſed tantùm ad cognoſcendam ejus beneficio poſſibilitatem. Limus rubeus, unde Sal beneficio Aquæ extractum eſt, è filtro eximatur, novo Sale Mirabili miſceatur & dando ignem, in crucibulo forti per ſemihoram ſinatur bene fluere, tunc etiamnum plus Tincturæ extrahetur atque rurſus quoque albus ☉ Regulus ſubſidebit. Quod ſi quis ita tertium operabitur, Tinctura quoque erit proba atque iterum Regulum album demittet, non tantulum tamen, quantulum prima ac ſecunda vice.

CAPUT XX.

Qualiter ope cujusdam Salis Metallici ex Venere filius ipsius Cupido *seu potius* Mercurius Philosophorum verus *possit unius diei spacio ita parari, ut Cupellæ examen sustineat, & quidem sit neque ☉ neque ☽, veruntamen Tinctura longissime patens ad Subjecta quædam alba.*

MOdum procedendi quod attinet, ego quidem filiis Artis libenter dedissem ansam perveniendi ad illud: sed verò est res tam facilis operationis, ut eam vel Libellorum famosorum fabri & fratres Ignorantiæ intelligerent ac perficerent, siquis scribendo duntaxat pauxillum ejus ipsis aperiret. Inconsultum autem est, talem margaritam nobilem porcis objicere. Quocirca ego fundamentaliter de eo scribere prohibeor: nihilominus tamen ut Mundo innotescat, istiusmodi Tincturam in rerum natura dari & ex rebus parvæ æstimationis posse parari, operæ precium me facturum reor, si nonnihil pauculi de eo patefecero.

℞. Arsenici irreducibilis fixi & Mercurii Lunæ āā ℥viij. quas ambas species si diligenter inter se commiscueris, habebis eximium pulverem cæmentatorium quo mediante Arcanum hoc perficias, puta sic; ℞. ♀. Cuprearum bractearum malleando tenuatarum frustillatimque concisarum ℥iiij, quas cum pulvere cæmentatorio supra

 memo-

memorato, faciendo S. S. S. ut moris eſt, imponas in pyxidem cæmentatoriam intrinſecus vitreatam, cujus operculum deſuper lutabis, eamque in fornaculam cæmentatoriam collocabis, aut eâ deſtitutus, ſaltem in focum inter lapides, ubi tot carbones circumponas, ut pyxis ſit benè cooperta; deſuper ignis paulatim accendatur & candeſcat; inter quas prunas candentes cœmentum per 10. aut 12. horas detineatur. Deinde ignis ſinatur extingui & pyxis infrigidari; ex qua ſi cæmentum exemeris, comperies, quod volatiles ☽ Spiritus Arſenicum fixum ad ſe aſſumptum in cupreas bracteas induxerint, illique ſimiliter argento alborem conciliarint. Hoc cæmentum unà cum ♀ bracteis albis commixtum ſale Alcali vel Tartaro uſto, in furno anemio ſimul funde in probo crucibulo, mixtionem effunde in conum; fac frigeſcat; de recremento præcipita Regulum, qui erit albus velut ☽; album hoc ♀ cum ♄ expoſitum catillo cinereo, cupellabis; tunc illud quod ☽ non eſt, cum ♄ ingreditur in Cupellam, Mercurius autem fixatus remanet ſuper cupella: granula illud atque ſolve mediante 🜄; tunc ☽ quidem ſolvetur, Philoſopicum autem ☉, ſeu potius Mercurius Philoſophorum in fundo inſtar calcis cinereæ remanet indiſſolutus; quod edulcoratum ac reductum abit in grave Corpus Metallicum facie, colore ac duritie perquam ſimile Plumbo vulgari ac noto, quod à Spagyricis dicitur *Plumbum Philoſophorum nigrum*. Plumbum hoc nigrum ſuſti-

ſuſtinuit Examen Cupellæ, quod tamen eſt neque ☉ neque ☽. Enimverò ſi illud eſſet ☽, ab ▽F eſſet diſſolutum; ſin verò eſſet vulgare ☉, infectum nullo Plumbi colore eſſet. Neque etiam poteſt eſſe Cuprum neque Arſenicum, quia alioquin haud ſuſtinuiſſet Cupellæ examen. Manet ergo, quod juxta Poëtarum fabulas ſit puer Cupido ceu filius Veneris. Quum enim Dii vidiſſent, quod Vulcanus ceu filius Jovis & Junonis adeò niger atque deformis eſſet prognatus, curâruut eum in inſulam Lemnum abducendum, atque ibidem à ſimiis (hoc eſt, hominibus ſeu Philoſophis naturam imitantibus) lavando formâ pulchrâ induendum, enutriendum & ad virilem ætatem educandum. Qui deinde Venerem duxit uxorem, ex qua Apollinem progenuit. Quicunque plus informationis de hac Materia deſiderat, legat ingenioſum *Johannis Braceſci* Tractatum de *Ligno Vitæ*, ubi multa Arcana Magna revelantur & obſcura Poëtarum pariter atque priſcorum Philoſophorum Scripta explicantur.

Hîc ego paucis verbis unum maximorum Arcanorum promulgavi: niſi igitur quis fuerit talpâ cæcior, facilè contuebitur, quid ſub his lateat: Sin autem vel naturâ vel ſuperbia adeò cæcutiat, ut hæc videre nequeat, ego ipſi mederi neſcio, utpote qui hunc Mercurium Philoſophorum nondum periclitando adhibuerim ad Tranſmutationem Metallorum. Quod autem ſcripſi, illum ad Corpora alba eſſe Tincturam longiſſimè paten-

D 4 tem,

tem, id ego aliquoties periclitatus ſum, veruntamen non niſi in vitro albo, cujus una pars partes aliquot. 1000. tingit rubore Rubini, vitro autem ſua permanet durities. Quod ſi vitrum unà cum pulchro ſuo colore etiam duritiem conſequeretur, hujuſmodi Tinctura eſſet æque bona ac ſi ipſa ☽ aut Mercurium in ☉ tinxiſſet. Pluris enim æſtimatur rubinus probus unam pendens unciam quàm 16. unciæ vel potius libræ Auri. Ea diverſo vitrum, quantacunque pulchritudine tingatur, non niſi vitrum manet & valere ad nihil aliud poteſt niſi ad exornandas quaſdam picturas atque imagines. NB. Si quis autem ex hoc Vitro tincto Tincturam extrahere calluerit, præſtabiliſſimam Medicinam Univerſalem obtinebit. Licet enim hic Mercurius Philoſophorum ſemel Cupellæ examen pertulerit, hoc tamen non niſi ope Argenti evenit, quod ipſum à Saturno brephophago defendit, quominus ab eodem abſumptus ſit. Quum verò ipſe jam mediante 🜄 à ☽ ſeparatus ſit, defenſore deſtituitur, & viciſſim in ſuæ matris uterum ingredi cogitur, ut ibidem maturetur & deinceps denuò renaſcatur. Quippe quælibet arena aut ſilex unde vitrum conflatur, eſt matrix ſeu mater metallorum cunctorum. Vitrum eſt Philoſophorum *Lutum Sapientiæ* ſeu *Sigillum Hermetis*, quo omnia volatilia Subjecta Mineralia ita ligantur ſeu figuntur, ut Ignis vim ſuſtineant atque fixantur.

CAPUT XXI.

Qualiter beneficio Luti Sapientiæ vulgare ♀, Antimonium, Arsenicum, Auripigmentum & Sulphur Vegetabilium brevi tempore in Medicamenta fixa figantur.

℞. DE illis Subjectis, quodcunque volueris, unicum, quod per viam sive siccam sive humidam si solveris in acri lixivio, lixivium quadantenus adstringet Subjectum volatile, ut inter candefaciendum non continuò evaporare valeat. Hujusmodi Lixivium coagula in Salem; Salis hujus partibus 4. aut 5. si admiscueris aliquotam partem liquabilis silicis aut arenæ mixturamque in pyxidem cæmentatoriam ritè lutatam injeceris atque in furnum cæmentationis vel fixationis ad figendum imposueris, Sal Alcali silicem aggredietur atque cum eo in vitrum convertetur. Minerale a. volatile se in hoc vitro recondet atque ignis violentia inde non dispelletur, sed se in Tincturam fixam figi patietur; & posteaquam illud quod impositum est, fuerit fixatum, crucibulum seu pyxidem ex furno fixationis eximas, atque vitrum, dando ignem, in fornace ventosa benè fluere patiaris. Quod effusum colore rubebit: sin autem in minutum pulverem redegeris, & mediante Spiritu vini ex Subjecto fixato fixam Tincturam extraxeris, habebis Medicinam efficacissimam contra gra-

tiſſimos quoſque morbos, maximè, ſiquando Tincturæ ex Antimonio, vel vulgari Minerali nec non Vegetabili Sulphure fuerint extractæ. Hæ ex Arſenico & Auripigmento non ſunt adeò tutæ uſurpatu in Medicina, ſed plus utilitatis inde capit Chymia. Nam Paracelſus, Baſilius & alii Philoſophi cenſuerunt, quod Tinctura ex fixo Sulphure vel Antimonio elicita res admirandas præſtat in Medicina juxta atque in Chymia. Atenim iſtiuſmodi Subjecta faciliori Methodo nulla figi poſſunt quàm hac à me jam in medium allata ratione. Cæterum quod filum tractandi de præparatione abrumpam ſubito, non caret ratione. Cui Deus faverit, illi eam me ſatis explanatè deſcripſiſſe confido. NB. Quod ſi ad tuum Sigillum Hermetis adhibueris talem arenam aut ſilices, quales per ſe abundant Primo Ente Auri, Tincturas nanciſceris tanto præſtabiliores.

CAPUT XXII.

Quomodo eximia Medicina Univerſalis ex Auro paretur.

℞. 3. AUt 4. uncias coagulati irreducibiliſque facti ſanguinis Leonis, de quo Libellus Dialogorum tractat. Diſſolve illas juxta viam ſiccam, mediante Sale Mirabili, in Lapidem rubentem, ex quo pulveriſato, Tincturam ipſius extrahas, mediante Spiritu Vini alcoliſato. Hæc Tinctura

ctura est insigne Aurum Potabile contra morbos multos. Quinetiam coägulat Mercurium vivum in ☉. Istiusmodi Auri Potabilis non exiguam quantitatem ego denuò parare jam mecum constitui, ut indigentiæ ægrorum consulatur ac succurratur. Multa mihi fuerunt obstaculo, quominus per 2. annos huic Operationi vacare potuerim. Nunc autem faciliorem inveni Methodum parandi illud, & proinde ejus ope imposterum me plus profecturum spero quàm antehac potui. De salutari ejus usu in Medicina, nec non de Coagulatione Mercurii (Deo favente) propediem alibi tractabitur: hîc autem ejus Descriptio foret nimis prolixa.

CAPUT XXIII.

Qualiter Medicinalis Aqua ex ♃ *&* ☿ *beneficio* Fulminis *seu* pernicis *flammarum* ignis *destilletur.*

FAc Amalgama ex æqualis ponderis stanno ac Mercurio, atque hoc amalgama *mediante* æqualis ponderis ex Sulphure, Tartaro & Halinitro *parato Fulmine* super quodam lapide inter se diligenter contere, tunc Materia tua unà cum Fulmine ad Destillationem est perfecta. Quum igitur tibi fuerit animus destillandi Medicinalem Aquam ex Jove & Mercurio, hoc pacto operari institue: Ad quendam parietem erige perforatarum 5. aut 6. cucurbi-

curbitarum vitrearum alteram ſuper alteram, ita ut alteræ in alteris rectè includantur & commiſſuræ papyro ac amylo diligenter obducantur, quemadmodum in præparatione Spiritus Salis agendum docui. Vitrum ad latus habeat foramen, in quod collum vaſis Diſtillatorii inſeri poſſit. Quod vas Deſtillatorium conficiatur in formam ciſtellæ ſeu capſulæ rotundæ, ſpithamam latæ atque altæ, in cujus diſtinctione ſuperna, quæ arenâ impleatur, operculum includi poſſit tali pacto, de quali ego in mea Parte II. Furnorum Philoſophicorum docui: infernè tamen non rotundum, ſed planum, ita ut ex ſella quadam exſtans ad Recipientem accommodari queat. Quandocunque igitur juncturæ Receptaculi omnes fuerint accuratè munitæ, Furnus eſt abſolutus. Deinde per vices ſingulas non plus quàm ℥j. mixturæ in crucibulum immittas in fornaculam; unde Fulmen (ſi ipſum carbone vivo accenderis & operculum agiliter impoſueris) edet flammam perniciter penetrantem atque immani fragore Mercurium à Jove diſpellentem; in qua diſceſſione pars Jovis & Mercurii in forma Aquæ acidulæ, pars autem altera in ſpecie ſubtilis pulveris flavi adſcendit. Quando jam fulmen fumare deſiit, crucibulum eximitur aliudque ejus loco reponitur; fulmen accendatur ac deflagret, ut anteà evenit, atque ita eximendo & injiciendo proceſſus cœptus continuatur; quoadusque Mixturæ quicquam ſuppetet. Tandem Aqua deſtillata, quæ in appoſitam dimanavit ſcutellâ, eximitur cum

Flo-

Floribus in Recipientem. Aqua illa (quando eſt tempore ſufficiente in leni calore digeſta) coagulatur in Sal Medicinale rubrum. Flores ſiccantur, recenti Fulmine miſcentur, & ut antea fulminantur, tunc rurſus Aqua & Flores adſcendunt; cæteri Flores remanent fixi in Crucibulis, qui, vi ignis fortis & fuſionis diligentis, reducti producunt ſtannum durum, quod ope ♄ cupellari poteſt, vulgare autem ♃ non item, relicto poſt ſe in Cupella aliquanto, non autem tanto Auri, quanto avari inhiant; at tantum tamen, ut inde nihil damni contrahatur, ſed Medicinale Sal rubrum citra ſumptum acquiratur. Poëtæ priſci de hoc opere ita fabulando ſcripſerunt; Jovem Mercuriumque ad Philemonem ejuſque conjugem Baucin ceu paucis contentos in hoſpitium divertiſſe, ut ab ipſis cibo ac potu liberaliter acciperentur. Quicunque uberiorem de his informationem deſiderat, ille iſtiuſmodi Philoſophos legat, ut videat, apud illos hoc Opus in pretio fuiſſe. Atenim, prout modò diximus, Jupiter & Mercurius non ad avaros ac ſuperbos (qui artem nullam curant, ſed omnem auri gazam quæritant, quâ ſuperbiam vitæ diu continuare valeant) ſed ad ſolos frugalitatis alumnos divertunt atque benedictionem ſecum in domos ipſorum afferunt.

Ego pro vero aſſeverare poſſum, quod per vitam meam omnem perpaucos comperi, qui Chymiam in eum finem tractârunt, ut ejus ope Miracula Dei magna perquirerent, permultos autem vidi, qui Mira-

Miracula Dei non curárunt, neque Artem prænobilem amârunt, ſed tantum pecuniam & ſubſtantiam amplam quæritârunt. Quod quum vanum Aurum & temporale Bonum antetulerint incorruptibili Deo æterno, meritò eos quoque Deus in tenebris reliquit, benedictionem ſuam conatibus ipſorum denegavit atque eoſdem laboribus irritis ſuſcipiendis mancipavit. Hinc perbenè Paulus inquit: *Non eſt cujuſquam volentis aut currentis, ſed ſolius Dei miſerentis.* Illinc uſu venit, ut ne centeſimus quidem illorum (qui quærunt dum ad incitas redigantur) egregii quicquam inveniat; id quod ſanè adſcribatur Dei vel benedictioni vel maledictioni, non autem Arti. Quocirca illi omnes, qui nonnihil eximii unquam Chymiæ operâ obtinere concupiſcunt, potius rationem habeant divinæ gloriæ quàm temporalis ſubſtantiæ. Tunc namque fortaſſe plus proſperitatis ac benedictionis ſortientur quam inter conquirendum immanem auri vim. De nullo quippe Philoſopho vero legimus, illum fuiſſe vel avarum, vel ſuperbum, vel ingentes Auri gazas conquiſiviſſe, ſed potius Mundum cum ſuis theſauris ſpreviſſe & non niſi pro luto habuiſſe. Pſeudophiloſophi autem ſuperbia, avaritiâ, odio ac invidiâ inflati incedunt ritu pavonum cum caudis ſpeculoſis, ita ut præ cordis faſtu nihil ſemetipſos noſcant, & tamen aliàs revera nihil ſciant neque valeant niſi cæteros contemnere, & oggannìendo nil niſi lites ac contentiones per mundum ſerere. Verus autem Philoſophus poteſt dicere cum Biante:

Biante; *Omnia mea mecum porto.* Ille ſiquidem nihil in mundo quærit niſi quietem ac concordiam. Si mihi Deus vitam aliquantiſper prorogarit, propediem publicaturus ſum, *Quomodo hominis animus, natura ac proprietas* ex ſolo geſtu, greſſu, veſtitu, ſignatura ac Phyſiognomia *cognoſci poſſit.*

CAPUT XXIV.

Ratio extrahendi Medicinam univerſalem ex vulgari & nemini non noto Plumbo.

CAlcinando 4. lib. plumbi vulgaris in cinerem redige; quibus 4. ℔. Calcis Saturni admiſceas 4. ℔. illorum lapidum vel arenæ, quibus affatim continetur Primum Ens Auri. Hanc mixturam fundendo converte in crucibulo forti in vitrum, quod pulveriſatum quadrante ſalis tartari miſceas. Quam mixturam ſi in crucibulo ferreo reduxeris, omne ferè plumbum recuperabis. Hoc plumbum rurſus incinerabis & quadrante electæ arenæ ac ſilicum miſcebis atque in vitrum conflabis; quod mediante Sale tartari ac ferro reductum denuò calcinabis, beneficio lapidum in vitrum vertes ac reduces, quanto autem ſæpius, tantò melius, tunc qualibet operatione plumbum nonnihil Primi Entis Auri ex arena elicuerit, & tandem perquam dives ejus evaſerit, id quod deinceps ope cujuſdam Magnetis ex plumbo extrahendum in uſum Medicinæ conferendum eſt, veluti pro ſuo

quiſque

quisque captu peritissimè calluerit. Plura de his ut revelentur, non duxi consultum. Equidem externa hujus Processus facies est simplex, cum ex talibus subjectis neglectis tempore tam brevi impensisque paucis Medicina Universalis extrahi queat. Ut ut autem ♄ deformi tunica cinerea integatur; Corona tamen Aurea intra penetralia ipsius interiora reconditur, quæ prius non detegitur, quam ipsi habitus ille leucophæus exuitur. Quotusquisque talia de sene Saturno tecnophago sperâsset vel cogitâsset? Legantur quæ Basilius, Paracelsus aliique Philosophi de Plumbo scripserunt. Beatus ille qui ad hanc Operationem pro Plumbo vulgari novit adhibere Secretum Plumbum Philosophorum; tunc enim procul dubio Medicinam præstabilissimam inveniet, prout prisci Philosophi sequentibus verbis pauculis expresserunt:

Artus est hominis, qui constat VI. Elementis,
Cui P. si addideris, S. in M. mutare si bene scis,
Hoc erit Æs nostrum, constans Lapis Philosophorum.

Artus ille est LUMBUS; cui voci si à fronte præfixeris literam P, & à tergo S finale immutaveris in M. habebis PLUMBUM. Si igitur mediante vulgari Plumbo, quod tamen est admodum impurum & quasi leprosum, Possibilitas Transmutationis demonstrari atque verificari potest, quemadmodum elucet ex meo Novo Lumine Chymico, quid non præstaret Arcanum Plumbum Philosophorū, quod per se est purum & præstabilius Auro? Cosmopolita sic ait: *Si cui Deus commonstravit possibilita-*

ſibilitatem illius, ut ut non tam lucro quàm damno contingit, illi tamen aperta eſt Ianua perveniendi ad ſumma quæque. Plura de his exarare ſuperſedeo. Quicunque eſt tam craſſus ac ſtupidus, ut per hanc Portam latè apertam neſciat intrare, quomodo idem per quandam anguſtiorem poterit intrare? Ille cui hoc Lumen lucidum veram monſtrare viam nequit, illi neque Sol neque Luna prælucens proderit. Ego autem nullus dubito, quin vel opifices mechanici, ſimul atque illud meum Novum Lumen effulgere cœperit, Veritatem inquiſituri ſint, quorum optimo cuique opituletur Deus.

CAPUT XXV.

Quâ ratione Aurum reddatur volatile, ita ut in Medicinam ſalutarem ſublimari poſſit.

SOlve in 🜄 tantum communis Salis culinaris, quantum ſolvere valet, in hac 🜅 ſolve ☉, quod ☉ præcipita cum Spiritu urinæ: in arena abſtrahe omne phlegma uſque ad ſal ſiccum, ſi ignem deinceps augeas, Spiritus urinæ coagulatus ſecum abducet partem puriſſimi ☉ in forma Salis rubicundi, Sal hoc fructum utilitatis magnum præbet Medicinæ, ubi Doſis eſt à gran. 3. 6. 8. ad 12. pollens vi expellendi ſudorem ac urinam, atque inſigniter conducens contra Calculum ac Podagram. Quinetiam quum hic Sal ſit faſtidioſi ſaporis expers, poterit quoque ſecurè ac commodè pro Cathartico-

tico adminiſtrari infantibus gravidiſque mulieribus.

Caput XXVI.

Modus parandi adhuc aliam egregiam Medicinam Univerſalem ex Auro.

SOlve in 4. partibus Spiritus Salis diligenter rectificati 1. partem nitri; in hac Aqua ſolve tantum Auri, quantum volueris, ad quam ſolutionem paulatim tantum Olei Tartari guttatim affundatur, donec ambæ illæ Naturæ contrariæ ℞ & Olei Tartari fuerint unitæ ac tranquillatæ; tunc ſi omne Phlegma abſtrahas, apud ⊙ remanet Sal, quod Sal cum Auro injicias in Cucurbitulam loricatam, antea tamen admiſce oſſa uſta tanti ponderis, quantum hic Sal cum Auro ponderavit; quæ oſſa duntaxat ideo adhibentur, ut Aurum à Sale nequeat ſegregari & in maſſam ad fundum præcipitari. Vitro cum hac Mixtura in arenam impoſito, auge tantiſper ignem per gradus, dum vitrum in arena obſcurè candefiat, in quo ignitionis gradu ſi quaſi ſpacio 6. horarum detinueris, Sal fuſibilis Aurum durum aggredietur & ex eo vim ejus optimam extrahet atque inde rubefiet. Quod refrigeratum ex vitro exime, & mediante Spiritu Vini ex Sale rubeo Tincturam ejus elice, quam in gravibus morbis adminiſtrare poteris, prout peritia te tua docuerit. Aurum autem Extractum ſi adminiculo

culo Borracis reduxeris, Aurum pallidum reperies.

Ratio extrahendi ex Nitro albo Tincturam fulvam.

APpara ex halinitro emundato additione terræ crematæ per Retortam Spiritum fortem, qui nisi sat fortis fuerit, illum dephlegmato. Hic Spiritus licet in Destillatione adscendat rubeus, albens tamen apparebit, ubi refrixerit, nihilominus tamen in ipso est rubor reconditus, qui via sequenti revelabitur. Videmus, quod (si quid 🜄 in illorum, à quibus tractatur, illabatur vel pellem, vel pilos, vel ungues digitorum) tacta inde aureum trahant colorem. Ratio Colorationis hujus est hæc: Omnia Naturæ Superflua (puta pellis, ungues manuum pedumque, omnes animalium pili, ungulæ, & pennæ avium, aut quodcunque tempore renovatur stato, dum vetera decidunt & novi quid in eorum locum succrescit) pollent vi lavandi Corpus humanum, si quando in Medicinæ usum præparantur, idque propter copiam Salis volatilis in consimilibus istiusmodi Entibus aliis latitantis. Sal quippe volatile est talis naturæ, qualis est Sal volatile urinæ, quo omnes Spiritus corrosivi mortificantur & edulcorantur. Hinc contingit, ut siquando una gutta Spiritus nitrosi in pellem aut ungues digitorum cadat, à Sale volatili, qui in ipso delitescit, mortificetur ac reveletur; id quod aliàs

de cæteris Subjectis, qui ſunt talis Salis volatilis expertes, non fiet.

Sequitur Proceſſus.

℞. ℥iiij. diligenter lotorum atque ab omni ſqualore emundatorum pilorum vel hominis ſani vel aliorum animalium, quibus affunde fortiſſimi Spiritus nitri rectificati ℔.j. & Spiritus nitri omninò ſolvet pilos, cui ſolutioni per vices affundas ſenſim tantum Olei Tartari, donec omnis Spiritus Nitri planè mortificetur atque vi ſuâ corroſivâ privetur; affundere autem Spiritum Tartari non prius ſuperſedebis, quàm colorem benè aureum acceperit. Accepto illo, iſthæc ſolutio per chartam emporeticam filtretur, in qua feces remanebunt, quæ tamen vix ſemidragmam conficient; quia Spiritus nitri penè omnia diſſolvit. Hunc Liquorem fulvum ſi in Balneo indideris in Cucurbitulam, & omne Phlegma inutile abſtraxeris, reſtabit in fundo Sal rubeum, cui ſi Spiritum Vini probum ſuperfuderis ad extrahendum Tincturam, remanebunt denuò aliquot fæces in imo, quæ tanquam inutiles abjiciantur. Si porrò Spiritus Vini ad medietatem uſque à Tinctura abſtrahatur, Oleum fulvum acquiritur, quod argento ſi affricabis, hoc tam bellè flaveſcet quàm ſi auro illuſum probo eſſet. Hanc Tincturam Nitri etiamnum volatilem ſi imbiberis à 3. 6. 9. ad 12. guttas, fortiter ſudorem lotiumque expellit, icterum depellit, hydropi-

dropicis confert, febricitantibus, ficubi ejus usu sudant, medetur atque consimilia in peste aliisque morbis præstat, ubi sudato opus est. Ego præsumpseram fixare hanc Tincturam, sed non erat operatio pauci temporis, quapropter me incessit tædium pergendi & absolvendi cœptum. Quod si quis esset patiens morarum ad figendum istam Tincturam desideratarum, ille post elaborandum obtineret, unde gauderet. Philosophi de hac Operatione fabulati sunt, Draconem venenatum esse pervigilem Aurei Velleris custodem, quod ipsi non prius eripi possit quàm eidem somnus Medicamento soporifero inducatur, quo ipse reddatur insensibilis, hoc est, fixus. Ad quæ procul dubio plerique opinatores respondebunt, quod Tinctura fulva non à vitro, sed potius à pilis, lana aut pennis proficiscatur; Quorum opinionem ego ita refello: Si quis solverit pilos, lanam aut pennas mediante Spiritu Salis, Sulphuris aut Vitrioli, nanciscetur Solutionem albam; si verò Spiritum Salis aut Vitrioli mortificârit mediante Oleo Tartari, nulla tamen flavedo apparebit, sed omnia manebunt alba, ut ut tale Sal album, quod à Spiritu Salis & Vitrioli provenit, suum quoque usum in Medicina præstat, idque cumprimis inde, quod pili in se Sal perquam Medicinale contineant, quod alioquin nulla alia via seu ratione obtineri valet, nisi solvendo ope Aquarum fortium aut remortificationis aut reductionis in Sal beneficio Alcalium. Hoc modo ex multis Animalibus mediante Spiritu

Nitri extrahi possunt Tincturæ flavæ aut Salia flava, quæ res magnas præstant in Medicina.

Teles serpentum exuviæ, quales plærumque in campis aut ad congeries lapidum reperiuntur, sunt insigniter medicamentosæ contra omnia venena, pestem & cunctos reliquos morbos venenatos.

Dentes serpentum, canum rabiosorum & luporum præbent vim Medicinæ efficacis contra omnes venenatos animalium morsus. Quinetiam Ventriculo medentur contra quasvis febres.

Scorpiones, Vermes majales, papiliones, cantharides & consimiles insectæ venenatæ omnes subministrant Tincturas flavas aut talia Salia, qualia utilissimè administrentur in cunctis gravibus venenatisque morbis.

Vehementer dolendum est, quod Medici talia Medicamenta egregia, penetrantia, efficacissima & ad miraculum usque ferè operantia in usum officinarum quotidianum non inducant, ut illis Turbæ ægrotantium opitulentur. Nolit autem quis hoc demirari. Hodiernum enim seculum malignum est sterile piorum Samaritanorum, sed feracissimum talium Sacerdotalium ac Leviticorum Medicorum, qualibus non tam est cordi miseria ægrorum quàm cura commodorum privatorum. Quare ipsi videant, quid olim Judici vivorum ac mortuorum super istis die rationum reddendarum respondeant.

CAPUT XXVII.
Quid statuendum sit de Tinctura Corallorum.

QUum Paracelsus de maximis Virtutibus, quas Tinctura Corallorum præstat ad depellendos gravissimos quosque morbos, scripserit, viri primarii gregariique juxta variè connisi sunt ad perficiendam illam; paucorum autem conatui prosper successus atque eventus respondit, quemadmodum & mihi ipsi usu venit, quippe qui diutius XL. annis Inquisitor illarum fui. Quoad faciem exteriorem ego quidem variè Tincturam inde extraxi, quâ tamen in Medicina nihil profeci. Hinc conjecturam cepi, mihi veram defuisse Tincturam & verò Tincturam illam meam ex menstruo provenisse. Tandem tamen mihi Deus aliquot peculiares pennas Avium ostendit, quæ fixis Tincturis delitescentibus in Lapidibus lapidosisque Subjectis poterunt adaptari easque illis ope Destillationis ex crassis corporibus educi & conspectui tactuique publico exponi. Cujus generis alarum diversæ mihi quidem sunt notæ, inter cunctas tamen duntaxat triplices principem locum tenent, & quidem

I.

Atræ Pennæ Corvinæ,

quæ pollent vi magistra sublevandi tales Tincturas, quales amant adscensum.

II.

Albæ Alæ Columbinæ,

quæ in ſe tantummodò puriſſimas & antea vi naturæ ſuæ leviter volatiles Tincturas continent, invadunt & ſecum ſurſum avehunt.

III.

Alæ Aquilinæ,

quæ vel fixiſſima ac graviſſima quæque Corpora adoriuntur atque inde intimam ſeu nobiliſſimam illorum partem extrahunt atque ſecum in ſublime auferunt.

Quæ tamen Alæ Aquilinæ non niſi ad extractionem fixarum Tincturarum ex fixis Metallis ac Lapidibus, omnium commodiſſimè adhiberi poſſunt. Ad cætera namque Subjecta leviter volatilia ſi adhiberentur, illæ totum corpus mortificatum unà cum Tinctura ſurſum ſecum abriperent atque damnum darent. Quicunque igitur beneficio iſtarum Salis alarum ſeu ſalium volatilium nonnihil egregii perficere concupiſcit, præcognoſcat exactè differentiam inter unas & alteras. Quod quum hîc mihi nulla ſit alia niſi ſola intentio eliciendi Tincturam rubrorum Corallorum, nullis ad illam aliis alis opus eſt niſi ſolis albis columbinis, quippe quæ huic operationi ſufficienter inſervient.

Alæ hoc modo inquiruntur & acquiruntur.

SOlve ℔. j. argenti puri in ▽. Cui ſolutioni ſi Spiritum Salis probum, in quo Sal commune

ſit

ſit ſolutum, affuderis, omne ☽ ex 🜄 in formam calcis albæ in fundum præcipitatur, in qua præcipitatione Argentum alas ſupra dictas columbinas albas ex aque ſalſa expiſcatur atque ſecum in imum vaſis ſubmergit; 🜄 in hac præcipitatione non perit, ſed in bonam 🜄. abit. Hanc albam ☽ calcem (quam ego alloquin appellavi *Mercurium Lunæ*) ſi diligenter edulcorâris & ſiccâris, alæ ſunt præparatæ, quorum ope ego hîc Tincturam Corallorum extrahendam doceo.

℞. ℔. j. corallorum rubrorum eademque ſuper lapidem contere in pulverem minutiſſimum, cui adde tantundem contritæ hujus albæ calcis argenteæ; quæ omnia ſimul injicias in Retortam vitream, dando paulatim ignem per gradus, donec Retorta candeat, ex qua, priuſquam candeat, adſcendet rubeus Aqua ſuaviter dulcis ex 1. ℔. corallorum quaſi 4. aut 5. ſemunciæ. Hæc Aqua in quadam Cucurbitula per Balneum dephlegmetur, & Aqua inutilis à Tinctura ſeparetur, quam Tincturam in Medicina pro ſuo quiſque captu ac peritia adminiſtrabit, utpote cujus virtute Sanguis egregiè expurgatur. Eodem ferè modo poteſt ope harum alarum deſtillari Aqua Perlarum efficaciſſima ex fragmentis perlarum, aut, deficientibus illis, ex matre perlarum.

Conſimiliter earum adminiculo ex peculiari quodam genere Talci albi elici poteſt inſigne Coſmeticum ad dealbandum pellem nigram.

Quinetiam alioquin harum Alarum ope tam ex

Vegetabilibus & Animalibus quàm ex Mineralibus Subjectis extrahi poſſunt multa inſignia medicamenta, quorum præparationes omnes ſi quis deſcripturus eſſet, ejus codex in volumen juſtæ magnitudinis excreſceret: id quod jam mei non eſt inſtituti. Quare his communicatis benevolentiſſimus quiſque impræſentiarum ſit contentus: propediem (Deo annuente) elargiemur plura.

Illud quod in Retorta manſit, exime, cui exemto tantundum Tartari uſti, quantum pondaret ipſum, admiſceas, & dando ignem fuſionis fortem colliquefacias, tunc ☽ in Regulum ſe deorſum aget præcipitem, & Corallia, perlæ, aut quicquid ejus ope deſtillaveris, in ſquamas abibit. Quam operationem ſi ritè tractare noveris, nihil tui argenti perdes. Quod idem ſi granulaveris, in 🜄 ſolveris, atque rurſus mediante Spiritu Salis præcipitaveris, edulcoraveris ac ſiccaveris, habebis denuò novas alas, quarum beneficio ſubtiles Tincturas ex Corporibus ſublimabis. Quod autem hæ Tincturæ tam dulces aſcendent, in cauſa eſt, quod acres Spiritus Salis, quos ☽ apud ſe detinuit, Corallis aut perlis adhæreſcant & ſe ad illas mortificent atque ſuavem Eſſentiam ſolam ſurſum propellant.

Quum ego hîc nonnihil de Albis Alis Columbinis tractârim & inſuper quoque memorârim quod etiamnum talium alarum aliæ complures habeantur, quales quoque gravia ſubjecta ſublevent & ſurſum ſecum evehant, inter quas cinereæ pennæ aquilinæ facile primum obtinent locum, operæ precium

precium fore duxi, ut Modum acquirendi illas huc adſcribam, de quo ſic habeto.

CAPUT XXVIII.

Qualiter ex ☉ & ☽ ſimul paretur Medicina.

℞. ℥ j. AUri & ℥ ij. Argenti, Solve ☉ in ♒ & ☽ in ▽. Quarum ambarum Solutionum unam ſi profuderis in alteram, Metallum unum præcipitabit alterum, & utrumque in forma calcis cinerei petit fundum. Quæ præcipitata ſi edulcoraveris, ſiccaveris, eidemque dimidium hujus ponderis de noſtris pennis aquilinis admiſcueris & per Retortam vitream vi dati Ignis fortis deſtillaveris, pennæ æquilinæ ſecum rapiunt Aquam albam, in qua tamen latet Tinctura rubra, ut ut eſt ingrati ſaporis, & proinde non temerè adminiſtranda in Praxi Medica: Veruntamen ſi hanc Aquam indomitam ac horribilem mediante Tartari lixivio mortificaveris, & deinceps talis Salis adminiculo vitrum album minutim contritum in Crucibulo fuderis, Vitrum à Sale tingitur, tali flavedine eminente, qualis colorem Auri refert. Iſtiuſmodi Tinctura flava è vitro extrahatur & in Medicinæ uſum adhibeatur, quippe quæ ex ☉ pariter atque ex ☽ enatâ & proinde neceſſariò medicamentoſa eſt. NB. In Deſtillatione Vitrum diverſos trahit colores, partim rubeos, partim fulvos,

vos, quousque videlicet illud in igne stetit & canduit, collum autem ex igne prominens manet album. Ubi hoc non nemini moveat admirationem, quod mediantibus coloribus diversis ad vitrum repræsententur multifariæ figuræ, ut montes ac valles rupibus & arboribus vestitæ tam artificiosè, ut opus pictoris æmulentur. Montium quippe alii apparent rubri, alii viriditate induti. Quinetiam spectantur flumina colore cæruleo, prout aliàs Aqua depingitur. Talium & arte & natura pictorum vitrorum nonnulla tanquam Specimina admirationis ego quibusdam ingeniorum curiosorum amicis communicavi, apud quos illa etiamnum fore spectanda credo. Hæc vitra sunt tincta benè penitus & nonnunquam per totum corpus suum & præterea tam constanter, ut vel valentissima 🜂 ut 🜅 seu ulla alia corrosiva quicquam ex illis delere possint: id quod sanè admiratione dignum est, quod etiam vulgare Corporale fixum ☉ & ☽ possint reddi tam volatilia, ut illa in vitrum compactum induci queant, quibus illud tingatur. Spiritus vi magna pollent, ponderis expertes sunt, & quando tingunt, virtus eorum latè patet. Quemadmodum quoque hominum aliorumque animalium Spiritus sunt omnis ponderis expertes, id quod comperimus, hominem vivum mortuo leviorem esse. Porrò Spiritus non tantum fixum ☽ possunt reddere volatile atque in rubra corpora ut ☉ & ♀ inducere quibus illa sine læsione suæ formæ & sine augmento aut imminutione sui ponderis ex toto tin-

tingant albedine. Spiritus quoque Aurum fixatissimum & compactissimum possunt reddere volatile & in ☉compactum inducere, quo illud tingatur flavedine, id quod habet satis admirationis. Quod autem Spiritus Tincturam in vitrum sine læsione aut augmentatione ponderis inducere valeant, admirationem meretur majorem, potissimùm, cum communis Philosophorum putatitiorum opinio ferat, *Nullos vitris inesse poros.* Verumenimverò est contra atque isti opinantur. Si enim ita esset, ut ipsi sibi persuadent, quo quæso pacto Tincturæ in illa introduci possent? (NB.) Neque etiam tantummodò Spiritus inducunt subtiles Tincturas Metallicas in compacta Metalla & Vitra, usque adeò ut mediantibus Spiritibus albis ☉ fulvum sine destructione suæ formæ seu speciei totum possint albore tingere, & ☽ album mediantibus Spiritibus rubeis totum flavedine & vitrum album variis coloribus venustatem gemmarum æmulantibus inficere: Verumetiam fixa Corpora ex aliis fixis Corporibus Metallicis extrahunt; veluti videmus, quod (quandocunque mixturam aliquam ex ☉, ☽ & ♀ fusis in massam injicimus in illos Spiritus) Spiritus hi ☽ & ♀ ex ☉ extrahant sine corruptione aut destructione suæ formæ, ita ut ☉, si quando est signatum, maneat tamen compactum atque massivum, ut ut ☽ & ♀ ope Spirituum sit inde extractum. Horum consimiliumque Spirituum nos fieri compotes & illos ad institutum nostrum habiles reddere possumus.

Reli-

Reliqui Spiritus (quorum habentur varii, nempe 1. Cœleſtes, Divini, 2. terreſtres, Diabolici. 3. Spiritus IV. Elementorum) Spiritibus aliis vi præſtant, quippe qui non tantùm per fores clauſas, ſed etiam per duriſſimos quoſque ſcopulos ac petras pervadere, atque ibidem pro ſuo libitu luſitare atque res admirandas patrare poſſunt, ut condiſcas ex hypogæis metallicis, ubi Spiritus iſtiuſmodi incolunt & ſuos Auri Argentique theſauros ab advenis exſpoliaturis fortiter defendunt, uſque adeò ut foſſores Metallicos invadant, pecutiant, jaciant, venenato halitu afflent & ſæpe complures eorum ſimul enecent. Quas res mirificas ipſi in ſuis manſionibus ſubterraneis fingant, ſatis ſuperque notum eſt. In Mansfeldicis ♀ montibus Spiritus pingunt omnigenas figuras, præcipuè autem piſcium, quemadmodum ego ipſemet illorum nonnullos conſpexi. Abhinc 100. annos ibidem quoque effoſſa eſt quædam Imago è ♀ ſuper nigro lapido fiſſili, ubi Lutherus juxta ac Elector Saxoniæ evidenter ita erant expreſſi, ut uterque in genua conſpiceretur procumbens ante imaginem Chriſti crucifixi. Quinetiam talis lapis fiſſilis inde effoſſus eſt, in quali ſcitè figura Johannis Baptiſtæ baptizantis Chriſtum in Jordane conſpicienda exhibebatur. Enimverò ſi noſtri Spiritus Salis Tincturas Metallorum in compacta corpora inducere poſſunt, & Spiritus Elementares in ſuis habitaculis ſubterraneis in lapides multifarias figuras imprimere; quid non potius præſtarent Spiritus cœleſtes boni? Annon

non hi in fornace Babylonica ignita tres pueros conservârunt? Annon ipsum Petrum ex carcere eduxerunt & prophetam Habacuck ad Danielem in foveam Leonum abduxerunt? Annon ipsi valent inducere atq;educere? Annon ipsi possunt fixa Corpora palpabilia reddere volatilia, spiritualia & invisibilia, & è diverso invisibilia corpora reddere visibilia ac tangibilia? De natura, proprietate & differentia Spirituum hîc essent multa dicenda nisi ea forent ab instituto nostro præsenti aliena. Si Deus indulserit, ego, quemadmodum decrevi, peculiarem Tractatum de Spiritibus in publicum daturus sum. Hìc audivimus, quomodo Spiritus per januas clausas dura corpora perducere atque ibidem corporalia aç visibilia reddere valeant. Quod idem documentum diligentissimo cuique Naturæ Inquisitori Lumini poterit esse magno.

CAPUT XXIX.

Adhuc specimen Probationis aliud mediantibus Alis aquilinis.

FAmigeratissimus ille venarum Metallicarum experiendarum artifex Lazarus Ercker in suo Libro Probationum seu experiendarum minerarum refert, quod Veneti certos homines pacto precio conducant & in Germaniam transmittant, ut læviter fusca vitreæ speciei grana ex arena rivorum per montes manantium collecta inde Ve-

netias

netias ſupportarent; idque ita fit in hodiernum diem uſque. Interdictum quidem ipſis eſt facinore, illi tamen ab auſis non deſiſtunt, ſed clandeſtinò pergunt. Subditorum vulgus nec non ipſi territoriorum proprietarii ſibi perſuadent, iſta grana in ſe continere Aurum & propterea edicto cautum eſt, ne quis illa inde aſportet & in privatos uſus convertat.

Equidem Lazarus Ercker addit: Se talia grana examini experiendi vario ſubjeciſſe, nunquam autem Aurum in illis reperiſſe; ſe tamen comperiſſe, Venetorum artifices ex illis colores tales bellos parare, quales apud illos pluris fiant quàm aurum ipſum. Ego verò aſſevero, Erckerum grana iſta non rectè pernoviſſe. Quippe verum quidem eſt, parum Auri corporalis, contrà autem multum Auri volatilis in illis granis ineſſe. Si enim illis granis adaptantur Alæ aquilinæ; illa multum Auri ſpiritualis ſecum rapiunt quod Medicinæ præſtat multum ſalutis. Talia grana in omnibus Mundi regionibus, in quovis rivorum ſabulo pariter atque in ſaburra ad litora fluviorum publicorum reperiuntur: Ex quibus multum eximii parari poſſet. Sufficiant autem iſthæc jam dicta de Pennis Aquilinis; Plura namque evulgare non expedit.

C A-

CAPUT XXX.

Adhuc una Medicina Regia ex Auro vulgari.

AUri vulgaris ℥j. plus minus tibi beneficio Salium facias irreducibilem. Dein tali Auro irreducibili seu illiquabili adde tantidem ponderis fixum Sal cinerum confectum ex crematis pennis aquilinis; quæ injiciantur in vitrum firmiter loricatum, quod impone in crucibulum arena repletum; quod crucibulum collocabis inter prunas, ut candeat. Postquam autem in tali ignitione per 3. 4. aut 5. horas steterit, refrigeretur. Tum ex Vitro tuum Aurum fixum exime & referet speciem cretæ albæ. Hoc ☉ album ex vitro exemtum indas in probum crucibulum cui lutando superimponas aliud, quod immittas in furnum ventosum, ubi postquam per 4. aut 5. horas steterit in lenta ignitione, refrigescat. Quo exemto, Aurum tuum reperies transmutatum in Tincturam intensè rubentem. Hoc Sal rubeum exemptum in pulverem tenuissimum contere, eidemque superfunde Spiritum Vini, ut extrahat. Hunc rubefactum decapula, aliumque reaffunde, ut quoque extrahat. Quem Spiritum Vini si à Tinctura abstraxeris, remanet in fundo rebeus Liquor salsus, qui pro vero Auro Potabili habeatur, quia nullâ viâ aliquid Auri ex illo reduci possibile est. Hanc

Operationem cœptam tantum ſemel citra errorem abſolvi; poſtea autem pluries periclitanti tam proſperè non ſucceſſit quam primâ vice. Errorem autem potius adſcribo mihimetipſi quàm Arti, planè ſtatuens, nulla alia ratione faciliori, celeriore ac parabiliore poſſe obtineri præſentiſſimam Tincturam ad ægrota Corpora humana quàm Metallica. Hoc tamen addito; Si ☉ commune ac jam ductile tu ſinas eſſe ac manere Aurum; operæ ac impenſæ parcens ad perficiendum illud irreducibile, ſed duntaxat tales lapides ad operationem tuam eligas, quales ſine ſumptibus nanciſci potes, naturâ participes Auri irreducibilis. Tum quippe demum multò facilius, quod quærere intendis, invenias. Qualeſcumque enim Tincturæ iſtis aureæ indolis lapidibus inſint, illi tamen eas in hac Operatione amittunt, omninò albeſcunt, & tandem toti rurſus rubeſcunt. Quo conſpecto Admirando admirabilius nihil unquam per totam vitam meam meis obverſatum oculis eſt. Hinc perpetuò Philoſophi vociferantur: *Quicunque vulgare ☉ ita poteſt deſtruere, ut nunquam in ☉ poſſit reduci, ille ad Myſterium pervenit maximum.* Perhibent quoque: *Quicunque ☉ noſtrum* (quod eſt vel ☉ vulgare redditum irreducibile, aut tale quod Ignis vim nondum ſubiit & in lapidibus naturâ eſt redditum irreducibile) *neſcit facere album, illud quoque non poteſt facere rubrum.* Jam verò illud hac ratione fit. Ergo nullus dubites, quin præter Remedia Medicinalia nonnihil eximii inde conſiat. Quod ego illis

illis (qui adhuc ætate vigent & laboribus gaudent) profundius perquirendum relinquo. Quantum ad me attinet, ego Mundum cum omnibus ipsius gazis ac divitiis nihilo quovis viliorem pendo atque sola incorruptibilia quæro, quæ à furibus nequeunt eripi, neque à tineis vermibusque aliis corrodi, neque ulla Elementorum vi destrui. Atenim cæteris auri avaris (qui, Cacodæmone impellente, nullis totius Mundi fortunis exsaturari valent) his, inquam, nisi resipiscant, nos Mammonem ejusque appendicem, videlicet Inquietem non necessariam ac curam noxiam committamus. Qui abeant & sibi habeant, quod sibimetipsis imposuerunt onus grave bajulatu. Bajulent itaque nostra pace, quoad sub onere fatiscant & cum corpore atque anima ad plures in Cœlum Plutonis transeant. Nos autem (quibus Humilitatis colonis Necessaria præsentia sufficiunt) tales tumultuantis Mundi mancipii inquietationes cum Democrito rideamus, & verò futuram ejus miseriam æternam ac nunquam finiendam cum Heraclito defleamus. Nullum potest sub Sole dari atrocius venenum aut pestilentia quàm Diabolica Avaritia ac Superbia, quippequæ ambo Vitia Capitalia sunt scaturigo, radix atq; primordium reliquorũ vitiorum omnium, usqueadeò uti saluti animarum humanarum periculosius noceant quàm vix ipse Diabolus cum suis complicibus. O beatum illum qui cum Philosopho *Biante* verè ac syncerè dicere potest: *Omnia mea mecum porto.* Et cum *Morieno* Rege Calid:

Qui omnia ſecum portat, alieno auxilio non indiget. Nihil itaque ſatius eſt quàm perſeverare in Statu Vitæ mediocri & orare cum Salomone: *Divitias ego non expeto, ut ne quando elatus dicam:* Quis eſt Jehovah? *Paupertate quoque me ne premas, ut in te ne quid indigni delinquam. Atenim elargire mihi duntaxat demenſum Victus mei quotidiani, ut tibi inſerviam quietus Concordiæque ſtudioſus.*

Commonitio.

BEnevole Lector, Ego quidem in hoc Tractatu de multis Arcanis raris ſeu Secretis minimè vulgaribus egi, ut ut breviter, omnía tamen ex certa Experientia, quoad Medicinam: tantum autem abeſt, ut in Melioratione Metallorum me profitear magiſtrum, ut cum Socrate dicere malim: *Hoc unum ſcio, me nihil ſcire.* Equidem ſi ego eſſem homo junioris ætatis, vix mihi temperarem, quo minus me in iſtiuſmodi Operatione exercerem; ſed cum ætas ingraveſcens me ad labores omnes inhabilem ac tædioſum reddiderit, facilè excuſabor & quaſi cogar, manum à tanto Opere abſtinere. Ego quidem egi

egi in hoc Libello de diversis Ignibus Arcanis, non tamen de cunctis mihi notis, sed tantummodò de nonnullis eorum: de omnium autem illorum optimis (Deo elargiente) tractabit mea *Pars Septima Pharmacopœiæ Spagyricæ*. Quorum Ignium Secretorum virtus admiranda fidem adeò excedit, ut illi cunctos in hoc Enchiridio commemoratos tantum antecellant,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Ego obstupesco, quotiescunque recordor, quantarum virium sint istiusmodi Ignei Spiritus verè Stygii, quibus est facultas Corpora Metallorum omnium (etiamsi illa vel maximo valeant robore) mortificandi, & secum auferendi immortales eorum animas, quocunque ipsis fuerit libitum. Tantâ quippe pollent vi, ut nihil rerum se ab illis defendere valeat. Præter hos dantur etiamnum tales quasi Phlegethontæi Spiritus alii arte facti, quales non tantum ex Metallicis Corporibus post mortificationem tollunt animam, sed tantâ quoque præditi sunt potestate, ut Corpus cum Anima auferant. Hujus autem generis Spiritus non sunt ex usu nostræ indigentiæ, sed illi tantummodò, qui

Corpus tantum mortificant & animam ſolam ex eo educunt & verò cadaver craſſum pro derelicto habent. Quod ſi iſta Corpora nobis eſſent æque conducibilia atque Spiritus, non eſſet neceſſe, ut nos puriſſimos quoſque Spiritus ſeu Animas ad noſtram Medicinam facientes ex illis eliceremus. Quapropter nos meritò mediante Deſtillatione artificioſa mundiſſimas Metallorum Animas ex Corporibus rudibus extrahimus. Quia Deſtillationis beneficio omnia Vegetabilium, Animalium atque Mineralium Corpora purificantur ac ſubtiliantur. Quos mundos ſubtileſque Spiritus (ſiquando ipſi denuò in fixa Corpora rediguntur) neceſſariò eſſe oportet Corpora meliora quàm cæteraCorpora vulgaria, quæ nondū unquam Spiritus fuerunt. Itaque quantò fixiora quis illa reddiderit Corpora & quantò ſubtiliores quis illos perfecerit Spiritus, tantò puriores atque latius petentes ex illis obtinebit Tincturas. Simile capiamus à Spiritibus Elementaribus. Hi Spiritus ſeſe ex propria virtute poſſunt in latitudinem tantam extendere, ut evadant prorſus inviſibiles & (ut ita loquar) omninò perviſibiles: Contrà poſ-

ſunt

ſunt illi rurſus ſe concentrare & in anguſtum coarctare atque taliter aſſumere Corpora viſibilia, palpabilia atque dura, qualiter ipſis allubeſcit. Iſtiuſmodi Objecta utut judicio oculorum habentur Corpora, reapſe tamen Corpora vera non ſunt, ſed concentrati duntaxat Spiritus, qui pollent vi perpetuâ extendendi ſe rurſus in latitudinem & derelinquendi rurſus formam ac ſpeciem ſuam corporalem atque reſumendi ſpiritualem. Hujuſmodi autem Spiritus extenſos valere etiamnum tanta virtute ac fortitudine, quantâ pollebant ante Extenſionem, impoſſibile eſt. Spiritus quippe extenſi non niſi aër ſeu ventus ſunt. Contrà Spiritus concentrati præſtant fortitudine incredibili, celerius penetrant & ſunt Corpora permagnæ potentiæ. Corpus vulgare in aliud Corpus, citra læſionem, ſenequit penetrare, neque in illo ſe extendere, idque ob craſſam ac duram ſuam molem. Tale autem Corpus, quale eſt ex quodam Spiritu perfectum, Corpora alia poteſt penetrare, eaque ſine deſtructione formæ ſeu ſpeciei ipſorum emendare. Exempli gratiâ. Si quis Me-

tallum fixum redegerit in Spiritum ſubtilem, Spiritumque hunc viciſſim redegerit in fixum Corpus, Corpus hoc non erit vulgare, compactum ſeu craſſum Corpus mortificatum ad inſtar cæterorum Corpotum Metallicorum, ſed eſt Corpus ſpirituale, vivum, penetrans & corpora mortificata vivificans, ſeu (ut ita dicam) Corporalis Spiritus: Qui ſe in amplitudinem poteſt extendere, potentiamque ſuam centum aut mille modis oſtendere; prout omnes Philoſophi veri ſuæ Medicinæ Univerſali ſeu Tincturæ adſcribunt, quod ipſa in quantitate perexigua quantitatem Corporum viliorum magnam in prænobiliſſima Corpora tingere ſeu meliorare poſſit. Quæ ardua Correctio mihi quidem nondum tota innotuit; certiſſimè tamen credo ac ſtatuo, quod talis Tranſmutatio ſeu eximia Emendatio Metallorum, beneficiό concentratorum fixatorumque nobilium Spirituum Metallicorum fieri queat. Si cui datur tempus ac locus elaborandi quicquam in his, illi licet periclitari, quid Artis ope perfici poſſit. Ad quod ipſi forſitan hæc mea humilis ac ſimplex ſententia

non

non parum conducet. Ego proloquor ac confiteor adhuc ſemel, quod (ſi eſſem homo junioris ætatis vegetiorumque virium) non intermiſſurus eſſem tempus aggrediendi tantum Opus arduum atque periclitandi, num quidnam mihi Deus elargiretur. Cæterum quum ætas exacta me ad omnia reddat faſtidioſum ac inidoneum, illud junioribus Philoponis relictum ac commiſſum volo. In quo effato acquieſco hac vice. Tu interim *Corpora fixa* converte *in Spiritus ſubtiles*, & *Spiritus volatiles reduc in Corpora fixa*, tunc obtinebis, quodcunque vel deſideraveris vel optaveris.

Mihi quidem non deſunt rationes, cur calamum reſtringam, quominus plura de arduis iſtiuſmodi Hypotheſibus promulgentur: veruntamen quum ego jam multò ulterius exarando proceſſerim, quàm ante me hactenus nemo ferè quiſquam; quid prohibet, quin equiti (quod vulgò dici ſolet) habenas nullus denegem, cui niſæum equum donavi? Complacet itaque revelare adhuc unum genus Spirituum, qui animas Metallorum (poſteaquam eorum Corpora fuerint

Morte destructa) peramanter accipiunt, & in *Cælum Philosophicum*, hoc est, *Alembicum* introducunt. Qui Spiritus boni non sunt horribiles ac immanes ut priores, sed suaves ac amabiles. Equidem tales Spiritus boni non libenter quorumvis metallorum animabus se associant, sed tantummodò talibus purissimis, quales isunt ☉ & ☽. Quod si cogerentur interesse Mortificationi fœtidorum Metallorum crassorum veluti ♂ & ♀, aut venenatorum & adhuc immaturorum Metallorum volatilium, ut ♃, ♄ & ☿, atque emigrantes eorum animas suscipere, non quidem recusarent, sed ab olidis istiusmodi animabus sibi quoque fœtorem contraherent, & proinde vix ex usu Medicinæ forent. Quare satius est, ut hi boni ac puri Spiritus non adhibeantur nisi ad capiendum solas Metallorum mundorum animas, tunc quippe illi manent boni & in Medicina non sine admiratione administrari possunt: contra verò venenatorum Metallorum animæ tantò felicius ad emendationem Metallorum adhiberi poterunt. Quod porrò hos bonos Spiritus attinet,
rescíscas

rescifcas illos non esse aliud quicquam nisi *Spiritum vini purum*, quando ille ☉ & ☽ tempore illo associatur, quo fixa eorum Corpora ab ipsorum hostibus invaduntur & mortificantur atque puræ eorum animæ in libertatem vindicantur, illæ tunc ab his puris Spiritibus suscipiuntur & sursum abripiuntur, Medicina Regia obtinetur, quam pro sua quisque prudentiâ administrare poterit. Quinetiam habentur plures alii Spiritus, qui Metallis destructioni atque mortificationi vicinis præstolantur, ut puras eorum animas ad se rapiant & auferant. Sed de his hac vice satis. Verbosius de illis propediem (Deo annuente) edisseretur in Parte Septima Pharmacopœiæ meæ Spagyricæ.

O Deus altissime, principium ac finis rerum omnium unice, ex profundo cordis mei Tibi ego supplicans, opto, ut (quum generalis ille corporum humanorum interfector olim advenerit & macilentam exsiccatamque massulam meam fictilem pro tua Divina voluntate destruxerit, atque animam meam è vinculo corporis liberatam exemerit) Tu mei illâ horâ miserearis, atque Spiritus

ritus tuos administratorios , Angelos Sanctos *ex gratia atque misericordia paternâ ad me moribundum mittere digneris* , *qui meam defuncti animam susceptam, ad Sanctissimæ Majestatis Tuæ pedes humillimè deponant.* Amen.

F I N I S.



PHARMACOPOEIÆ SPAGYRICÆ PARS SEPTIMA;

In qua

Uberius pertractatur, qualiter ex hominis Urina Secretum Philosophorum

SAL ARMONIACUM

præparetur;

Atque quanta Incredibilia beneficio ejus in Medicina pariter atque Alchymia perficiantur;


CUM

ANNEXA INSTRUCTIONE,

Qualiter Universalis Medicina atque vera Tinctura ad Corpora Humana atque Metallica acquiratur nulla ratione faciliori, expeditiori, sumptibusque parabili paucioribus quàm mediante Spiritu Vini probo, aut, eo alicubi deficiente, ope Spiritus Ardentis ex frumento aut gramine extracti; id quod universum Experientiâ multâ confirmatum, literis consignatum & jam in generis humani salutem in lucem evulgatum

A

JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO,



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE & Viduam ELIZÆI WEYERSTRAET. *Anno* 1668.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Benevole Lector,

Rationum, cur ego Mundo ingrato *Sal Armoniacum* Philoſophorum *Secretum* jam in hoc Tractatulo procul ullo perſonarum diſcrimine delectuque habito adeò evidenter atque citra ullam praxis manualis revelationem in lucem edere permotus ſim, potiſſima eſt hæc: Quippe quoniam ob ſeneſcentem ego ætatem jam alterum pedem in ſepulchrum impoſui atque indies meum ex iſthoc falſi malignique mundi conciliabulo abitum & obitum ad manſionem longè præſtabiliorem à Deo meo mihi prævi-ſam patienter præſtolor, utpote qui non ignarus ſim pollicitationis Chriſti Matth. 25. ajentis; Se eſſe, quodcunque beneficii erga ſuos, puta paupertinos, officioſi (etiamſi vel ſaltem fuerit propinatus ſolus frigidæ hauſtus ad refocillandum in hoc ſeculo depravato) collatum fuerit, in ſuo Regno mille generibus compenſationum largiter repenſurum. Quid? quod etiam quotidiana Experientia nos doceat certioreſque reddat; Hominem in toto hoc terrarum orbe nihil melioris unquam officii præſtare poſſe quàm proximo, quantumvis mali-

tiosa indole prædito, gratificari atque benefacere. Jam verò exploratum nobis est, Benefaciendi genera, quæ à Christi sponsa vocantur *Misericordiæ Opera*, posse esse varia, videlicet, *esurientes cibare*, *sitientibus potum subministrare*, *nudos amicire*, *ægrotos visitare*, *mæstos consolari*, *captivos liberare*, *ignorantes informare*, *errantes in viam rectam reducere*, *defunctos inhumare*, &c. Ille autem ego, qui hic istiusmodi Secretum Sal Armoniacum patefacio pariter atque notifico ingentia illa beneficia, quæ mediante isto, generi obtingere humano possunt, Opera Misericordiæ tantum non ad unum omnia completum habeo; utpote cujus ope omnia omnibus omnium ordinum hominibus, sive junioribus, sive senioribus, sive inopibus, sive divitibus necessaria ad vitæ hujus præsidia subministrentur, prout in Praxi consecutura effusè demonstrabitur. Quæ tamen prolata à me non ita à quopiam accipi velim, tanquam si ego per sola Bona Opera (quippe quæ non sunt causa regnandi cum Christo in futuro seculo, sed tantum via ad Regnum illud gloriosum) quærerem coram tribunali cælesti justificari atque æternæ salutis consors pronunciari, & gratiam Dei meritumque Jesu Christi plene ac planè nescirem; minimè gentium: Deus autem Opt. Max. me interea loci clementer præservet, ut nunquam cum Turba Impiorum magna sibi mens

mens mea deteſtabili cogitatione fingat ac depingat; *Opera Bona nihil prodeſſe, neque Mala obeſſe.* Enimverò ſi ita ferret Dei voluntas, ut hominum alter alterum perpetuo afficeret malo, ille ipſe ſane contra maleficia nullas promulgâſſet pœnas temporarias æternaſque, neque in contrarium ulla religioſa pietatis officia, ſi eadem ipſi diſplicerent, præſtanda mandâſſet, neque eadem ſanctè præſtantibus præmia fuiſſet magna pollicitus. Uno verbo nude poſito; Tametſi Moſes cum Prophetis & Chriſtus cum Diſcipulis ſuis Apoſtolicis nobis nihil prorſus de dilectione Dei proximique præſcripſiſſent, tamen Lex Naturæ nobis ſatis ſuperque confirmat atque dilucidò ob oculos commonſtrat, hominum unum alteri nequaquam debere malefacere, ſed potius benefacere; quibus inculcatis nihil addo, ſed pro tempore acquieſco. Quod autem omnes homines (dummodò ipſimet pervoluerint) multum immò & tantum lucroſi, quantum exoptaverint, beneficio hujus meæ de iſtiuſmodi Sale inæſtimabili Revelationis benevolentiſſimæ conſequi poſſint, hujus aſſertionis veritas aſſeverata erit mihi probatu perfacilis: præſertim ſimul atque ego in Praxi ſequutura exhibuero ſpectaculum illorum ſubjectorum, quorum ſuperfluitas citra omnem pecuniæ expenſam aut impenſam alioſve ſumptus ubique terrarum gentiumque non minus Irò

quam Crœſo paſſim offertur, ſed à perpaucis cognoſcitur, occluſo odio novercali à Mundo ſuperbiente infeſtatur, pedibus proteritur atque præ vilitate exteriore in ſterquilinium angulosque platearum abjicitur, uſque adeò ut enatum inter Philoſophos adagium ſit, quo ſuam ipſi Materiam Lapidis per viam obſcuritatis ſic expreſſerunt: *Spernitur à Stultis ſed amatur plus ab edoctis.* Quibus pauculis innuere voluerunt, iſtiuſmodi Subjectum tantò magis à Sapientibus diligi ac coli, quanto minus à talibus curatur, de qualibus Tullius philoſophatur: *Stultorum plena ſunt omnia.* Hinc Materiam ipſi ipſam nunquam nominatim protulerunt, idque procul dubio propterea quod ipſi ex præcognito ſibi Mundi maligno ingenio facilè conjecturam capere potuerunt, ſibi (ſi quando ipſi de Urina evulgaturi eſſent, in eadem non parum eximii latere) à moderno Philoſophorum putatitiorum ſeu potius ignorantium ſpermologorum vulgo faſtuoſo non niſi convitia atque ludibria fore refundenda. Tutius itaque ipſis viſum fuit Tacere atque in perpetuum ſuperbos iſtiuſmodi fatuos relegare inter micantes auribus aſinos. Quod autem ego hîc jam intrepidè omnia divulgem, procul dubio non ſine ſuis certis rationibus ſupremum Numen ita indulſit ſeu potius anſam publicandi ea dedit. Ipſe namque omnium optimè præſcit, quantas ſit maximas

ximas plagas seu pœnarum mala brevi propter impietatem vitæ nostræ nobis immissurus. Cum itaque tales Dei irati visitationes seu ærumnosæ afflictiones jam in genus humanum ingruant, & maxima pars hominum atque cumprimis ægrotantium, juniorumque seniorumque cum infantibus nondum educatis atque adeò operari manibusque victum lucrari nescientibus deficiantur mediis vivendi; huic tamen egenorum gregi sit solamini atque levamini, quod Deus ex mera gratiâ talem opulentiæ thesaurum, quali à nullo fure neque latrone, neque igne, neque aqua, neque vi Tyrannica exspoliari possunt, ipsis jam inde à vitæ primordio in almam hujus Mundi lucem editis concessit, ut inde panem necessitatis ἐπιούσιον facilè sibi acquirere queant. At enim qualiter, quærat quis, istiusmodi egestatis coloni possent ex urina tantum, quanto victitarent, conquirere, etiamsi conscirent, in illa esse Thesaurum reconditum? Cui ego respondeo, proba id fieri posse ratione, quippe quoniam ego in hoc Libello explanavi, esse Thesaurum in ea abstrusum atque ex ea extratu facilem, nullus dubito, quin nonnulli philoponorum collaturi sint operam suam ad extrahendum ex illa eundem. Quo facto, si Mundo (utpote cujus manus tam oculatæ sint ut credere nolint nisi quod vident) innotuerit, assertionem nostram comprobari rei ex-

 ploratæ

ploratæ veritate, ſubinde multis plures reperientur, qui conſimilem operam navabunt ad victum ſuum ex iſtiuſmodi Subjecto ubivis obvio minimiſque parabili ſumptibus acquirendum. Quod quum iſtiuſmodi operatoribus plus lotii quàm ipſi faciunt, ad inſtitutum ſuum ſit adhibendum, neceſſe ipſi habebunt illud coëmere à paupertinis familiis, quarum ingentem ubique reperias vim facilè concupiſcentium propter panem quotidianum colligere atque ad Artiſtas transferre Urinam; quâ ſanè viâ manus manum fricabit atque alter alterum adjuvabit. Hoc quippe pacto in ſtatum adeò florentem ſalus cujuſvis Reip. perduci poſſet, ut hominum nemo, dummodò pervellet, in toto terrarum orbe inopiâ premeretur; quod remedii genus ſanè tanta eſt gratia atque dos Dei, quantam mortalis præ ſuâ cæcitate videre neſcit, ignarus, quanto ipſum favore divina proſequatur gratia. Numnam enim Deus eſſet immiſericordior hominibus, quippe qui, quantumvis ab Adamo uſque inſigniter depravati, tamen in vita ſua, quantumcunque poſſunt, contendunt, ut filiis ſuis nonnihil peculii, unde honeſtè ſuſtentari queant, relinquant atque, quamvis ipſi quodcunque undecunque comparſerunt, illis reliquerint, incerti tamen ſumus, an relictis iſtis bonis non Marte, aut Vulcani dentibus aut Neptuni tridente exſuendi aut exſpo-

exſpoliandi ſimus; illud autem quod Deus nobis in mundum hunc introductis ſemel contribuit, nemo nobis unquam auferre poterit. Quamdiu enim homo vivit; urinam mingit. Habens autem urinam, poteſt inde ſibi acquirere pecuniam ad honeſtè vivendum. Ah! quod homines reperiuntur pauperes, quorum bona pars penuriâ panis laborantium præ deſperatione ſemetipſos vitâ interficiunt. Alii quippe eorum plerumque mediis malitiæ interdictis abutuntur ad acquirendam panis buccellam, dum aliorum bona tantiſper ſuffurantur, dùm tandem aliquando ad Græcum Π ſuſpendantur; alii in militiæ diſciplinam proficiſcuntur, ubi exigui ſtipendii faciendi gratiâ homines fratres, qui ipſis nunquam nocuerunt uſquam, hujus Babylonici ſeculi more immiſericorditer contrucidant, alii denique à ſuis antagoniſtis ſimiliter canibus rabioſis procul ulla miſeratione internecionibus occiduntur; quæ ſanè inconvenientia non niſi ex ſola neceſſarii nutrimenti penuria emergunt. Cui malo facile antevertere poſſent, ſi ad ſolam ſuam duntaxat urinam reſpicerent atque inde extrahere condiſcerent, quod ipſis maximè conduceret. Oggannientes autem, *Urinam eſſe immundam ſubſtantiam putentem*, non merentur, ut vel hominum nomine nominentur, quippe quales ne ſeipſos quidem noſcunt atque inſuper neſcire volunt, ſe eſſe ex pulve-

re ac ſtercore oriundos, atque in terram ſtercoream rurſus ad unum omnes convertendos. Deus hominem condidit, atque probè etiam novit, qualiter ipſum creârit; neque ipſi etiam talis fœtor eſt ullâtenus ingratus, ſed abominationi eſt ipſi talis putor, quali ſe per ſuam polluit homo ſuperbiam, avaritiam, invidiam, comeſſationes, compotationes, ſcortationes, & conſimilia delicta regnantia. Hanc, hanc graveolentiam maligni evitare mortales debebant, Urinam autem non item. Quotuſquiſque autem eſt tantâ eruditione, ſapientiâ aut eloquentiâ præditus, ut ſuâ diſciplinâ convertere homines inſanabilis vitioſitatis poſſit? Præſtare hoc unquam nemo unus potuit, imò ne ipſe quidem Salomon Rex Iſraëlitarum ſapientiſſimus. Quid igitur in commune conſulamus? Ecquid de talibus fratribus nepotibuſque reſipiſcere neſciis faciamus? Nil niſi ut eos Deo, qui ſolus corda ipſorum præputiata circumcidere poteſt, committamus. Quantum ad me attinet, ego, quod mei fuit officii, feci, atque tantum mortalibus patrimonium revelavi, quantum ipſis eripere nequeunt neque Vulcanus, neque Neptunus, neque prædones, neque fures; uſque adeò ut nemo vel Potentiſſimorum Regum quiſquam liberis ſuis unquam æquiparabile donare aut pro hæreditate legare polleat. Ego equidem mea mihi à Deo gratiosè conceſſa Quinque Talenta

lenta

lenta in terram non defodi, sed fœnori publico exposui. Quod si rabiosus Mundus occæcatus non videre neu audire vult, pro suo ingenio desperato per me agat. Mihi quippe sufficit, quod ego in salutem totius humani generis talia Mysteria evulgavi, ut Philosophorum nemo alter ante me unquam consimilia ediderit. Quum enim Subjectum sit adeò vile, vulgare atque immani apud fatuos superbos contemtui atque odio obnoxium, plerique nomen ipsius genuinum secreto Taciturnitatis carbaso involverunt. Ut autem meam ego animi mentem expectorem, apertè fateor asseverando, esse quidem Mercurium in Urina reconditum, cujus ope multum eximii in Chymia & Medicina effici potest, & qui cumprimis confert perducturis Metalla ad Primam Materiam, atque inde capturis tam universaliter quàm particulariter fructum utilitatis insignem: sed ratio status mei jam non largitur, ut hic effusius de isthac Materia agam. Quicquid enim scripsi, idcircò in summa valetudinis prostratæ imbecillitate clinicus composui, ut hoc Secretum arduum mecum in terram (ubi vel summæ summorum Artistarum Artes omnes computrescere videntur, quæ ab illis ante mortem generi humano superstiti non fuerunt communicatæ aut legatæ) ne contumularetur, ut ita cum vulgo loquar nesciente, Habitus Intelligen-

tiæ

tiæ quoſvis non tam hoſpitari in mortali corpore quàm commorari in immortali mente. Quod ſi avido Artis Inquiſitori hîc omnia ad ſuum votum non fuerint ſat dilucidè planéque patefacta, ille in Tractatulo Tractatum hunc antecedente, qui inſcribitur *Tractatus de Mercuriis Philoſophorum*, ulterius inquirat, ubi forſitan tot deſiderabilia inveniet, quot expleturus famem animæ ſuæ cupidæ diſcendi ſit. Porrò in Lectoris benevoli gratiam non poſſum non publicare etiamnum hoc Informationis genus, videlicet ex ipſa quidem Tractatus hujus Inſcriptione argui *Secretum Sal Armoniacum*, ſed in diverſis quoque locis editæ à me Sextæ Partis Pharmacopœiæ Spargyricæ mentionem fieri *Secreti Salis Armoniaci*; quapropter reſciſcas velim, illud eſſe indolis longè alienæ ab hoc, quod ſtylo jam proſequimur. Quia hoc conficitur ex Urina, urina autem nulla prorſus ad parandum illud adhibetur, quippe quod nihil aliud eſt quàm argentum purum in Aqua Forti ſolutum & mediante acri Aqua Salſa præcipitatum; ubi annotabis, quod Argentum in ejuſcemodi præcipitatione tot Spiritus Salis ſibi attrahit, ut propter eoſdem impoſterum ſimiliter alii Argento in formam metallicam non amplius ſit fuſibile, ſed evaſerit penetrabile inſtar olei in corium; id quod in Scriptis meis dicitur Mercurius Lunæ.

NB. Ex

NB. Ex Saturno quoque hac ratione talis paratur Mercurius, qualis ferè idem præſtat quod Mercurius Lunæ, quamvis ille in quibuſvis Laboribus Chymicis tàm tutò adhiberi nequeat quàm Mercurius Lunæ, id quod memoriæ mandare neceſſe habent, quicunque errata in ſuis committere Laboribus nolunt. Quinetiam de hoc Secreto Sale Armoniaco commonefactu neceſſarium eſt, quod utrumque Salis Armoniaci, quanquam præparantur diverſimode, Metallis vel Mineralibus addita, partem Metalli puriſſimam ſecum ſurſum auferant; ita tamen intelligendo, quod videlicet Metallum à Spiritibus acribus in Sale Armonico exiſtentibus arroditur, atque ita per Diſtillationem ſurſum abripitur, ſeu volatiliſatur haud ſecus ac ſi cuipiam Metallo aut Minerali adderes Mercurium ſublimatum ad proliciendum inde Butyrum. Cæterùm animadvertendum eſt, quod quicquid mediante noſtro Secreto Sale Armoniaco utroque puta confecto tam ex Urina quàm ex Luna præparatum fuerit, univerſum multo purius ſecum in ſublime auferat quàm ullus Mercurius ſublimatus, aut commune Sal Armoniacum. Hæc ferè paucula habui neceſſariò præmonere de differentia inter Secretum Sal Armoniacum, ut inde ne quiſquam quendam imbibat errorem. Certè equidem multa etiamnum forent de noſtro Sale Armoniaco quod

ex

ex Urina confit dicenda, ſed tempus ac ratio mei ſtatus me profuſioribus prohibent.

Ut autem definitionis peritiâ imperitiſſimus quiſque peritior reddatur, ipſi condiſcendum erit, Urinam nihil aliud eſſe niſi Sal volatile illorum ciborum illiuſque potus, quibus nos ad corpus noſtrum alendum & ſuſtentandum veſcimur, & quæ à ventriculo ita excoquuntur atque ſecernuntur, ut nimirum Sulphur tanquam ſuperfluum quid à natura per alvum excernatur, Lotium autem veluti volatile Sal Mercuriale per veſicam ſibi quærat ac inveniat exitum. Jam vero ſatis ſuperque conſtat, homines multò maxima ex parte victitare vegetabilibus, ut pane, cereviſiâ, vino; nec-non pro nutrimentis uti carne, piſce, butyro & caſeo; quæ cibi potuſque genera, ſimul atque in ſtomachum delata fuerint, per naturalem quandam coctionem fermentationemque ita invertuntur, ut aliquis Mercurius naturalis inde progignatur. Ex quo ſat luculenter apparet, quod memoratum Mercurium, (quem nos obſtetricante Arte ex urina extrahere callemus) ante oportuit, quam ipſe in urinam degeneravit & in corpore noſtro nondum inverſus fuit, jam inviſibilem in vegetabilibus Mercurium fuiſſe, id quod certiſſimè verum eſt, & per experientiam nobis confirmatur, quod in ſingulis vegetabilibus (nullo eorum, ſive vini, ſive frumenti, ſive mellis,

lis, sive sacchari, sive aliorum fructuum pinguium, utpote in quibus omnium copiosissimè Mercurius noster vegetabilis insit, excluso, quocunque etiam illa mactentur nomine) idem Hermes hospitatur, tametsi ipse etiam extrahi possit ex omnibus fructibus, arboribus, herbis, quovis communi agrorum pratorumque gramine, omnibusque arborum sylvestrium hortensiumque frondibus ac foliis, posteaquam illa minutim concideris, aquâ calida perfuderis ac fermento donaveris. Equidem herbæ macræ pro sua quantitate de se non dant tam multum Spiritus Ardentis quàm frumentum, vinum, vel saccharum; at ruminabis, gramen viliori parari pretio quàm frumentum, vinum aut saltem fæx vini cerevisiæve. Quinetiam è vinaceis, unde vinum torculis exprimitur, probus confieri Spiritus Ardens potest; ad cujus tamen suavitatem quod attendas nihil est, utpote cujus emendatio inter operandum eousque fiat, ut æque probus reddatur atque Spiritus vini generosissimi. Hoc Arcanum parandi ex Vegetabilibus omnibus veram Medicinam Universalem ad Tria illa Regna nostratibus notoria à me putatur pro tanto Secreto; quantum maximum unquam Philosophis innotuit, aut adhuc imposterum innotescet, utpote de quo quidem permulti egregiè scripserint, tamen tali stylo ac filo, ut Opus totum tot phrasibus para-

parabolicis, allegoricis ac ænigmaticis obscurârint, involverint, abstruserint, ut propemodum cuiquam plane impossibile sit, fructuosi quicquam ex ipsorum Scriptis addiscere, nisi cujus oculi singulariter à Deo fuerint illustrati. Præter cæteros autem Albertus M. ejusdemque discipulus Thomas Aquinas, Arnoldus, Lullius, Bracescus & cumprimis Basilius de eo sat evidentia videntibus præscripserunt, quantumvis verbis omnia caliginosis. Atque ut idem conscivit Paracelsus, ita etiam videtur fuisse Helmontio cognitum; qui tamen de eo scribere reformidârunt maximoperè cavendo sibi. Quod autem jam ego tam libere atque apertè omnia promulgem, ideò potissimum fit, quod Deus Opt. Max. (cui immortales cantatum habeo gratias) Secretum hoc vixdum paucis abhinc septimanis mihi revelavit, atque ego ratione ingravescentis ætatis in eo perpauca elaborare valui, imò ægrè tot duntaxat, quod ego in lecto invaletudinis meæ instituenda curare potui, ut parva aliquot Specimina, quæ vulgò *Probas* nuncupant, inde conficerentur; unde ego veritatem rei ita comperi, ut jam aliis tutò confirmare possim, Mercurium Philosophorum verum in illis reconditum esse. Tametsi verò illud talibus Philosophis putatitiis (quales laborant præcipuarum rerum naturalium ignorantiâ atque interim non nisi solo linguæ verbosæ

bosæ ac ventosæ dono ampullantur) ignotum hactenus incognitumque fuit; à me tamen (utpote cui in Philosophia, Medicina ac Chymia nunquam eo magnificentius, elaboratu facilius atque sumptuum ratione parabilius quicquam in manibus venerit) ita publicatur ut nullus dubitem, quin plerique Philoponórum confidenter pariter atque feliciter manum operi elaborando admoturi sint. Vinum quippe ardens seu distillatum procul ullo magno pretio copiosè acquisitu facile est, Instrumentum ex cupro fabrefactum habile ad Mercurium à Sulphure separandum etiam non magno stat, fixatio denique Mercurii quoque fere nihilo constat, quippe quæ à callente Modum figendi perfacillimè atque ocyssimè absolvi potest, nempe intra unius saltem diei hóras ac moras. Pariter intra unum perfici diem possunt præparatio Spiritus Ardentis juxta atque Mercurii separatio à Sulphúre; quod tamen illi soli sibi dictum intelligant qui non nisi pauculum quærunt ad comperiendam Artis possibilitatem. Quod si quis multitudini Tincturæ inhiaret, illi sanè plus temporis ad parandum illam opus foret, prout conjectu ac collectu facile est experto cuivis.

Ego in meo cubili inter conflictandum cum morbo gravi (posteaquam Artem fundamentaliter per diuturnam diurnarum nocturnarumque speculationum accurationem) intra

unius ſeptimanæ ſpatium ſolis minorennium filiolorum meorum manibus (naſututos quippe Mundi hujus indigni filios ad tale opus ſecretum elaborandum adhibere neſcivi) tria parva Tyrocinia ſeu Probulas perfeci in exigua tamen quantitate, quandoquidem in meo cubiculo proximè lectum non dabatur locus elaborandi aliquid magnifici, nihilominus ſtat ſententia auſpicandi elaborandique opus majoris quantitatis, ſi mihi modo Deus ſaltem ad illud elargitus fuerit vires dierum octo vel decem.

Ignoranti equidem auditori videbitur eſſe res creditu impoſſibilis expertorum illa confeſſio, quod vel in quavis herba ac gramine Lapis Philoſophorum verus lateat. At enim ſolos Naturæ ignaros hoc traducit in admirationem. Enimverò plus ſatis Philoſophi Spargyrici jam inde à permultis retrò annis ſuos de eo libros publicaverunt, quod nimirum ex rebus omnibus, à quibus ſaltem Elementa ſeparari poſſunt; Lapis Philoſophorum evocari atque conflari poſſit, de quibus ego, ſi qua neceſſitatis vi adducerer, teſtimonia multa allegare poſſem. Annon poſſumus per Fermentationem, Diſtillationem & Rectificationem Elementa ex Vegetabilibus multo facilius ſeparare quam ex rudibus Metallis duris? An ex illis nos non emundamus omnium puriſſimè atque ſubtiliſſimè Elementum ignis? Id quod ſanè ex Metallis elicitu impoſſibile eſt. Quod ſi nos puriſſimum

ſimum ignem, adjutrice Arte, rurſus in terram converterimus, annon continuò iſthæc nova terra, ſi ipſam fixaveris atque Artis ope in Igne conſtantem reddideris, foret materia omnium puriſſima in tota rerum natura. Nemini non ignotum eſt, in Spiritu vini contineri ingentem vim corda confortantem, ſed propter ardorem, quem pleriſque ipſo immodice utentibus infert, idem meritò evitatur. Quod ſi ejuſmodi Sulphur fervens à Mercurio ſeparaveris, in fundo remanebit ſolus temperatus, adeoque Conſtitutionibus (quas vulgo vocant *Complexiones*) omnibus gratus Mercurius purus in forma limpidæ Aquæ ſuavis, quam Philoſophi vocarunt *Aquam vitæ*, idque non inſipienter neu dicis gratiâ. Vitæ namque alimonia eſt eidem incluſa, atque hæc *Mercurialis Aqua* ſeu *Aqua vitæ vera* ita per ſe ſine ulteriore emendatione in morbis omnibus ſat tutò adhiberi poteſt, hac tamen lege; ſi Spiritus ex vino, frumento, aut ſanis miniméque venenatis herbis fœtentibus paratus fuerit. Ad Tranſmutationem autem Metallicam quodvis vinum diſtillatum conducit, ex quacunque etiam fuerit materia paratum. Veruntamen in Aquæ forma illud in Metalla nullam virium ſuarum exercere poterit, ſed reducendum eſt in rubrum pulverem fixum Philoſophis dictum *Aurum Philoſophorum*, *Aurum Horizontale*, *Aurum tin-*

gens, Aurum vivum. Atque ut ſimul ac ſemel omnia eloquar, nihil reperias ex facientibus ad Medicinam ac Chymiam noſtro fixo *Mercurio Vini* rubro præſtantius, quippe qui eſt verus *Phœnix* ſeu *Avis Titanis*, pullos ſanguine ſuo ſuos paſcens, nec non *Salamandra* vera, qualis in Ignem non moritur, ſed nutritur atque augetur; uno verbo, qualis eſt *in omnibus omnia.* Cæteroquin etiamſi Philoſophi fateantur, in omnibus omnia eſſe occulta, & in Aqua Vitæ proba ſpiritualiter Metalla omnia reperiri, id quod ego etiam ita reapſe comperi, utpote qui alioquin hæc nullo prorſus veritatis ſtylo exarare valuiſſem. O nobilis Ars Hermetica atque Regina ſcientiarum omnium! Quàm fœdè ac indigne tu ibi jaces proſtrata ac conculcata à porcis olidis ſub pedibus atque contempta ab ignorantibus fatuis ſuperbis! Nullus autem dubitarim, quin exiguus hic Libellus meus ſit multis ignorantiæ cæcitate laborantibus oculos aperturus, atque Lectorum plærosque in veritatis callem perducturus, prout Tractatulus nuperrimè editus ſub Titulo de Sale Philoſophorum jam multis multi boni adinveniendi auctor fuit. Enimvero, unus atque alter illorum diverſorum, qui Dominæ Chymiæ jam repudium remiſerant, perlectum illud ἐγχειρίδιον juxta cum mea informatione rurſus animavit, ut intermiſſam Artem denuò aggreſſi, *Sal Philoſophorum* pararint,

Speci-

Specimina proba ediderint, atque etiamnum in dies ſingulos inter operandum ſucceſſibus triumphant ſecundis in Tranſmutatione Metallorum; qui tamen Lapis ne comparandus quidem eſt ad Tincturam illam ex vino aut frumento confectam, ſed tantummodò reputandus veluti terræ gleba ad unionem venuſtiſſimum. Quare quod dixi, dicturus etiamnum ſum confitendo, me non credere, Medicinam Tincturamque unquam Philoſophis cognitam fuiſſe ſublimiorem Mercurio Vini fixo rubroque. Interea loci autem credat aliorum quiſque, quicquid ſibi placuerit, ſufficit mihi, me veritatem ſcripſiſſe, atque neutiquam Summum Mundi totius Secretum mecum hinc in cadaveroſum Libitinæ Regnum transtuliſſe. Quod autem ego hîc filum cœpti ſermonis præmaturè abrumpam atque nullum modum ponam, ad quem Spiritus ardens paretur, & Mercurius inibi latens ab eodem ſecernatur atque in Tincturam fixam redigatur, non ſine prægnantibus ſit rationibus. Enimverò Opus totum à capite ad calcem uſque per ſe eſt adeò vile atque perfectu facile, ut Methodum conficiendi illud vel quivis Corydon aut Melibœus rudis omnium artium Chymicarum intelligat ac imitetur. Quocirca peropus eſt, ut explanatione ulteriore ſuperſedeatur. Cuicunque enim Deus elargiri voluerit, ille tam facile inveniet, ut minimè ne-

ceſſarium ſit, vel unum à me de illo verbum præter ſuperiora cædi, quandoquidem coram judice vivorum atque mortuorum Deo ego olim de iſtiuſmodi inconſiderantia rationes juſtè reddere ullas neſcirem, ſi quando à me hoc Secretum Secretorum Secretiſſimum procul grano ſalis ullo in vulgus ingratum pariter atque indignum diſſeminaretur. Impio quippe Mundo à me eſt jam plus ſatis detectum: Veruntamen adhuc ex ſupervacuo ediſſero, quod non minus pauperrimus quiſque quam opulentus aliquis ad hoc Opus ſummum provehi poſſit, utpote ad quam Medicinam incomparabilem præparandam nulla Materialia ſumptuoſa neque ulla temporum aliquammultorum diuturnitas requiruntur.

Certè equidem cognita mihi ſunt diverſa Particularia egregia, quibus mediantibus non tantum argentum ſed omnia etiam alia Metalla in Aurum & Argentum non ſine fructu utilitatis notabili convertantur, elaboratu tamen difficiliora ſunt, quàm magnum illud Opus Univerſale; quapropter hoc etiam inter cætera fructuoſa Chymica Secreta meritò & procul dubio principatum ſibi delatum perpetuò tenebit; quibus nos quoque acquieſcemus & Dei gubernaculis reſidua cuncta committemus, quippe qui forti manu ſua ſuis ſummis Chariſmatibus muneribuſque ita patrocinabitur, ut nemo *Impiorum* evadat particeps eorum.

rum. Dixi, *Impiorum.* Piorum namque in feculo præfenti hominum mira datur paucitas. Neque verò ego adeò cæcutio, ut cum Mundo cæco tam falfo judicem cogitemque, illos folos effe homines religiofos ac probos, qui præ fanctitate fimulata atque confuetudine inveterata concurfando frequentant templa, quum vel ipfe Satan cum fuis affeclis pariter procurrant in templa. Hos autem ego folos pro probis puto, qui proximis fuis nulla ex parte nocent, fed Mundum cum Thefauris ipfius tranfitoriis omnibus afpernantur, levidensâ amiciuntur, tenui victu nutriuntur, moderatè ac tranquillè vivunt, de honore Mundi planè non laborant, fed præ omnibus aliis occupationibus fecularibus folam animarum fuarum falutem unicè accurant, corpori proprio nihil ultra pabulum vitæ neceffarium tribuunt, femetipfos, etiamfi magni inter Deos majorum gentium numerentur, parvi pendunt, multa denique callent & habent quibus tamen ipforum corda non adhærefcunt, fed fola Æterna à Deo fua impetrare contendunt. Contrà eft talis Impiorum Character, ut faftuofo fœtentis Superbiæ typho inflati neminem præ fe alterum ferant, fed omnem honorificentiam, pecuniam ac fubftantiam Mundi folis fibi acquirere ftudeant, habitu ferico variis nolis ac tholis ftellantibus, lemnifcatis, baccatis ac gemmatis interftincto incedant inftar pavonum caudis

ſpeculoſis, homines cæteros omnes præ ſe flocci pendant atque deſpiciant, quamvis interim ipſi nihil ferè ſciant niſi ex opaca ſua ilice cornicari, atque incautiſſimo cuique exercitatâ linguæ glorioſæ dicacitate imponere, quippe quo compendii vafri genere ipſi ſuas divitias ſuffocantes corradere didicerunt, quarum tamen nunquam obſaturantur, tametſi probè conſciant, ſe Plutonem ſuum ſecum non poſſe hinc transferre in manſiones animarum corporibus jam ſolutarum. Talia ſubſannantia gloriæ vanæ animalia præ avaritia ne unum quidem ſaccum carbonum plenum coëmere audent, ut periclitentur nonnihil ardui in rerum natura, ſed ſibi perſuadent, ſe ſuæ loquacitate poſſe unum item & alterum Secretis ipſorum omnibus emungere atque ita citra omnem laborem atque ſumptum magis diteſcere, ut tantò amplius deinceps ſuperbiant. Tale ignavum fucos pecus quilibet cordatus Philoſophus ſedulò caveat, ne quid, cujus pœnitere ipſum prolati poſtea poſſet, coram ipſis effutiat, communicando Secreta ſua Diabolo mercatori. Quinimo maledictus ſit atque Anathema ſibi dictum habeat, quicunque conſuetudines & familiaritates cum talibus Satanæ geniminibus contrahit & colit. Beamus autem illum, qui humilibus ſe aſſociat, quippe quorum concioni quoque Deus non minus intereſt quàm Diabolus conciliabulo ſuperborum.

rum. *A pravo Tibi cave conſortio*, dixiſſe fertur Zabulus carbonario. Quocirca caute proſpice, quibuſcum converſeris. Enimverò non illi omnes ſunt oves, qui in veſtibus ad te ovinis accedunt, utpote ſub quibus rapax nonnunquam lupus latitet. Quare audiens eſto dicto doctrinæ meæ, ut quandocunque tibi Deus nonnihil eximii revelaverit, tranquillum ac tenuem te geras, & nihil commercii unquam cum impiis habeas. Alioquin enim Deus illud quod tibi conceſſit, à te auferre & in alium conferre poterit, qui munere illo fuerit dignior te. Quam paternam doctrinam benevolamque admonitionem à me, fili Artis candidiſſime, candidè accipe, & neutiquam Eteſiis committe, quominus te olim facti pœniteat. Sub quæ ego omnibus Hermeticæ Philoſophiæ & Medicinæ diſcipulis comprecor largam Dei benedictionem, hîc temporalem atque illic Vitam æternam, apprecando ex corde, ut illuminantiſſimum Dei Lumen inexſtinguibile Mihi æque atque ipſis primo quoque tempore perfectè illuceſcat, AMEN.

DE SECRETO SALE ARMONIACO.

Certè equidem de hoc noſtro *Secreto Sale Armoniaco* ego in diverſis Scriptorum meorum Libris mentionem feci,ſed Modum præparandi in hunc locum uſque diſtuli publicandum. Etenim poſteaquam ego ſum certior factus, multos multum inquiſiviſſe ad comperiendum ipſius præparationem & fructuoſum in Medicina & Chymia uſum, ego rationem conficiendi, & multiplicem fructum utilitatis Salmiaci iſtius diutius noſtræ profeſſionis alumnos celare nolui, ſed potiſſimum in gratiam ægrotantium (quibus ingenti eſt ſolamini ac levamini) apertè in ſcriptis ſine ullà recelatione evulgare malui, ſperando, me hujus editione permultis hominum millibus benefacturum, & Reginæ Artis Spagyricæ victricis caput veluti laureâ in ſignum Triumphalis gaudii coronaturum.

Ante omnia tenendum eſt, nomen inde eſſe huic ſubjecto impoſitum, quod in multis cum communi *Sale Armoniaco* conveniat. *Secreti* autem epitheton ei addere placuit nobis, quum in toto Mundo perpaucis hoc Sal innotuerit, & qui illud ſibi acquiſiverunt, publici juris ac uſus com-

communis non fecerint, sed sibi saltem solis pro magno Secreto possederint, & quotiescunque illius Salis in Scriptis suis fecerunt mentionem, ipsi illud nominârint suum *Salmiacum*, utpote de quo, si quando necessitas efflagitaret, Exempla adduci multa possent.

De isthoc nostro Salmiaco locuturus Cosmopolita exclamat ita: *O Mare nostrum! O Sal Armonicum nostrum*! Mare ipsius erat Oleum Vitrioli, atque ipsius Salmiacum Spiritus Volatilis Urinæ, hæc duo si quando conjunguntur, de se dant nostrum Salmiacum Secretum, cujus adminiculo tot Magnalia in Medicina & Chymia perficiuntur, prout deinceps audiemus. *Paracelsus* & *Helmontius* hoc Sal vocârunt *Alkahestum*, utpote de quo prior perpauca, posterior verò permulta scripserunt, & uterque tamen illud tam secretum sibi solis servârunt, ut Helmontius ne proprio quidem filio illud detexerit, aliisque hominibus sibi intimis de illo perquirentibus respondens persuaserit; *Esse Ens acquisitu perdifficile*. Atque ita ipse se à molestissimis quibusque percontatoribus cum dicto liberavit; quantillum verò alii ex ipso expiscari potuerunt, refertur fuisse hoc; *Liquorem Alkahesticum confieri ex sanguine atque lotio*. Credibile utique est; Ipsum èx illis subjectis istiusmodi Alcahestum confecisse. Ratio autem, cur illud Alcahesti genus tam ex sanguine & urina potuerit præparari quam ex Oleo

Oleo Vitrioli & Spiritu Urinæ, eſt hæc: Macrocoſmo magna intercedit cognatio ac ſimilitudo cum Microcoſmo, nimirum homine, uſque adeò ut quicquid habetur in Macrocoſmo, etiam reperiatur in Microcoſmo ſeu homine. Etenim quemadmodum in Microcoſmò Acidum Univerſale, videlic. Vitriolum, maximam partem in fibris, cuniculis aut venis ſubterraneis generatur, ibidemque à terrigeno igne centrali in digeſtione perpetuâ ſuſtentatur, atque tandem in Mineralia ac Metallica Corpora maturatur: Ita etiam in hominis cujuſque corpore ſanguis venarum tanquam Micròcoſmicum Acidum univerſale generatur & per longam digeſtionem Cardiaci Ignis centralis augetur, melioratur atque tandem in carnem, cutem ac oſſa transmutatur. Reperias itaque in hominum Animaliumvę ſanguine Acidum conſimile Acido reperto in Macrocoſmo, adeò ut dici queat, noſtrùm Secretum Salmiacum æque efficaciter parari ex ſanguine & urina Animalium quàm ex Oleo Vitrioli & Spiritu urinæ poſſit. Ad quod ego doceo, ingens adhuc diſcrimen inter utrumque dari, quippe quoniam Oleum Vitrioli per Rectificationem emendari ac magis ſubtiliſari poteſt, id quod de Acido Vitriolato in ſanguine Animalium fieri nequit. Huic igitur præparationi ex Oleo Vitrioli rectificato primas meritò deferimus ac relinquimus, utpote quod in omni labore

Chy-

Chymico reperitur longe efficacius altero ex ſanguine. Sanguine igitur poſthabito, abeamus paraturi noſtrum Secretum Salmiacum ex Oleo Vitrioli emundato ac Spiritu Urinæ ſubtiliter rectificato, prout ſequitur.

RATIO conficiendi noſtrum *Secretum Sal Armoniacum.*

℞. Optimi exactè dephlegmati rectificatique Olei Vitrioli ℔. j. cui Vitrioli Oleo minutatim affunde tantum puriſſimè omnium dephlegmati rectificatique Spiritus Urinæ, donec non amplius in ſe invicem agant, ſed mortificentur ac tranquillentur, in qua conjunctione ex contrariorum utroque evaſit Sal medium. Peracta jam rectè operatione, invenies acrem Liquorem penetrantem cui ineſt potentia abducendi ſecum in ſublime Eſſentias omnium puriſſimas ex Vegetabilibus, Animalibus ac Metallis, id quod alioquin in rerum natura Ens nullum aliud pariter ipſi præſtare pollet, prout demonſtrare decrevimus. Si quis igitur ex iſthoc Liquore ſalſo diſcupiens conficere ſiccum Salmiacum, in leni ſaltem Balneo Aquam inſipidam inde abſtraxerit, in Cucurbitæ fundo remanebit venuſtum Sal album, quod eſt noſtrum *Secretum Sal Armoniacum*, cujus beneficio Magnalia mira in Medicina atque

atque Chymia, prout mox audiemus, patrari possunt. Sequitur jam

Usus *nostri* Salmiaci, *cujus ope ex* Vegetabilibus *perquàm efficaces & tantùm non incomparabiles* Essentiæ *extrahantur*.

QUâ ratione ac viâ antiquiores pariter atque recentiores Spagyrici suas Vegetabilium Essentias præparârint, per orbem terrarum jamdudum apud neminem non increbrescit, videlicet per Spiritum vini. Qui Modus extrahendi quidem per se est opus quantivis pretii, cum Spiritus vini promtè eliciat Essentias Vegetabilium Animaliumque, relictis post se siliquis inutilibus. Non interim nobis hoc quoque incognitum est, quod Spiritus vini in extractione virtutes rerum à se extractarum tam notabiliter mutet, ut Extractum pauciores virium exserat quam Simplex unde extractum est, idque omnium notabilissimè in Catharticis seu Purgantibus, itaque ut Dosis Extracti plerumque debeat administrari major Simplice ipso. Ratio est, quia Purgantia omnia maximam partem suæ facultatis Catharticæ consecuta sunt ex cruda immaturaque illa substantia, quâ stomacho adversantur atque propterea ab ipso ad hospitandum non admittuntur,

tur, ſed illicò expelluntur, inter quod expellendum inſimul quoque Excrementa exturbantur. Quantò igitur fortius cruditas in Purgantibus dominatur, tantò impetuoſius illa etiam ſtomachum commovent, & quantò fortius ventriculus illam perſequitur atque eliminat, tantò vehementius inſimul etiam ſuperflui noxiique humores corporis evomuntur. Quod ſi Catharticum fuerit nimis crudum, aſperum, ac immaturum, multò fortius quoque ſtomachus illud à ſe rejicit, quinimò tota natura inde quaſi turbatur & pro viribus ſuis omnibus conatur talem à ſe hoſpitem rudem prorſus extrudere. In qua impetuoſa expulſione quoque humores jam penitius radicati unà cum excrementis ex corpore ita exterminantur, ut illud pernicioſa eorundem colluvie omni exoneretur atque liberetur.

Nonnulla vegetabilium adeò averſatur ſtomachus, ut patientiæ impatiens tantæ ſit, quanta ipſis concedat moram, quâ deorſum per ſeceſſum paulatim expellantur, ſed tanto eadem faſtidio nauſeaque indignatur, ut ipſa ſurſum per vomitum violenter exciat: in qua excreatione inſimul tenax viſcoſaque ſtomachoque ſemper noxia bilis excernitur, quia alioquin haud expulſa per purgationes lenes fuiſſet, veluti cernere eſt in Aſaro ac Helleboro; quippe quæ, quotieſcunque procul ulla præparatione homini malè habenti propinantur, continenter

nenter vomitus concitant; ſin autem per Spiritum vini extrahuntur, nullos prorſus vomitus movent, ſed ſaltem deorſum evacuant. Ex quibus ſat apparet, quod Spiritus vini in extrahendis Vegetabilium Eſſentiis per vim ſuam naturalem virtutes herbarum tam notabiliter immutat, ut minimè idoneus ſeu conducibilis ſit, qui ad genera Extractionum omnia adhibeatur, idque propter naturam ipſius variantem ſeu proprietatem alterantem. Neque etiam illa Extracta, quæ per Spiritum vini confiunt, in morbis quibuſvis tutò uſurpabis; quippe quoniam Extracta per Spiritum vini in ſua vi calida calore exaugentur, & proinde in morbis acutis ſeu ardentibus fugienda ſunt. Ex contrario Menſtruum noſtrum, videlicet Sal Armoniacum Secretum in Extractione ſua virtutes Specierum, ad quas adhibetur, non alterat, ſed ex illis duntaxat puriſſimum quodque extrahit & tanquam ſuaviſſimam quandam Eſſentiam ſecum per alembicum ducit, id quod Spiritus vini præſtare nullatenus poteſt. Quapropter noſtro *Liquori Alcaheſtico* meritò primas deferamus in Extractione Vegetabilium Animaliumque Eſſentiarum. Certè equidem nullatenus volumus, Spiritum vini laborare contemtu aliquo, quippe qui ſuas in nonnullis Subjectis vires excellenter prodit & nulli cedit alteri: Atqui *Aqua noſtri Secreti Salis Armoniaci* Extractionem ſuam modo planè

alio

alio perficit, utpote quod à duobus acribus Entibus penetrantibus, videlicet *Oleo Vitrioli Acido* & *Spiritu Urinæ Alcalisato* conjunctum, in tale temperatum Sal medium ope Artis redigitur, quale Sal fere est ejusdem cum communi Salmiaco indolis, præterquam, quod in operationibus suis omnibus multò acrior, penetrantior atque efficacior eodem reperiatur.

Ut igitur ad rem ipsam perveniamus atque videamus, quantus à nostro *Vitriolo Alcalisato* seu *Alcali Vitriolato* usus præstetur ad præparandam Medicinam eximiam, operæ pretium me lucraturum fore arbitror, si primitùs auspicatus fuero ab illa *Medicina*, quam Paracelsus ab *Aloë*, *Myrrha* & *Croco* confieri docuit, & à veneranda Antiquitate omnibus vitæ longævæ auctoribus summoperè commendata atque *Elixir Proprietatis* nominata fuit. Quum igitur Paracelsus inter describendum Medicinam istiusmodi prænobilem quidem pauca verba verbis tamen genere dicendi grandi prolatis coagmentet ad prædicandum miris laudibus virtutes sui *Elixirii Proprietatis*, placitum fuit huc ipsissima ejusdem verba transcribere subsequentia:

Ita etiam Natura nobis enixa *Elixirium* est, quod ex *Rebus Naturalibus* in sua propria Essentia perfectum reddi potest *Elixir*, puta ex *Myrrha*, *Croco*, & *Aloëpatico Citrino*. Ex qua ipsis vi hoc obveniat, nos ponimus *de ipsorum*

generatione & Processum hic signantes, initium, de quo antehac commeminimus, omittimus; atque ita se habet.

℞. *Myrrhæ, Aloëpatici, Croci ana quartum unam, quæ simul in pellicanum & arenam posita, mensibus duobus, adscendant lenissimè. Separa tandem per Alembicum Oleum à fæcibus præter adustionem. Oleum hoc unà cum Circulato per mensem digeri permitte, pondere quidem æquali, post serva. In hoc Virtutes omnes Balsami naturales insunt, quin & Virtus conservativa in sensibus amplius quàm assignare fas sit: quia non una tantum ætas ab eo procedit, sed quatuor, septem, vel decem, &c. Vim & naturas ejus exprimere vix possibile; sed quoad nostrum ingenium, satis à nobis dilucidatum est, ut ampliore interpretatione id indigere non putemus.*

Hic describit Paracelsus suum Elixir verbis adeò obscuris erroremque incutientibus, ut hactenus nemo unus quicquam eximii secundum ipsius verba præparare potuerit; querente præter cæteros Helmontio, quod Paracelsus inter tradendum rationem præparandi illius reticuerit Alcahestum, quippe quo si quis in præparatione usus fuerit, ille consequatur Medicinam tantarum virium, quæ tantundem præstet, quantum Paracelsus adscribit suo Elixirio Proprietatis.

Quicunque autem his à me publicatis contentus non est, adeat consulturus Helmontium profusius de eo differentem.

Ecce

Ecce jam meum Tibi Processum ad parandum Medicinam ex singulis trium illarum specierum pulverisatarum, nempe Myrrha, Aloë & Croco eaque 8 lotonibus inter se commixtis in quadam phiala superfudi 1½ ℔ nostri probi Liquoris Alcahestici atque in Balneo leni per 2 aut 3 dies ad digerendum seposui, in qua digestione Liquor noster acris istas species dissolverat atque perbenè se cum illis conjunxerat. Mox mixturam ego totam ex phiala in humilem cucurbitam vitream infudi, Alembicum cum receptaculo probè lutavi, atque in Balneo leni, quodcunque adscendere gestivit, in diversis par opsidibus singulatim excepi. Ascendit quippe

1. Penetrans albus Spiritus Aromatisatus odoris fragrantissimi secundum verba Helmontii.

2. Flavus juxta atque rubidus, & uterque quidem multò efficacissimus, quorum tamen quisque est separatim excipiendus.

3. Denique ad extremum (posteaquam humiditas omnis exhalavit atque ignis aliquantulum augetur) talis graveolens rubellus Liquor Oleaginosus Alcalisatus, qualis in omnibus recentibus vulneribus pariter atque fistulosis ulceribus præstat vicem præstabilis Balsami præsentanei seu perquam salutaris.

Spiritus ille subtilis Intrinsecus indigentibus administratur ad balsamandum seu un-

gendum corpus cum internis membris omnibus, atque ad illud à quibusvis vitiosis affectibus magistraliter præservandum; quale quidem remedium præsentissimum à senibus debilioribus avidè quæritur. Ingredientia sunt indolis balsamicæ, estque eorum præparatio artis subtilitatisque multæ, ita ut non possit non confieri eximia ex illis Medicina. Talis namque naturæ est nostrum Salmiacum, ut ab ipso omnes Vegetabilium, Animalium Mineraliumque virtutes exaltentur, amplificentur atque meliorentur, idque propter exaltationem, quæ ab ipso subjectis inter laborandum conciliatur, prout exactius condiscetur, si quis elaborare conatus fuerit, veritatemque veluti manibus palpaverit. Qualiter igitur hìc instituitur Processus de Croco, Aloë & Myrrha, taliter quoque de aliis facias subjectis Vegetabilibus Animalibusque, usque adeò ut nulla nobis incumbat necessitas perscribendi huc peculiarem de quavis Medicina Processum. Hoc unicè annotandum est, accuratam habendam esse rationem ponderis atque mensuræ in commiscendo subjecta cum Liquore Alcahesto. Si quis enim debito minus ex Liquore Armoniaco addiderit siccæ materiæ, omnis Liquor se ita in siccam abstrudet materiam, ut parum Spiritus inter distillandum adscendat; sin autem Liquoris istius plus justo affuderit, Spiritus adscendens non erit sat efficax, cum virtus illius

illius ſubjecti ſe nimis longè latéque diffundat in copiam Spiritus. Quapropter in rebus ſingulis Modus & pondus obſervanda ſunt. Species ſiccæ quales ſunt herbæ, radices, ſemina & flores abſorbent multum aquæ, Ligna verò non item tantundem, Lapides eorumque ſimilia multò paucius illius. Si quis igitur in hoc rerum genere nonnihil eximii perficere amat, cauto opus eſt, nè quid nimis aut parum agat, ſed in quacunque ſemper re Medium teneat; quò eveniente, nulla ſentietur jactura nec irritus unquam ſuſcipietur labor. Eſt namque ferè impoſſibile deſcribere omnia Arcana tam evidenter, ut villicus illa omnis citra inveſtigationem ullam comprehendere valeat. Ego hîc ſufficienti ratione jacio fundamenta, aliorum quilibet eiſdem ſuperſtruat vel ſtruere ſuperſedeat. Legatur quoque Helmontius qui de hac Hypotheſi quidem ſat effusè ſcripſit, veruntamen ſecundum literam non ſemper intelligendus venit, quippe qui in pleriſque libellorum ſuorum locis operationem manualem reticuit, idque cum primis quando de Ligno vitæ cedrino egit. Ejuſdem præparatio non requirit faſtidioſam temporis diuturnitatem, ſed intra breviores horas ac moras elaborari poteſt. Proborum quidem eſſet Medicorum, hanc Medicamentorum præſtabiliorum præparationem introducere in ſuas Pharmocopœias officinas, atque inde aliquan-

tam feplafiariorum remediorum partem profcribere. Hoc enim peracto, plerique hominum nunquam perditè ufu inutilium medicamentorum negligerentur neque præmature interimerentur.

Quum autem Charitas in hominibus refrixerit atque ipforum corda Satanas invidiá, fuperbia, privati commodi quæfitu vitiifque aliis impleverit, atque cum omni improbitatis fuæ genere in illis fibi fedem ceperit fixeritque dominando, intér Medicos reperias pauciores Samaritanos quàm Sacerdotes & Doctores de Tribu Levi, quales tamen ex vero Chriftianifmo exulare oportebat, utpote quæ Turba immifericordiæ magna per fuam Impietatis Praxin notoriam fat prodit, fe neutiquam Deum cœli revereri, neque de hominibus fratribus magnopere laborare. Quod fi tandem aliquando in fupremo vitæ articulo indormifcens quorundam iftiufmodi Medicorum Confcientia expergefacta atque recordata fuerit, quàm inhumano Tyrannorum more ipfi ægrotos tractârint, defperabundas fuas animas procul omni folamine ac levamine è faucibus fuis in faces Draconis infernalis hiantes evomant, prout exemplis ego multis, fi allubefceret, confirmare poffem.

Non fufficit fibi nomen adfcifcere à *Galeno*, & verò interea loci nullatenus infiftere veftigiis virtutum Galeni. Galenus fuit Ethnicus probus,

probus, accuratéque deſcriptum nobis poſt ſe defunctum reliquit, quodcunque ipſe tempore diuturno pariter atque ſtudio multo variè collegerat.

Quàm experientiſſimus in Medicina vir fuerit *Hippocrates*, ſcripta ipſius nobis luculenter commonſtrant.

Medicum quoque induſtrium fuiſſe *Avicennam*, ex ſuperantibus ipſius literarum monumentis ſatis elucet, & cum primis ex illa Epiſtola, quam ad filium ſuum *Aboali* ſcripſit, quippe in qua eidem mandat, ut prius 60 ℔. puriſſimæ Aquæ Mercurialis, unde Medicina confiat Univerſalis, ſibi præparet, quàm ad coagulationem Lapidis procedere præſumat.

Hi ſane fuerunt homines ornatiſſimi excelsâ Experientiâ ac bonâ Conſcientiâ, quales non nudo ſaltem Archiatrorum nomine ſuperbiverunt, ſed re ipſa præſtiterunt, ſe non fuiſſe ocioſos *Vacuæ* Deæ cultores, ſed viros operoſiſſimos, prout quemvis Medicum conſcientioſum addecet.

De ejuſcemodi Aquâ Mercuriali quam tantopere Avicenna filio ſuo commendavit ad conficiendum Univerſalem ex ea Medicinam, nos poſtea, annuente Jehova, aliquantò plura audiemus, quemadmodum videlicet illa per noſtrum Salmiacum ex Metallis extrahatur atque in Medicinam Univerſalem coaguletur.

Contemnenda quidem Medicamenta Particularia non ſunt, ſed pro talibus habenda, qualia bona benè utentibus: atqui Univerſalia Medicis conquirenda ſunt, utpote quibus plus honorum ac bonorum conſequi poſſunt quam particularibus, quippe qualia vel cuivis anui ad colum philoſophanti nota ſunt. Et Univerſalia enim non ſingulatim duntaxat more Particularium inſerviunt huic vel illi corporis membro, nec huic ſoli vel illi morbo ſuccurrunt ac medentur, ſed ipſa Cachexiam omnem (quæ per univerſas corporis partes ſparſa latenter gliſcit nocendo ſanitati) conquirunt, conquiſitamque ex Corpore exturbant tam viſibiliter quam inviſibiliter per Emunctoria omnia, prout Naturæ viſum fuerit bonum ac ſalutiferum. Univerſalia morbos cæcos ſeu occultos in hominis corpore exedunt velut ignis Ligna. Univerſalia quoque omnem vitioſum Corporis habitum, qui alioquin à nulla Medicina Particulari expelli poterat, tingunt, atque in meliorem ſtatum tranſmutant, uſque adeò ut malum invaletudinis invertatur atque in loco, ubi hoſpitatur, in bonum convertatur, nullam ulteriorem requirens expulſionem. De conſimilibus autem Univerſalibus nos poſtea, Deo elargiente, uberius edocebimus. Jam tempus monet ut redeamus ad noſtrum Sal Armoniacum, contemplaturi quantum inſuper præſtet utilitatis fructum in Medicina.

Hel-

Helmontius in ſuo de Lithiaſi Tractatulo commeminit cujuſdam Medicinæ, qualis per ſuum Alcaheſtum ex Paracelſi Ludo parata intra XIV dies Calculum in Veſica reſolutum exturbet. Paracelſus ſuo Ludo Miracula Virtutum, quas exſerit in frangendo atque educendo Renum Veſicæque calculo, adſcribit. In quo Helmontius ſuum poſuit fundamentum, oſtendendo, ubinam locorum Ludus iſtiuſmodi reperiatur, & quomodo idem ope ſui Alcaheſti in talem Medicinam apparetur egregiam, qualis ſit ſummo adverſus calculum remedio.

Quod ad Ludum attinet, Helmontius de eo commonefacit, quod ille ad Antuerpiam in Scaldis litoribus copioſè inveniatur atque maxima ex parte conſiſtat in quodam Sale volatili urinoſo macracoſmico, in quod ego inquiſivi atque rem, prout ab ipſo deſcribitur, comperi. Conſimiliter ego juxta præſcriptum ipſius dogma parare tantiſper conatus ſum præſtabiliſſimam iſtiuſmodi Medicinam, dum pari ratione Liquorem Ludi talem adinveni qualem ille per ſuum Alcaheſtum confieri ingeminat, videlicet hac viâ.

Ego Ludi iſtius ℔. j. minutim contriti miſcui librâ una noſtri Salis Armoniaci Secreti, atque inde humiditatem volatilem leni igne in Retorta loricata emiſi, atque mox ignem dedi fortiorem, uſquedum Retorta excandefacta eſ-

ſet tota. Quâ deinceps refrigeratâ ego Lapidem *Ludum* cum parte Salmiaci noſtri fixiore in lapidem leucophæum conjunctim liquefacta deprehendi, quæ ego ſecundum ipſius doctrinam ad ſolvendum ſepoſui in cellam humidam, qui lapis intra XXIV horas in liquorem ſubviridem reſolutus ſapiebat ſaporem in lingua ardentem, qui tamen haud faſtidioſus eſt aſſumptu in corpus mediante vino, cereviſia, aliiſque idoneis Aquarum vehiculis. Quinetiam egomet hunc Liquorem nonnullis calculoſis propinavi, qui eo veſcentes non leviter allevabantur. Quod autem ejus ope calculus totus intra tantillum temporis curriculum reſolvatur atque ex occupata ſede ſuâ ejiciatur, ego nondum adinveni. Hinc videtur hîc Helmontius perinde ut ſupra Paracelſus in præparatione ſui Elixiris proprietatis ejuſque virtute incredibili remedia ſua ſtylo hyperbolico luxuriante in majus extollere. Certè equidem egregia ſunt Medicamenta, quod autem ſemper tanta præſtent apud homines indiſcriminatim omnes quanta ipſis adſcribuntur, ego atteſtari neſcio, quamvis in illis multum olei & operæ perdiderim, atque interim tamen multa invenerim eximia, quorum omnium enarratio foret juſto longior. Atqui non poſſum non ex illis præter cætera referre parum inventorum.

Si quis ſeminibus vel radicibus illarum herbarum, quæ vulgò ad expellendum urinam calcu-

calculumque ſubminiſtrantur, pulveriſatis affuderit aliquantum Aquæ noſtræ Salmiacalis, per XXIV horas in Balneo leniſſime digeſſerit & poſtmodum diſtillaverit, Spiritus adſcendet multò efficaciſſimus, quem ego in calculo pellendo reperi præſtabiliorem Ludo. Conſimiliter ego illas inſectas, quæ aliàs Urinam Calculumque fortiter eliciunt atque ejiciunt iſthac ratione cum noſtro Liquore Salis Armoniaci digeſſi ac diſtillavi, atque Spiritum longè fortius Urinas expellentem acquiſivi quàm ex herbis parari poſſit. Quapropter cautè eſt circa ipſius uſum ubique verſandum ac notandum, quod graveolentes pingues vermes Maji nigrantes atque cantharides cæteris maximè antecellunt.

Tali pacto, quali hîc actum eſſe docuimus, poteſt etiam operatio inſtitui ad evocandum diſtillando ex omnibus aliis vegetabilibus Animalibuſque ſubjectis vires ipſorum potiſſimas Eſſentiaſque puriſſimas per noſtram Vitriolatam Aquam Alcalicam, videlicet ex Aromatibus egregia *Cordialia*; ex ſudorificarum herbarum radicibus ac lignis *Diaphoretica* inſignia; ex ſoporiferis eximia *Anodyna*; ex purgantibus præſtabiliſſima *Cathartica*, &c. Sed ut hujuſcemodi vilioribus diutius prolixiuſque immorer, nihil eſt quod urgeat, prout tales ſibi peritiſſimus quiſque Spiritus parare poteſt Medicinales, qualibus indiget.

Error

Error hîc committi facilè nequit, cum penes omnes herbas, ſemina, radices, flores atque ligna non niſi unica duntaxat detur via præparandi ea per noſtrum Alcali Vitriolatum in Eſſentias efficaciſſimas. Ratio autem patefacienda, ut quid per noſtrum Liquorem Urinoſum Eſſentiæ extrahantur meliores ex Vegetabilibus Animalibuſque quàm viâ quavis aliâ, eſt hæc:

Non ignoramus, quod Spiritus vini, qui aliàs in genere ad Extractionem Vegetabilium uſitatè adhibetur, non ſat recludat, neque Extractum ſecum ſurſum abducat, ſed per ſe ſolùm adſcendat, Extractumque in imo vaſis poſt ſe derelinquat. Ex diverſo Spiritus noſter Urinæ vitriolatus multò acrior Spiritu vini non tantum Vegetabilia potentius aggreditur, Eſſentiaſque ſibi attrahit, ſed in diſtillatione etiam ſecum ſurſum avehit; id quod Spiritui vini eſt præſtitu impoſſibile. Licet enim Urinæ Spiritus Oleum Vitrioli corroſivum ſecundum exteriorem faciem quaſi mortificarit atque in Sal volatile commutârit, Vitriolique Oleum Spiritum Urinæ ſubtilem in Sal volatile coagulârit, uſque adeò ut ex utriſque imparibus Entibus factum ſit Sal medium, partes tamen illæ ambæ impares in natura ſua priore non prorſus immutatæ ſint. Quippe Vitrioli Acidum eſt adhuc Acidum, & urinoſum manſit urinoſum, atque ambæ etiam Arte adminiculante à ſe invicem rurſus ſecerni poſſunt,

ut

ut utrumque eorum ſibi ſuas qualitates priores perfectè recuperet & nihil omninò ex illis perdidiſſe deprehendatur. Exempli gratiâ, poſitum ſit,

Requiri, ut ego meum Urinæ Spiritum recuperem tam purum ſubtilemque, quàm ille fuit, quando Oleo Vitrioli affundebatur, ego noſtro Salmiaco ſaltem ſecundùm juſtam menſuram ac pondus addo tantum Lixivii, quanto Acidum mortificetur, Spiritus Urinæ purus denuò tam ſubtiliter aſcendit, quàm fuit ante conjunctionem cum Oleo Vitrioli. Vitrioli autem Oleum atteratur, & per Sal Tartari in Sal medium reducatur, quod & ſuo non caret fructu utilitatis in Medicina & Chymia. Quod ſi volueris ex Mixtura iſta noſtrum Acidum juxta cum Spiritu Urinæ recuperare, noſtro Salmiaco adde Subjectum diſſolutu facile; commiſce atque ignem da lenem, tunc namque Acidum aggreditur illud Subjectum diſſolutu facile ad idem ſolvendum; atque volatili ipſius comiti Spiritui Urinæ facit copiam avolandi in auras, qui mox inter adſcendendum puriſſimam Subjecti additi eſſentiam, in ſolutione per Acidum liberatam ſecum ſurſum avehit, atque deinceps ad Medicinam Chymiamque prout fuiſſe ſubjectum comperitur, adhiberi poteſt. Verbi gratia. Si ego Liquori meo Alcaheſtico addidero rubra Corallia minutim contrita, Acidum Corallia iſta procul ulla cunctatione arro-

arrodit, Spiritumque Urinæ dimittit, qui insuper Essentiam Corallorum secum in sublime aufert. Acidum autem, si quando placitum fuerit, per distillationem à Corallis separari potest. Quod si Liquori nostro addantur Margaritæ, Spiritus vim earum secum sursum abducit: sin addideris Lapides, mineralia & metalla, Spiritus Urinæ similiter Essentias ipsorum secum sursum abripit. Acidum verò remanet in fundo apud Lapidem metallumve, quod postea diversimodè ex Lapide Metallove rursus secernendum atque ad hunc aliumve usum adhibendum erit.

Postеaquam jam audivimus, quomodo per Secretum nostrum Sal Armoniacum sint purissimæ vegetabilium animaliumque Essentiæ per adscensum distillandæ, jam quoque percipiamus, quemadmodum Metalla Mineraliaque per idem summè expurgentur, & ad primam Materiam reducantur; quæ Materia prima nihil aliud est quam subtilissima Aqua Mercurialis, in qua purissima Metalli pars in forma currentis Mercurii latet, qui Mercurius est idoneus ad parandum quodcunque ex illo opus, puta ☉ vel ☽ particulariter, vel veram longissimè pertingentem Tincturam universalem. Natura omnia Metalla primordialiter ex istiusmodi volatili Mercurio in visceribus terræ generavit. Quippe quando Astra per aëra Metallicum suum semen seminant, semen illud ab

aëre

aëre in terram introducitur, ubi illud, prout inibi offendit materiam vel mundam vel immundam, progignit Metalla vel pura vel impura. Quocirca Philoſophi rectè ponunt, Metallorum radicem eſſe ſitam in aëre, ſtirpem verò ac ramos in terra; quod ut credamus, quotidiana nos perdocet Experientia, quotieſcunque fodiendò petimus profundiorem Metallorum ſitum. De hac Materia ſeſe nobis aperit campus docendi ampliſſimus, ſed quoniam ab aliis ante nos plurimis de illa jamdudum ſat dicitur, dicendi genere tali meritò ſuperſedemus. Dictum namque hic ſat eſt, ut ſciamus, originale omnium Metallorum primordium non eſſe niſi aërium Spiritum ſubtiliſſimum, in quo Spiritu ſunt Sulphur & Mercurius Metallorum recondita. Cum igitur hic deliberatum mihi ſit, imperitiſſimo cuique illud ope noſtri Secreti Salmiaci ὀφθαλμοφανερῶς tantum non manibus palpandum exhibere, non abs re fore autumo, ſi idem per nonnulla Proceſſuum Exempla propalam ediſſertum abeam. In medio itaque poſſibilem pono.

MODUM

Modum *parandi subtilem* Aquam Mercurialem *(ex qua* vivus Mercurius currens, *dictus priscis Philosophis* Mercurius Philosophorum, *opitulante Arte maturari potest in Tincturam longissimè patentem) ex omnibus Metallis beneficio nostri Secreti Salis Armoniaci.*

Artis indagatorem facimus certiorem, diversi generis esse præparationem Mercurii Metallorum juxta atque Mineralium.

Generatim autem *Aqua Mercurialis* quidem ex cunctis parari Metallis potest, ex uno tamen eorum facilius quam ex altero.

℞. *limati* seu *minutim raspati Metalli*, *veluti* ♂, ♃, aut ♀ j. *cui admisce* ½ ℔ *nostri sicci Salmiaci.* Quæ si probè commiscueris & per Retortam distillaveris, Metallum ab Acido arrodetur, & Mercurius è vinculis eximetur in libertatem seu per distillationem separabitur, quem Spiritus Urinæ secum sursum avehet invisibilem, ex quo ipse postmodum extrahitur, visibilisque redditur, prout postea docebitur. Remanentiam seu residuum Metalli si pulverisaveris & cum aqua decoxeris, consequeris Vitriolum illius Metalli, quod tractatur, videlicet ex ♂ viride, ex ♀ cæruleum, ex ♃, ♄ & ☽ album, ex ☉ flavum. Causa hujus Vitrioli est hæc:

Quum

Quum Acidum apud noſtrum Salmiacum Metallo adhæſerit, illud quadantenus diſſolverit atque taliter præparaverit, ut vel ope communis Aquæ diſſolvi valeat.

NB. Si Metallum (quod in vaſis fundo remanſit, poſteaquam Aquæ ope ab eodem eſt Vitriolum abſtractum) recente Salmiaco miſcueris, illud viciſſim conducibile eſt, non tamen tantundem ejus ſuppeditabitur, quantum prima vice nanciſcebaris. Quod ſi idem periclitareris tertiâ vice, aliquantum Mercurii quidem adſcenderet, ſed minus illius quam ſecunda vice.

Quam ipſam ramorum aureorum avulſionem ex arbore opaca Virgilius pergraphicè pervulgavit, quando exaravit: *Uno avulſo non deficit alter. Si te Fata vocant, aliter viribus nullis, neu duro ferro avellere potes.* Quorum ramorum avulſorum *primus* eſt maximus auroque ditiſſimus, *ſecundus* aliquantò minor atque pauperior, *tertius* multò minor atque pauperrimus. Nihil itaque eſt quod plures uno decerpas ramo, ſed præſtat, ut ſemper ulterius novellam capeſſas materiam. Ex Vitriolo illo extracto deinceps modo quodam alio Mercurius rurſus extrahi poteſt, qui erit longè nobilior primo, prout poſtea uberius ediſſeretur.

Artis hujus prænobilis Amatoribus non poſſum non ego hîc quicquam mirifici commonſtrare, puta hoc: Si quando Spiritui Martis ſu-

pergesseris Spiritum Jovis memoratâ ratione præparatum, subtilissiméque rectificatum, uterque cum Martis tum Jovis Mercurius in mutuos ruent amplexus talique connectentur amorum fœdere, ut Aquâ derelictâ, conjunctim in forma aureorum Atomorum tenellorum sint fundum petituri, quales Auri Atomos eodem momento, quo ex ambobus illis Mercuriis formati sunt, continuò in Aurum fixum conversos esse videas; id quod à me putatur pro uno mirabilium maximo, qualium ullum unquam inter labores Chymicos in meas venit manus. Si ego hoc Experimentum semel duntaxat præstitissem, de ejusdem veritate ipsemet dubitassem. Exploratam ego quoque quidem habeo causam hujus velocis fixationis Mercurii; sed inconsulti foret consilii, illam in vulgus disseminare. Paracelsus quidem scribit in suo Cælo Philosophorum, nullam meliorationem Metallorum esse sperandam nisi illa priùs Spiritualiter misceantur. Alii Philosophi consimiliter ajunt: *Metalla sunt prius reducenda ad primam Materiam*, id est, *in Spiritum subtilem, quam nobilitentur ac meliorentur*, id quod constat ex rei veritate, juxta testimonium exempli sequentis; quippe quod est adhuc aliud Experimentum mirabile, quale per Mercurium Jovis ita perficias.

Solve aliquantulum Auri in communi 🜄. in quam solutionem si infuderis pauculum nostræ Aquæ

Aquæ Mercurialis, agitandoque commiſcueris, continuò Aurum Mercurius Jovis magneticâ ratione ex 🜂. ſibi attrahet atque Aquam colore ſanguinei ruboris imbuet, conjunctimque tandem Aurum cum Mercurio Jovis in forma purpurei pulveris ad vitri fundum uſque præcipitabitur; quo edulcorato atque reducto cum Borrace, maxima Mercurii pars in auras abibit, parum autem ejus remanebit apud Aurum fixum, illudque reddet niveum atque friabile. Ex quibus cernere eſt, in quanto reſpondeat Aurum Jovi amore: Veruntamen hæc nondum eſt vera via parandi nonnihil eximii ex utroque. Si quis igitur aliquid egregii ex illis exſpectare voluerit, illum oportebit hoc Aurum puniceum leni figere igne, ut Mercurius Jovis ne in fumos abeat, ſed apud Aurum permaneat.

In ambobus his enarratis Experimentis nobis ante oculos ſtatuitur talis accelerantiſſima Mercurii fixatio, ut vel quivis lumine læſus inde conſpicere queat, Tranſmutationem Metallorum eſſe verè veram, eandemque mediante Mercurio Metallorum fixo per projectionem poſſe in momento perfici. Enimverò Mercurius Mercurium figit in juſta conjunctum proportione. Si igitur id Mercurius præſtat volatilis, quantò magis idem præſtabit fixus, quippè qui circumfert ſecum ſuum ipſius Sulphur. Pari ratione ego etiamnum alios potuiſſem

promulgare Modos parandi ex Metallo probam Aquam Mercurialem per noſtrum Secretum Sal Armoniacum: ſed præmeditandum erat, iſtiuſmodi libertatem participandi publicè fore potius detrimentoſam quam fructuoſam, ſi quando uniones exaluminati indiſcriminatim porco cuivis ſordidato objicerentur. Quippe quum plus ſatis jam publicitus communicatum ſit, tempus monet, ut compeſcatur digito labellum, idque potiſſimum ob integrum Tractatum de Mercuriis Metallorum jam editum. Confitendum autem mihi eſt, hunc Mercurium mediante noſtro Salmiaco paratum eſſe alterius naturæ proprietatiſque quàm illum alterum alio præparatum modo. Nihil ferè reſtat niſi commemorandus etiamnum Modus extrahendi Mercurium ex Mineralibus per noſtrum Secretum Sal Armoniacum, qui Mercurius non minora præſtabit in Medicina atque Alchymia, quam alter ille ex Metallis extractus. Sequitur

PROCESSUS.

℞. Antimonii pulveriſati ℔. j. noſtri ſicci Salmiaci $\frac{1}{2}$ ℔. quæ probè comminuta commiſce, atque diſtilla per Retortam noſtrum Salmiacum totum; tunc illud ſecum per alembicum ducet puriſſimum Mercurium juxta

juxta atque Sulphur Antimonii referens colorem cinereo-nigrum, quod ſublimatum nominatur *Caput Corvi.* Si quis enim parum ejus in aquam conjicit, Salmiacum liqueſcit, & Mercurius atque Sulphur ad inſtar leucophæi pulveris remanet in vaſe; quem ibi jacentem ſi exſiccaveris atque palpaveris, deprehendes ſimilem teneris plumis lævibus, unde ſibi invenit nomen *Capitis Corvini.* Si quando igitur illud in tigillo candeſceris, confluet in lapidem rubentem, qui quidem nihil propoſito noſtro conducit, ſed ſi quid eximii inde conficere decreveris, iſtiuſmodi Proceſſu opus eſt & quidem ſequenti: Tuum, quod aſcendit Sublimatum leucophæum ſeu *Caput Corvinum* pulveriſatum immitte in cucurbitam vitream, eidemque affunde tantum mei Tartari, quanto opus erit ad mortificandum Oleum Vitrioli, cui alembicum lutando adapta cum ſuo receptaculo, atque da in arena ignem, uſquedum humiditas omnis adſcendat. Quo facto, remanebit Acidum apud Sal Tartari, & Spiritus Urinæ ſolus adſcendet, atque Mercurium Antimonii puriſſimum ſecum abducet ſurſum inviſibilem, qui poſtmodum ope Auri vel Argenti, prout ſupra edocuimus de Mercuriis, redditur fixus atque viſibilis; perparum Mercurii autem aſcendit, id quod admodum diſplicet inexplebilibus avaritiæ mancipiis, quippe quæ potius gaudent immanibus auri maſſis ma-

gnitudinem capitis bovini adæquantibus. Quod idem tamen Virorum tetragonorum nemo curabit, ſed tantulo contentus erit, quantulum Deus erogabit. Quod ſi quis vim ejus ingentem quæreret, ille eam quoque conſequi poſſet. Quippe Subjecta, unde ille extractus eſt, non magno parantur pretio, ſed ſemper acquiri ſufficienter poſſunt. Verum namque eſt, ex una libra hujus Aquæ Mercurialis totâ vix tria aut quatuor grana Mercurii Corporalis adſcendiſſe. Maxima quippe ejus pars apud Sulphur & Sal remanſit in fundo, qui ſeparatim figitur, prout poſtea edocebitur. Quod autem tam parum Mercurii in Aqua Mercuriali, quæ adſcendit, latuit, alii quoque Philoſophi conſciverunt, unanimiter condocentes, conſectandum eſſe *Avicennam*, commonentem in quadam ad filium ſuum *Aboali* epiſtola, ipſi opus eſſe LX ℔. Aquæ Mercurialis puriſſimæ. Si enim tota Aqua fuiſſet Mercurius, tanto ejus non opus fuiſſet Aquam hanc Philoſophi nuncuparunt *Aquam* non *Vitis*, ſed *Vitæ*, quum Mercurius in eo fuerit ſpacioſiſſimè diſſipatus, prout poſtea, volente Jehova, profuſius ediſſeretur.

Redeuntes jam ad noſtrum *Caput Corvinum*, videamus, Numnam ipſi ſit albedo lotione Lixivii acris conciliata. Poſt abſtractam jam Aquam Mercurialem ſi vitrum tuum exemeris ex arena, comperies *Corvum* tuum atrum

dege-

degeneraſſe in *Cygnum* album, quandoquidem Sal niveum in Vitro reperitur, quod ſi exemtum, in aliud Vitrum rotundum ſeu *Ovum Philoſophicum* indideris, atque in furnum fixationis ad figendum immiſeris, Olor candidus intra XXIV horas flaveſcet, atque paulò poſt ſibi colorem ſanguineum induet, veruntamen adeò fixatus nondum eſt, ut inde eximi poſſit, ſed bonam temporis partem etiamnum inter prunas ignitas ipſi ſtandum eſt, hac tamen lege, ut ignis ne adhibeatur fortior, quam quo lapis ruber reddatur liquabilis atque conſiſtat liquefactus ſimiliter Oleo. Ille namque tam promptè redditur liquidus quam cera, & neutiquam Mercurius, neque Sulphur, neque Sal in fumos fatiſcit, id quod admiratione animos mulcet. Ego namque ejus periculum feci in Vitro colli oblongi extra calorem exſtantis, ubi ne unum quidem grani adſcendere conſpexi, uſque adeò ut talis fixatio vel ſub tegula in aperto quopiam tigillo, ex terra idonea benè cocto perfici queat. Nam Sal Tartari cum Acido Vitrioli unitum ita Mercurium ac Sulphur complectitur totum & quaſi inter ſe concluſum tenet, ut cogatur in igne permanere, maturandumque ſe præbere. Atque ita noſtro Mercurio hoc Sal volatile eſt *Lutum Sapientiæ* ſeu *Sigillum Hermetis*, quo ipſe ita adalligatur, ut in igne manere cogatur, uſquedum fixus evaſerit. Poſteaquam autem fixatus (fixatum autem eum eſſe, dextrè

pericliteris, si simul atque filo ferreo in massam liquefactam intruso exemeris inde exemplum seu probulam, Sal ab eo elixiviaveris, pulverem rubentem in cadentem laminam argenteam injeceris, non fumat, sed intrat, & argentum colore non tingit nigro, sed flavo, Mercurius cum suo sulphure est fixus) fuerit, in Medicina juxta atque Chymia cum insigni fructu utilitatis adhiberi potest. Quippe quicunque vel semel tantummodò istiusmodi lapidem fixavit, magnum quid patravit, etiamsi vel septimanas multas eidem parando impendisset. Quamprimum enim Sulphur Antimonii Mercuriale fuerit fixatum, nonnihil inde pro usus necessitate eximitur, & vicissim tantundem volatilis seu immaturi Mercurii additur; sub quæ Mercurius fixus fratrem suum nondum fixatum libenter in se suscipit, ut unà cum ipso quoque reddatur fixus. Quot igitur menses prima ad sui perfectionem desiderabat fixatio, tot intra septimanas quoque absolvi poterit secunda. Secundâ etiam peractâ, iterum pars fixæ eximi Medicinæ potest, & alia nondum fixatæ vicissim immitti, idque in infinitum usque, seu quamdiu sententia continuandi steterit. Tametsi Tinctura hæc Antimonii fixa ad Corpora humana sit *Universalis Medicina* medicans medicabiles morbos omnes: *Particularis* tamen ipsa duntaxat est *Tinctura* ad Metalla, cujus ope Argentum quidem sensim per vices in Aurum gradando

gradando convertas, non tamen Corpus totum una vice tingas. Tantam quippe vim Deus eidem quidem non elargitus eſt; veruntamen tam liberaliter illa condonat operæ pretium, ut tantas laudatiſſimo Deo Opt. Max. gratias debeamus, ad quantas maximas agendas tenentur, quicunque ipſum *Lapidem Philoſophorum* magnum participaverunt.

Quemadmodum igitur hactenus perdocuimus Rationem parandi *Tincturam Particularem* ad Metalla & *Medicinam Univerſalem* ad Corpora humana ex deſpicato *Antimonio*: Ita etiam Tinctura ex *Auripigmento*, *Electro Minerali immaturo*, *Sulphure Cinnabarino* reliquiſque conſimilibus ope noſtri *Secreti Salis Armoniaci* confici poteſt. Quapropter hoc unico Proceſſu ſat explanatur, quomodo ex aliis quoque aſſimilibus Subjectis, ubi Sulphur atque Mercurius unà conjuncta ſunt, iſtiuſmodi Medicina præparari poſſit.

Quicunque igitur hunc à me præſcriptum Modum figendi Mercurios probè intelligit, plura inveniat; quam ſibi unquam cogitatione imaginante fingere aut pingere potuerit. Quum enim talis Fixatio in ſolis vaſis fictilibus apertis peragi queat, non modò hoc commodi habebis præcipui, ut quocunque placuerit tempore, Exemplum ſeu Probulam ex Tinctura impoſita eximere & periclitari queas, quouſque cum tua Fixatione perveneris, ve-

rumetiam hæc ſuppetit Prærogativa, quod Mercurius cum ſuo Sulphure per ignem flammantem, qualis immediate noſtrum Sulphur atque Mercurium ſemper tangit, eundemque in Tinctura ſua naturali congenita exaltat, id quod Ignis clauſus præſtare neſcit. Omnis quippe Ignis ſuâ naturâ atque vi propriâ Subjectis Mineralibus Tincturam infert, præſertim quando flamma immediatè Subjectum minimè clauſum miniméque opertum tangere poteſt, quemadmodum nos jam ſupra audivimus, ubi de rubefaciendo fixo Sulphure albo egimus. Nos contuemur in Crucibulis ex terra alba confectis, eorumque alteris in altera impoſitis, quod extremum, flammæ attactui expoſitum, evaſerit rubicundum, interiora verò, quæ ab ejuſdem contactu fuerunt immunia, permanſerint alba.

Nos etiam non ignoramus, quod illi fictores, qui fiſtulas fumo Nicoceanæ imbibendo accommodas fingere amant, eaſdem, ut bello niteant candore, in quadam perurant olla, ne à flamma tangantur & rubedine tingantur. Ex quo ſanè ſatis condiſcatur, etiam Igni ineſſe Tincturam, quâ Entia albentia rubedine tingantur. Hinc ego non abs re dico, illum non malè ſibi conſulere, qui Tincturas ſuas ſub quadam tegula in vaſis terreis apertis maturat, quandoquidem ipſæ tali pacto non tantum citius fixantur, verumetiam in ſuo colore exaltantur,

hac tamen lege reſervandi, ſi Tincturæ ſigillo Hermetis obſignatæ vel Luto Sapientiæ Philoſophicè circumdatæ ſeu lutatæ fuerint. Ubi *NB*. quod Lutum Sapientiæ, de quo hìc agitùr, non ad omnia Subjecta figenda atque ab avolando præſervanda ſit adhibendum, ſed his duntaxat Subjectis emolumento atque adjumento ſit, quæ Sulphurea pariter atque Mercurialia ſunt, & gaudent communione devinciendi ſe cum hiſce ſalibus atque ſine diſceſſione conſtanter in Igne cum illis manent, eademque ab avolando præſervant. Quod autem tali viâ nempe Hermetici ſigilli beneficio Mineralia Sulphurea figantur in Tincturas, Philoſophi antiqui ſibi ſolis pro ſummo Arcano ſervaverunt, & ferè nunquam Ignis Artificialis commeminerunt præter perantiquum Philoſophum *Artephium*, qui præclariſſimè de eo hunc ferè in modum exaravit: *Ignis noſter omnia ſolvit, omnia penetrat, omnia diruit, de Sulphure participat, æqualis eſt, continuus eſt, non fumat, niſi nimium excitetur, aliunde pro materia ſumitur, &c.* Accuratè jam attende, Numnam hìc Ignis iſtiuſmodi notificetur. Pontanus in ſua Epiſtola meminit; ſe ferè totum terrarum orbem peragrâſſe inveniendi veri alicujus Philoſophi gratiâ, à quo inter converſandum edoceri potuiſſet de Secreto Secretorum; ſe autem non offendiſſe aliquos Philoſophos, ſed errones ſaltem circumforaneos impoſtoreſque immanes; atqui ſe

se (posteaquam ipse, licet in vera Materia laborâsset, ducenties erroribus lapsus fuerat) tandem Artephium perlegisse, atque ex eo Secretum Ignem addidicisse; quod ni factum fuisset, perpetuâ sibi laborandum fuisse ignorantiâ. Ex quibus sat exsplendescit, quantum referat habere cognitionem *Secreti Ignis*, *Luti Sapientiæ aut Sigilli Hermetis*. Ignis noster tribus quidem insignitur nominibus, quæ tamen non sunt nisi Ens unum, videlicet *Oleum Vitrioli, per Sulphur fixum Tartari, ad formam Lapidis coagulatum*. Ut quid autem ego tantæ magnificentiæ Arcanum hîc tam perspicuè describam atque in lucem publicam emittam, rationes mihi momentosæ non desunt; interea loci tamen nulla prorsus sollicitudine tangor aut angor; illud nimium quam prodige vulgatum iri, quippe quod vel 100 Lectores legent, perlegent, relegent, quorum ne unus quidem præscriptis fidem habebit, laboris fugitans; aliorum verò nonnulli (qui fidem quidem eis adhibebunt, laborem ardentes) sufficiente tamen ingenii Philosophici acumine fortasse carebunt, cujus dexteritate talem fixationem instituent atque absolvent. Quapropter ego lætus in eo acquiesco confidenter atque securè, Artem non adeò facile fore reddendam cuivis promiscuè terrigenæ nimium familiarem, sed Artem etiamdum futuram atque permansuram esse. Abhinc aliquot jam annis ego nonnullis intimorum

rum meorum ob oculos modum parandi Mercurium Antimonii commonſtravi, eiſdemque Fixationem per noſtrum Ignem Secretum commendavi, ipſi verò adhuc ne in hodiernum quidem diem uſque operi elaborando manum admoverunt, idque fortaſſe propterea quod ipſis viſum illud fuerit longè vilius tali, ex quali provenire tantæ præſtantiæ Medicina poſſet. Tali conſimilibuſque Modis Deus ſub umbra præpotentis dexteræ ſuæ ſemper Arcana ardua à Turba indigniſſimorum quorumque magna magnificè præſervare novit, ut ſe invito ne evulgentur aut proſtituantur unquam. Hinc inquit Apoſtolus: *Non eſt currentis, neque volentis, ſed ſolius Dei miſerentis.* Noſtrum quippe *Velle* & *Currere nil* nobis proderit, niſi divina Miſericordia nobis benedixerit.

Profectò ſi penes pleroſque divitum eſſet poteſtas omnis omnia conſequendi quæ vellent, ipſi ſoli præriperent preciosiſſimas quaſque Mundi gazas & reliqui nihil facerent niſi quiſquilias pauperibus tollendas. Cæterum via Dei longè diverſa atque prorſus averſa nullatenus reſpondet votis talium mortalium avarorum, juxta illud B. Mariæ apud Lucam: *Deus exaltavit humiles & divites dimiſit inanes.* Nunquam fando auditum fuit hominem avarum, ſuperbum, mendaciloquum, ſcortationi addictum, perpotationi deditum, aut vitiis enormibus aliis plenum à Deo quicquam

precioſi

preciosi impetrâsse, etiamsi ad consequendum illud cursu animi corporisque multo diuturnoque defatigatus fuerit. Neque etiam usquam memoriæ proditum est, quenquam verorum Philosophorum unquam captâsse aut amâsse vanam Mundi gloriam, temporalem substantiam aut terrenam gazam, sed infestasse & repudiâsse hujusmodi caduca omnia, & verò solam virtutem dilexisse, quippe quam quoque Deus ipse diligit, atque ex contrario vitia quævis odit abnuitque. Quinimò dicta dicendo itero, quod Deus non nisi solam virtutem, humilitatem atque probitatem hominum respicit atque diligit; cum tamen è diametro omne vitium, inanis gloria atque copiosa Mundi substantia quæ plerunque animas possessorum suffocat, tandem ad instar fumi evanescat atque in nihilum prorsus redigatur. Quare antea semetipsum exploret quisque quærentium *Ardua* istiusmodi *Secreta*, qualis sit intus in corde & cute, num etiam condignus sit possessione tantorum Arcanorum; sua sibi namque Deus è manibus non extorqueri patitur Charismata. In cassum Gigantes præsumunt oppugnare cælum. Frustra ater conscendit Æthiops in balneas ad conciliandum pelli deformi alborem. Albus enim non evaderet, sed niger maneret, etiamsi vel Saponem Sapientum haberet atque Oleo Talci gauderet.

Quocirca Humilitas cum interno bonæ Con-

Conſcientiæ Teſtimonio eſt res coram Deo præclara, licet coram Mundo faſtuoſo habeatur pro ſtultitia. Quare, ſi ſapis, adhære Deo, dilige contemtam in Mundo ταπεινοφροσύνην, odio proſequere Satanam cum tota infernali ipſius appendice, Avaritia, Superbia, aliiſque vitiis probroſis. Quo præſtito, Deus ſe tibi aſſociabit, tibi in quibuſvis bonis cœptis ſubveniet atque te nunquam derelinquet neque in hoc ſeculo neque in futuro, id quod certiſſimè verum eſt, uſque adeò ut eidem anchoram ſpei tuæ omnem tutò ſecuréque adalligare poſſis. Quapropter nulla cor tuum cura anxia coquat, etiamſi tu hîc in hoc ſeculo Babylonico inter perverſam malignorum Turbam magnam te nequeas ſplendidè oſtentare; eſto tamen bono animo, atque Dei gratiâ contentus vivito; plus namque tibi non opus eſt. Es quippe ſat dives, quamdiu vivis contentus dotibus illis, quas Deus olim ingredienti in hunc Mundum tibi conceſſit. His enim ſi rectè uti didiceris, tibi nihil deerit, ſed victus tibi tuus temporalis largiter ſuppetet.

Hic in hoc Tractatu condocui *Modum conficiendi*, mediante *Vitrioli Oleo*, particulare *Salmiacum* egregium, cujus ope ex Metallis Mineralibuſque non tantum *Univerſalis Medicina* medicans morbos mortalium omnes, verum etiam *Particularis Tinctura* ad Metalla imperfecta melioranda præparari poſſit. Dixi quidem

dem multa, ſed nondum cuncta, quandoquidem ibidem mea nihil aliud intendebat Intentio, niſi ut tantummodò noſtrum *Secretum Salmiacum* cum ſuo fructuoſo uſu detegeretur. Quod ſi uberius ediſſerere vellem, revera eloqui poſſem, *in deſpicatiſſima hominum urina Theſaurum latere precioſum*, quamvis pars poſſeſſorum ejus maxima de eodem nihil conſciant, cum Deus ob eorundem peccata non ſit ipſos revelatione ejus participandi dignatus. Quia in cujuſvis hominis Urina latenter ineſt vivus aliquis *Mercurius Metallicus*, qui tamen inde facillimè adminiculo cujuſdam puri Corporis Metallici extrahi, aut arte obſtetricante in *Tincturam* ſeu *Medicinam Univerſalem* præparari poteſt, prout jam ſupra intra agendum de Mercurio edocuimus.

Quocirca ſcripta ſcribendo ſcribo reſcriboque, neminem hominum quenquam ſe revera poſſe nominare *pauperem*, quippe quoniam Deus hominum cuique jam inde à Nativitatis primordio tantum dotis condonavit, ut editus in Mundi lucem ſat habeat, unde vivat, ſi modò intelligat atque præſtare præſtanda valeat. Philoſophi aſſeverant, *Adamum atque Evam ſecum Lapidem attuliſſe ex Paradiſo*. Jam verò nobis ſufficienter conſtat, illos omni præſidio ſubſidioque nudos fuiſſe ejectos. Ergo inferas, ipſos talem Theſaurum in ſuis geſſiſſe corporibus, prout etiam videre eſt apud *Morienum*,

quippe

quippe qui rogatus à Rege *Calid*, In *quonam* lateret *Subjecto* famofiſſimus ille *Lapis Philoſophorum*, reſpondit: *In te*, ô Rex, *eſt ille abſtruſus*. Cæterum ſimul atque idem Regi Medicinam præparârat, vaſi, cui illa inerat, inſcribebat hæc verba: *Qui omnia ſecum portat, auxilio alieno non indiget*. Significans, ſe non indigere auxilio Regis ullo, utpote qui ſua ſecum omnia portaret. Quibus conſummatis, ille in ſuam ſe eremum recepit, ibidemque temperantiæ ſtudio, orandi exercitio atque jejunandi placito in Dei ſemper glorificandi honorem curriculum vitæ ſuæ reliquum beatè decucurrit. Si enim *Morienus* neſciviſſet, ſe ſecum inæſtimabilem ferre Theſaurum, procul dubio à Rege tacitus non diſceſſiſſet, ſed forſitan ab ipſo magnificum aliquod hoſtimentum ſperâſſet atque expectâſſet. cui tamen ille non inhiavit, ſed abiens in eo ſolo acquievit, quod ipſi contento Deus olim contribuerat, quando Mundum hunc ingreſſus erat. Uſque adeò omnium hominum nemo niſi μεμψίμοιρος aliquis, quiritari juſtè poteſt, ſe pauperem eſſe. Quippe nemo unus eſt pauperrimus, niſi ſolus talis cæcus, qualis eſt ſpe recuperandi viſus omni prorſus orbatus. Quamobrem homo nemo exoret à Deo divitias, ſed ſolam intelligentiam atque ſapientiam, quippe quâ impetratâ impetrans neceſſaria habet omnia. Deſtitutus autem lumine Sapientiæ eſt cæcus & quovis

pauperrimo pauperior, etiamſi vel omnes Crœſi aut Craſſi fortunas poſſideret. Perbenè igitur ſibi Salomon conſuluit, quod à Deo eſt nihil aliud precatus, niſi Habitum intelligentiæ regiæ, utpote quas preces Deus habuerit tam gratas ac ratas, ut ipſi oraculum cæleſte reſponderit: *Quum à me tu nihil ſis aliud precatus niſi Sapientiam atque intelligentiam, tanto Sophiæ Theſauro te donabo, quantum nemo hominum ante te unquam poſſedit, neque conſequuturus poſt te eſt.* Dictum factum. Univerſos quippe ſeculi cumprimis ſui Macroſophos Rex hic divino judicio atque ſummâ prudentiâ longè antecelluit, ad Regia Iſraëliticæ Reip. gubernacula gloriosè ſedit, populum fidei ſuæ commiſſum conſiliis ſapientiſſimis pariter atque juſtiſſimis fideliter rexit, atque tantas res præclare geſſit, ut de ipſo ſacris divinarum literatum monumentis conſignatum ſit, quod tantam auri vim coacervârit, ut illud æquàrit numerum lapidum in plateis. Ex quo ſatis elucet, ſolum Sapientiâ ſufficiente inſtructum rectè Reip. clavum tenere, cæteros autem ſtultos perperam. Itaque inculcata inculco, à Deo non eſſe petendam ſubſtantiam Mammonicam, ſed ſolam duntaxat animi Sapientiam, quâ pauci florent. Ubi enim habetur Sapientia, ibi nulla deeſt opulentia, neu ulla ad hujus vitæ victum atque amictum neceſſaria. Vixerunt qui Hiſtoricorum more poſuerunt, quod non nemo Philo-

ſophorum

ſophorum cum nonnullis mercatorum aliquando mare navigavit, navis autem inter transfretandum à fluctibus tempeſtatis obortæ ita fuit vulnerata atque confracta, ut vectores in terram deſertam atque inhoſpitam ejecti ſint. Ibi ſpectâſſes mercatores bona ſua naufragio amiſſa deplorantes atque animis ſeſe angentes cum ob incognitam mundi plagam in qua verſabantur, tum ob defectum omnis ſubſidii, quo allevandi erant. Quos Philoſophus contriſtatos his interpellavit conſolatoriis: *Eſtote bono animo, Hominum namque veſtigia video.* Quibus innuebat, ſe ſuo ſuæ Sapientiæ theſauro, quem ſecum ferebat, ſe poſſe ex miſeria ſua eripere. Ita Philoſopho huic depauperato ſua ſuccurrebat Sapientia auxiliatrix in deſerto. Ex quibus præterea colligas, Scientias atque Artes longè multumque præſtare bonis Fortunæ Mammonicis, quippe quæ variis ubique modis amitti poſſunt, juxta illud Vatis:

Sola manet Virtus, & clara ſcientia rerum,
In quas nil Juris pallidus Orcus habet,
Divitiæ pereunt, & quidquid ſplendet in Orbe,
Corruit, hæc ſubitò ſors violenta rapit:
Inclyta ſed Mentis ſubſtantia permanet almæ,
In quam nil Fatum juris habere poteſt.

Porrò Ars atque Intelligentia nunquam non proſunt. Pecunia verò cum reliqua ſubſtantia

Mammonica ſæpenumerò obſunt & quamplurimum impediunt, quominus plerique ſalutem ſuam quærant ac vera bona diligant. Taceo, quod multi ſibi ſuam vitam à perditione ſervâſſent, niſi ſubſtantiam Mammonicam nimis amâſſent. Annon autem præſtat caducam jactare ſubſtantiam quam vitam amittere microcoſmicam? Annon quoque præſtat opulenta ſubſtantia juxta atque vita alma privari quam æterna animæ ſalute orbari? Quæ tamen omnia atque ſingula ferè nihil ab occæcatis hujus ſeculi nequiſſimi filiis curantur, quippe qui malunt ſuas poſt fata animas prædæ prædoni Diangelo relinquere quam in vita ſua à corradanda multa pecunia ſubſtantiaque deſiſtere.

Vir quidam cordatus nullarumque artium diſciplinâ condecoratus inter navigandum ſaccum auro oppletum (cujus ergò viderat, ſibi fore de vita periclitandum, niſi illius jacturam facturus eſſet) ſuapte ſponte in mare, tanquam victor ſui ipſius animosè abjecit atque ſuam ſuorumque ſimul comitum vitam piè conſervavit ex aquis, in quibus alioquin ipſis omnibus pereundum fuiſſet. Ibi ſanè pecunia fuit tanti pretii hypotheca, ut illa redimeretur Domini vita. Eheu! quot homines periculis, quibus vitam amittunt, ſe exponunt, ut ſaltem rapacibus conquirant volis multum pecuniæ caducæque ſubſtantiæ. Quantò melius

lius autem illis (de quibus passim differtur rumor populi, eorum unum cum fortunis suis omnibus naufragantem à Neptuno absorptum fuisse, alterum à Barbaris Turcarum piratis aliisve prædonibus esse captum atque in perpetuam mancipiorum servitutem abductum, &c.) sibi hi consulant, qui domi mansitant atque inibi improbo manuum honestarum labore vultusque sudore victitant, quotidiana attestatur experientia. Horum malorum omnium radix est Diabolica Avaritia, cujus inexplebilis Spiritu correpti obsessique homines identidem aguntur, usquedum æterno exitio addicuntur atque traduntur.

Aliquammulti homines malitiosi malitiam vitiosam non prius fastidiunt ac omittunt, quam ipsos ab illa vel senium vel morbus aliquis avocat ac prohibet: solum autem Avaritiæ mancipium est tam insatiabile, ut quantò plus possideat, tantò plus discupiat, juxta illud proverbiale: *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Instigante atro Avaritiæ Angelo omnes Lumine Interno læsi multum substantiæ Mammonicæ per fas rarius quam per nefas undique & undique compilant: Compilato autem sæpe opinione citius vel ægrotantes incumbere vel immorientes valedicere coguntur. Quid autem ipsis tunc prodest omnis ista pecuniæ vis coäcervata? Aliis namque ipsi post se illam tenentur relinquere hercifcundam, ipsi

verò inde ſecum nihil hinc aſportant in Mundum Spirituum ex corporum cuſtodia evocatorum niſi peccata ſua abominanda, quorum vinculis conſtricti in æternas abjicientur tenebras, oculorum fletu ac dentium crepitu pleniſſimas. Contrà tranquillus homo humilis (etiamſi paupertinam vitam vixerit, paupertinamque mortem moriatur) tamen hoc gaudet ſolatio, quod ipſius anima ab Angelis Dei liturgicis transferetur in æterna beatiſſimæ felicitatis gaudia. Itaque religio ſit nobis unquam profari, *Nos eſſe pauperes*, quotieſcunque nobiſcum commentamur ac ruminamur, quantum Deus nobis, quando in mundum ingreſſi hunc olim ſumus, theſaurum contribuerit, videlicet Urinam, in qua Mercurius vivus, qui apud Aurum in veram Medicinam Univerſalem parari poteſt, latenter ineſt. Obloquenti autem: *Quid mihi expedit conſcire, tantum in lotio meo Theſaurum occultè ineſſe, ſi in uſus eundem ego meos convertere neſciam*, reſpondeo, ſic quidem velle voluntatem Dei, ut talis ignorantiarum alumnus maneat paupertatis colonus, veruntamen ipſum interim eſſe coram Deo ditiorem pecunioſis peccatoribus ſuperbis ad unum omnibus. Hoc enim ſolum magni pendendum eſt, quod apud Deum potius cenſetur magnum quam inter homines, quippe qui duntaxat externam rerum objectarum ſpeciem ſpectant, Deus autem penitus in profundiſſimos quoſque cordis
receſſus

receſſus introſpicit, & nullatenus ſimulata malignorum mortalium ſanctitate laborat. Quapropter omnis Chriſtianus probus id ſibi ſolum curæ negocioſæ dari credat, ut ſolâ floreat gratiâ Dei, atque ipſum neutiquam ſollicitum habeat, quid de ipſo homines cæteri ſentiant, quippe quorum judicium plærumque eſt falſitatis plenum. Tu itaque Juſtitiæ amori velificans à nemine metue, ſed occine:

Conſcia mens Recti Famæ Mendacia ridet.

Hoc namque pauperibus piis omnibus perpetuo eſt ſolatio, ſe ſibi ſemper Deum habere præſtò manentem: ę contrario autem ſuperbos inter deſperata Diaboli mancipia huc atque illuc raptari atque jactari inſtar glumarum in cribro ventilantis triticum. Hactenus itaque ego ſat effusè evulgavi, homines omnes eſſe ſat divites, dummodò velint præſentibus ſemper eſſe contenti, atque ſe ditiores ditiſſimis Regibus majoreſque maximis triumphatoribus exiſtimare, quotieſcunque divitias Mundi tranſitorias pro ſtercoribus putabunt. Quia citra omnem Deus προσωποληψίαν ipſis jam inde ab utero Matris uſque talem theſaurum, qualis perpetuò durat & nunquam imminuitur, condonavit, unde ipſe, quandocunque vult, alimenta ſua ſibi neceſſaria habere nuſquam non terrarum gentiumque poteſt. Unde ſat evidenter perſpicere eſt, quod omnes Deus homines dilexit, & ferè nemini uni plus quàm alteri

concessit. Quod si idem partem illorum, prout fert opinio aliquammultorum, prosequutus odio fuisset, illis Urinam denegâsset, atque unum duntaxat uropygium aut foramen ad excernendum concessisset similiter gallinis, anseribus, avibus aliis, piscibusque, atque ita ipsos gradu uno pauperiores reliquis condidisset hominibus electis perdilectisque. Quod quum factum hoc non sit, nobis meritò credendum firmiter est, Deum homines diligere omnes, si ipsum modò timemus, pro viribus colimus, ex corde diligimus atque proximo nostro nil mali inferimus.

Quo argumentandi genere jam hac vice sat demonstravimus, quod omnes nudi nudéque ex utero matris in Mundum hunc immissi homines non deprehendantur pauperes, sed in se latenter gerant invisibilem thasaurum magnum, de quo dictum sat sit. Perbene namque præcognosco, nasutulos hujus seculi filios illud non fore credituros, sed ludibrio habituros, de quorum tamen empæctarum judicio ego non magnopere laboro. Sufficit mihi, quod ego illa Quinque mihi à Deo concredita Talenta in terram non defodi, sed isti Domino meo restitui, simul atque ego illa ita fœnori exposueram, ut Quinque aliorum lucrum lucratus sim.

Inter valedicendum etiamnum hoc unum eloqui placet, me quidem adhuc alias quoque

Quin-

Quinque Minas graviores à Deo accepiſſe, ſed nondum uſurâ Quinque aliarum ex illis gaudere, idque non quidem ad inſtar malè mihi timentis à Domino juxta Juris rigorem in ſervos otioſos cunſulente, ſed ritu metuentis mihi malum ab hominibus nondum quicquam lucri facere auſus ſum, utpote qui verear, ne inde inter Turbam malignorum magnam exoriatur ac longè latéque graſſetur abuſus immanis idemque inſanabilis. Nihilominus tamen jam ſtat ſententia procedendi in illis, idque certis de cauſis, atque proximo quoque dierum, Deo ſecundante, magnalia Dei panomphæi mirifica publicandi. Quocirca ſpem lacto almam, hoc toti Chriſtianæ Reip. fore ingens ſolamen ac præſentaneum levamen contra hæreditarium Chriſtiani nominis hoſtem Turcam. Summa autem rerum communicandarum potiſſimum in eo conſiſtit, quod mihi innoteſcant nonnullæ Inventiones artificioſæ, quarum adminiculo aliquammulta Miranda poſſent patrari, & (ſi Superis placeret) pædatoria nidamenta Tyrannicorum Hagarenorum omnia evaſtari, atque ita Chriſtianus populus ab intoleranda eorum ſervitute diuturna plenè ac plane liberari. Enimverò ſi Deo Opt. Max. complacitum gratumque fuerit, ut tantæ prænobiles Inventiones hactenus incognitæ evulgentur aut ad Praxin reducantur, penes ipſum eſt poteſtas procurandi occaſiones

atque media ad illas promulgandas facientia; sin ejusdem Sapientiæ gloriosæ displicuerit, in nomine Ipsiu, mecum Ars contumuletur, seu potiùs ad Ipsum velut in fontem fontium, unde mihi affluxit, refluere conetur.

Interea loci intermittere non potui quin aliquid memorabile de istiusmodi inauditis heroicis Inventionibus efficacibus posteritati in recordationem mei benevolentiorem relinquerem. Sed hæc tanquam in Parenthesi conscripta prætereuntes, audiamus etiamnum quædam paucula de despicata Urina.

Homines omnes pecudesque omnes victitant stercoribus Animálium. Nullum quoque nascitur frumentum, nullum vinum, nullum pomum, &c. nisi Animalium stercoribus stercorentur. Objecturo autem, *sylvestres herbas, arbores, dumos, frutices, virgulta, non stercorari stercoribus Animalium similiter vineis atque agris frumentiferis*, respondeas, illas plantas gaudere ac fruisci alia stercoratione, nimirum, Aqua cælesti seu pluviâ, cujus beneficio tempestate autumnali brumalique frondes foliaque arborum defluentia computrescunt atque in fimum fatiscunt, utpote quod stercorationis genus tempore verno ad arborum radices se proripit, ut ista ratione penetrativa inibi fiat stercoratio atque incrementi procuratio, quandoquidem folia pro arboris excrementis putentur, quibus ipso refocilletur atque renovetur. Quidni quoque excrementa

menta hominis homini vicem renovationis præſtare poſſent ?

Neminem noſtrum fugit, multorum Animalium ſtercora jam inde à plurimis retrò annis in officinis Pharmacopolarum Galenicis adhibita ad compoſitionem remediorum variorum fuiſſe atque etiamnum in hodiernam lucem uſque uſurpari. Quod in lotio inſit ſingularis vis confortans, omnium optimè atteſtari illi poſſunt, qui dum in mari poſt naufragandum per dies non paucos cibo ac potu uſitato intercludebantur, interea loci non niſi ſolo Urinæ uſu ſuam ſuſtentare vitam neceſſe habuerunt.

Quod Urina etiam adverſus peſtem egregium ſit præſervativum, ſuper hoc conteſtari poteris præfectos domorum Miſericordiæ hoſpitalium omnibus peſte laborantibus.

Si jam Urina craſſa, cui admixtum eſt multum impuri tanta præſtat, quid non præſtaret ipſius Spiritus jam emundatus ac Sal volatile, præſertim ſi quando ipſi antea per diſtillationem fuerint Eſſentiæ Vegetabilium inſignes artificiosè additæ, quippe quæ vires herbarum, florum, ſeminum, lignorum, &c. mediante Sale Urinæ volatili per corpus totum traducuntur ad exſerendum ibidem ſuas efficaciter virtutes.

Quicunque callet Spiritum Urinæ rectè præparare atque ritè uſurpare, facilè ſibi inde divitias

divitias amplas poterit accumulare, atque non minus in Medicina quam in Transmutatione Metallica fructum utilitatis notabilem captare. Quocirca hîc propalam confiteor, me quosdam in hoc Tratatulo posuisse Processus, quales quoad externam faciem quidem videbuntur parvi esse momenti, illis tamen peritis eorum Theoreticis juxta atque Practicis opus tam quæstuosum suppeditabunt, ut ne mechanicorum quidem operariorum unus ex suo opificio, quantumcunque lucrosissimo, lucrari lucri tantundem possit. Tantum lucri potest sperari ex sola Urina secundum Artem Spagyricam ritè ac scitè tractata. Diebus quippe singulis homo unus non unum, sed aliquot Imperiales ex illa arte lucrari posset; quorum Processus inibi diversi insunt, idque soladuntaxat unius Urinæ despicatæ ope. Hinc illæ multæ priscorum Philosophorum querelæ, suam *Lapidis Materiam* à Stultis in fimetum abjici, pedibus proteri atque impendio contemtiorem haberi, cui tamen ab *unoquoque* hominum nunquam non honores summi accumulari deberent. Dixi, *unoquoque*; quippe quoniam ex illa Philosophus suam *Medicinam Universalem*, atque sua Medicus *Particularia* extrahit. Quippe Chymicus Metalla viliora transmutat in meliora atque ita consequenter quilibet opifex mechanicus nonnihil fructuosi ex eadem exspectat. Quapropter ab omnibus omnium ordi-

dinum hominibus Urina non erat despicienda, sed suspicienda; usque adeò ut dolendum esset, quotiescunque vel minima ipsius gutta disperderetur. Protestor tamen, me hoc noluisse tradere nisi solis habentibus aures ad audiendum, quandoquidem cæteris cæcigenis naturaliter auribus captis suppetias hæc mea doctrina medicinales ferre nullas potest; quia *desperatis etiam* Hippocrates *vetat adhibere Medicinam.*

Quæcunque hîc de Urina jam in medium sunt allata, de nigricante quoque fuligine caminorum dici possent, de crinibus atque cornibus Animalium, de calycibus ovorum gallinaceorum, consimilibusque, & cumprimis de his vini fæcibus, quæ post eliquatum ex ipsis Spiritum sunt abjectæ foras.

Forsitan autem non nemo hîc obstrepat, *nostrum Sal Armoniacum Secretum nimis care stare adhibituro illud ad operationem præscriptam*; Cui respondeo, *Neminem unum nihilo nihil lucri facere posse.* Quicunque verò nonnihil eximii affectat metere, illum oportet antea quoque aliquid preciosi seminare.

Equidem fateor, unam libram nostri Salmiaci (si quis vellet duntaxat τὸ ῥητὸν seu nudam Descriptionis literam sectari) constituram fore aliquot Imperialibus, cum ad unam Olei Vitriolati libram parandam vel 4 aut 6 libræ Spiritus Urinæ requirerentur ad coagulandum eodem Oleum, quod tamen respectu

ſpectu illarum rerum eximiarum, quæ illius beneficio acquiruntur, non putandum eſſet pro pretio nimis caro. Si cui igitur Spiritus Urinæ juxta Oleum Vitrioli eſſent à quodam alio coëmenda, dum ipſemet deficeretur ſufficiente peritiâ parandi illa, conqueri tunc quidem poſſet de nimietate pretii: Artis autem peritiſſimo Sal Armoniacum ſtabit pretio paulò majore quam ipſa opera navata, uſque adeò ut de impenſis in opus carè agendis nulla ratio conquerendi juſta cuiquam relinquatur.

Quotuſquiſque imperitiſſimo cuique aſinorum ſat elargiri poteſt? Tale quippe inſulſorum infrunitorumque hominum genus nullam curant Artem, quotieſcunque ſaltem ipſis aliquantulum manus eſt operi admovenda. Quotuſquiſque adeo delirabit, ut hujuſmodi ſupinis ignaviſque ſub fago umbroſa Tityris humi procumbentibus columbam capiat, captam deplumet, deplumatam aſſet, aſſatam in os inſerat. Surgendum eſt iſtiuſmodi otioſis Vacuæ mancipiis, ut abeant, impigrè admotum manus operi ad imitationem omnium illorum aliorum, qui ante ipſos invigilando atque inſudando aliquid eximii conſecuti ſunt. Cæterum cum ignaviæ alumni agrum colere nolint, meritò quoque ad fructus inde colligendos non admittuntur. Comperias nonnunquam tales effrontes Mendicos inertiâ hircoſa plenos, quales (quamprimum omnium ore percre-

percrebescit, nonnusquam virum quendam impigrum assiduâ suâ vigilantiâ, cura, sudore ac labore improbo nonnihil eximii à Deo suo impetrâsse) continuò ipsius fores sollicitant, studiumque adamandi illud simulant, sibi persuadendo, se posse hac falsitatis seu imposturæ viâ ipsum omni illa Arte recens inventâ raptim emungere: atque si ipsorum voto conatus emendicandi prosperè respondet, communicanti pro hostimento grati animi non nisi calumniosa injuriarum ludibria persolvunt, dedignantes incautam ipsius simplicitatem, quod sudorem vultus sui carum juxta atque donum Dei singulare indignitati animalis pigerrimi adeò temerè prostituerit. Emori mallent talia Avaritiæ mancipia quam vel unum impendere sestertium carbonibus sibi coēmendis ad usum laboratorii quotidianum necessariis. Quid quæris? A laboribus Hermeticis abhorrent, verentes, ne forsitan scintillæ ac stricturæ involent in holosericas ipsorum togas iisdemque inurant maculas. Tacco quod manus atricolores ipsis videantur invisæ atque inidoneæ tangendis venustarum Venerum pulsibus. In omni summa, exoso nigredinem carbonum plærumque in amoribus est album argentum ac fulvum aurum. Atque id solum in causa esse credas, cur Ars nostra emergere nequeat, sed despiciatur ac in contrarium suscipiatur atquo pro Magistra colatur ventosa grandiloquentia

quentia tam in Medicina quam in Chymia; quæ jactantia grandiloquorum tamen ſuo tempore cum Babylone magna corruet, quando ſecundum vaticinia prævia ELIAS ARTISTA veniet, vaniloquentiamque omnem è medio tollet atque in ejus locum lumen Artis veræ œcumenicum ſufficiet.

Ignorantiſſimos iſtiuſmodi congerrones jactatoreſque verboſos appoſite componas cum merope illo, qui *Emmelio* dicitur *Apiaſter*, mihi verò cum Teutonibus *Binaar*, aviculaque eſt puſilla tot pennis formoſis condecorata, ut verſicoloris varietatis ratione vix ei aſſimilem comperias in tota Europâ quotieſcunque in eadem conſpexeris plumas praſino, flavo, cæruleo, rubro, atro, albo atque leucophæo coloribus diſtinctas. Diſtinguitur à reliquis præterea volucribus ſtaturâ corporis minore, cruribus brevioribus, roſtro acuminato atque tali lingua, cujus extremitati ineſt uncus aculeatus, & quæ eſt durior rigidiorque chordâ adeò ut illam ad digiti longitudinem ex corpore exſerere atque viciſſim intrò, quandocunque vult, trahere poteſt; quippe quæ ipſius lingua ſuum ortum non ducit à larynge capitis ſimiliter alitibus cæteris, ſed trans caput penes tergum, cum alioquin impoſſibile foret ut ipſa eandem euſque in longum protendere valeret. Porrò Tempore æſtivo ipſa victitat muſcis aliiſque inſectis: tempeſtate autem hyemali vermi-

vermibus inter arborum fiſſuras corticeſque deliteſcentibus, quos inde linguâ ſuâ hamatâ extrahere callet. Quotieſcunque verò ipſi affulget occaſio advolandi ad alvearia, linguam illa ſuam longam exſertam inſerit in iſtorum orificia, per quæ dum apes evolant involantque, ipſa tantiſper illarum alias poſt alias unco ſuo inde extrahit, dum ſibi ſufficit, unde & nomen *Accipitris Apiarii* ſibi invenit, cum nimirum ſit capitalis hoſtis Apum melliferarum cerificarumque, utpote quibus infeſtè inſidietur perinde ut columbis vultur, gallinis vulpes atque ovibus lupus.

Tali inquam *Lupo Apiario* formoſis pennis oblongaque linguâ viperinâ armato haud inſcitè tales putatitii Philoſophi comparari poſſunt, quales in Magnatum aulis habitu variorum colorum ſerico ſuperbiunt, reliquos homines omnes præ ſe contemnunt ſagittiſque utrimque oculis transfigunt atque quaſi dilaniant devorantque; id quod patrare unquam nequirent, niſi tali viperina, cujus modo hypotypoſin ſeu effigiem effinximus, linguâ eos natura inſtruxiſſet.

Quemadmodum autem tandem memoratus ille ales meliſſophagus (ſi quando ingraveſcente bruma ipſe tot apes, quot deglutire eſurit, conſequi neſcit) ſemetipſum indignatus præ indignatione linguam ſuam ſerpentinam in lignum quoddam infixam abrumpit atque

ita aculeum ſuum perdit: ita etiam uſu venire aſſolet nonnullis nobiliſſimarum Artium contemtoribus, ut ipſi ſi quando ſuas ſuis è faucibus linguas viperinas longè longiuſque juſto exporrexerunt) earundem aculeos relinquere cogantur in iſto lignorum, in quod ipſi illos præ mentis acerbitate infixos abruperunt. Enimverò innocentiſſimo cuique proximorum alii obeſſe gratis ſine ullis rationibus juſtis ex mera invidia atque ſuperbia, coram Deo non manet inultum: quod quidem vindictæ cæleſtis genus ad tempus differtur, nunquam tamen prorſus aufertur, ſed tandem aliquando in Proceſſu Juris exſequutivò gloriosè profertur: de quo nolint omnes ignorantiæ invidæ Invidiæque ſuperbæ fratres dubitare, ſed malint cordibus ſuis firmiſſimè aſſeverare, illud fore ſibi inevitabili pacto eventurum, niſi in tempore reſipiſcant & veniam offenſæ, quâ inſontes nefariè læſerunt, conſequantur.

Certè equidem de virtutibus inſignibuſque viribus, quæ in deſpicatiſſima Urina latenter inſunt, etiamnum multa dici poſſent, ſed temporis ratio non patitur, neu largitur. Hoc autem unicum adhuc loci denuò valedicendi gratiâ ingemino, dolendum eſſe, quotieſcunque vel una ſaltem Urinæ gutta in terram inutiliter profunditur atque diſperditur: nullus dubitans, quin illi univerſi, qui quædam de Ea experimenta combiberint, ſint Opinioni

ſeu

ſeu potius ſententiæ meæ album adjecturi calculum. Quod autem Fratres Ignorantiæ ſuperbæ cæteri benevolam meam de Lotio doctrinam aſpernaturi ſint, illud me non graviter tangit, urit aut angit, ſed mihi ſufficit, quod tantas mihi Deus vires etiamnum elargitus gratulanti eſt, ut dotes illas ingentes, quas ipſe Lotio Microcoſmico indidit, in publicam totius humani generis ſalutem patefacere potuerim. Quod ſi divina ipſius gratia mihi vitam adhuc aliquantiſper prorogare annuerit, ſtat ſententia publicandi Arcana majora publicacatis. Fiat itaque quodcunque Deus vult, voluntas namque ipſius ſemper eſt optima, optimiſque hominum plurimorum voluntatibus melior, Amen.

COROLLARIUM.

Lector benevole,

PAucis ego verbis Arcana in hoc *Tractatu parvo* magna revelavi, qualia ante me fuerunt cognita nemini, præterquam *Paracelſo*, qui perpauco de illorum præcipua memorat; Helmontius autem multa de maximis illius virtutibus exarat. Quod quum meum Sal Armoniacum idem in Operationibus omnibus præſtet, quod ſuo adſcribit *Helmontius*, ego

meo Sali Armoniaco non tantum adſcribere poſſum, quodcunque Helmontius ſuo adſcripſit Alcaheſto, ſed adhuc multò plura, quæ ipſius beneficio utiliter perfici poſſunt, inter quæ agmen ducit, videlicet, quod infallibili facilitate *Metalla* ac *Mineralia* omnia poſſint ejus ope reduci *ad Primam Materiam*, hoc eſt *in Spiritualem Aquam Mercurialem*, id quod in Chymia eſt Summum Magiſterium. Ego in hoc Libello tantummodo paucos præſcripſi Modos præparandi Medicamenta, idque ſtylo Laconico, utpote qui hæc evulganda corpore efflictim ægro in lecto meo clinicus conſcripſerim. Scribendi negotio ego quidem ſuperſedere & quiete gaudere potuiſſem, quippe qui univerſa ſcriptione mea ne oboli quidem lucrum lucrari queo: ſed Chriſtiana Charitas me inflammavit, ut ego hoc Arcanum Magnum juxta atque fructuoſum neutiquam Libitinæ in plaga mortuorum occidentali conſecrarem, ſed generi humano ſuperanti in terra vivorum Orientali publicarem, ſpei magnæ plenus, non defore quoſdam ex Spargyricis religioſos conſcientioſæ pietatis candidatos, quales ſe præſtabunt fideles legatæ donationis diſpenſatores atque paupertinorum morbos gratis medicaturos. Quod ſi Turba malignorum Magna legatis nobiliſſimæ Artis abuti præſumpſerint, videant, qualis extemplo ipſos à tergo ſit Nemeſis perſecutura.

Pro

Pro ſuo ſibi quiſque placito Medicamenta præparare poterit præſentiſſima. Propter herbas eſt Modus fere uniuſmodi. Item reſpectu Animalium, Mineralium, Metallorum Lapidumque comperias differentiam quoque parvam. Quilibet Artem profundius indaget ipſemet. Quantum ad me attinet, ego impræſentiarum deficior viribus pertexendi longius telam cœptam. Facile igitur abs quovis æquo ac bono viro excuſabor, quippe qui ſufficientem dedi anſam perveniendi ad ſumma quæque. Quare cuicunque hæc mea non ſufficit benevola communicatio, conquirat ſibi ipſemet ampliora alibi. Facilius quippe eſt inventis addere, quàm primum Inventionum novarum Authorem evadere. Tandem decreveram ego quidem in hoc Libello meo notificare Uſum mei *Secreti Spiritus Vini Alcaliſati* fructuoſiſſimum, quantum Arduum Secretum ante me unquam hominum nemo detexit Mundo, invaletudo autem mea me inhibuit ac repreſſit quominus factum ſit. Quod ſi Deus mihi vitam prorogâret, in alio quodam Libello peculiari id expediri poſſet.

Ego quidem magni pendo meum *Secretum Sal Armoniacum*, veruntamen pluris facio *Uſum Spiritus Vini Alcaliſati*, utpote qui Spiritus ſit tantæ potentiæ, ut puriſſimam ex omnibus Mineralibus, Metallis Lapidibuſque Tincturam extrahat, eandemque in Diſtilla-

tione ſecum per Alembicum abducat. Quid? quod ne fixiſſimum quidem Aurum eidem reſiſtere queat, ſed ſe ſine Corroſivo ſimiliter Aquæ ſuavi flavedinem croci referenti præbere ſurſum eliciendum cogatur. In ſumma, hic *Spiritus Vini Alcaliſatus* Medico eſt Inſtrumento optimo ad paranda ſibi eodem Medicamenta efficacia, immò incomparabilia, faciléque in copia acquiri poteſt, idque vel ſine ſingularibus expenſis amplioribus, quam quantillis aliàs juxta morem communem communis aliquis Spiritus paratur. Quæritans quæritando inveniet. Quare pulvinaribus mollibus ſurge, carbones manibus gypſatiſſimis atros tange atque Artis inſtitutis accuratè attende. Enimverò ociando, epulando, potando, & muſicales teſtudines citharaſque pulſando ad Myſteria magna nunquam appropinquabis: id quod tibi ſemel dictum ruminabis in perpetuum. Sanè imperitiſſimo cuique impoſſibile eſt creditu aut comprehenſu, quanta rerum maxima adminiculo eximii *Spiritus Ardentis* parari poſſint.

Sub finem Præparationis hujus Libelli ego nonnihil pauculi de eodem commemini, quod nimirum ex bono Spiritu Ardenti citra laborem moleſtiorem Vera Medicina Univerſalis ad Humana juxta atque Metallica Corpora facili minimeque ſumptuosâ ratione parari poſſit, de quo ut nemo ſubdubitet, ſed ut pro Sibyllæ folio habeat, pervelim. Enimverò ego jam quaſi in

ſi in emortuali decumbens grabbato, cautiſſimè cavere mihi neceſſe habeo, ut ne quid exarem niſi talem puram putamque Veritatem, qualem Experientia me perdocuit. Si Deus Opt. Max. mihi vitam in futuram uſque æſtatem propagaverit atque gratiam ſcribendi extra lectum conceſſerit, deliberatum eſt mihi edere in lucem quædam magnalia nova: ſin interea temporis ex numero vivorum exturbatus fuero, benevolus Lector ratione illorum pauculorum, quæ jam perſcripta ſunt, æqui bonique conſulat. Hoc ita participato, omnibus aſſiduis Operariis Chymicis (quos hîc bene valere ſalvereque jubeo) comprecor divinam in hoc ſeculo benedictionem & æternam poſt hæc ſecula glorificationem, Amen.

SOLI DEO GLORIA.



PRIMA APPENDIX
IN
JOANNIS RUDOLPHI GLAUBERI
PHARMACOPOEIÆ SPAGYRICÆ
PARTEM SEPTIMAM,

In qua continetur,

Quomodo plura adhuc multò majora Apotelesmata per *Alcahestum*, sive *Sal Ammoniacum Secretum* parari possint, quàm quorum in *Parte Septima Pharmacopœiæ Spagyricæ* est mentio facta. nempe, Qualiter *Vulgaris Mercurius* intra triduum totaliter figi atque in Igne constans reddi possit.

Item;

Explanatio, qualiter ejus beneficio *Mercurius Vitæ* tanquam *Summa Medicina Mundi* facilè acquiri queat.

Consimiliter,

Quod *Ignis Sapientum Secretus*, aliàs *Ignis Artephii* dictus, sit Secretum Secretorum Summum,

Una cùm

Revelatione aliorum etiamnum Secretotum Arduorum, de quibus hactenus nondum cuiquam unquam quicquam innotuit.

Ab

AUTORE ipso descripta & ad communem Posteritatis salutem provehendam in lucem edita.



AMSTELODAMI
Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE, & Viduam ELIZEI WEYERSTRAET, CIƆ IƆ CLXIX.

Benevole Lector,

Rationem præteritionis seu reticentiæ (cur nimirum ego in Tractatulo nuperrimè edito, qui inscribitur *Pharmacopœiæ Spagyricæ Pars Septima*, in quo tractatur de meo *Sale Armoniaco Secreto* seu *Liquore Alcahestico*, filum scriptionis cœptæ tam subitò abruperim, antequam quicquam de præcellentibus ejus virtutibus, quas edit in Medicina pariter atque in Transmutatione Metallorum, verbosius edisserui) Amatori divinorum operum admirandorum non possum non notificare, idque hac via: In gravem ego, antequam memoratum Tractatulum plenè conscripseram, morbum incidi, qui deinceps in dies singulos incredibiliter invalescebat, usquead eò ut de sanitate recuperanda desperarem, atque proinde consultum ducerem, ut quodcunque quamvis imperfectè, jam scriptum esset, pau-

pertinorum ægrotantium gratiâ typis evulgaretur. Simul atque autem Dei beneficentiâ aliquantulum convalueram, Libellumque illum relegeram, illicò animadverti, potissimas energiarum viriumque, quas laudatus Liquor in Medicina juxta atque in Chymia exserere pollet, in eodem ne minima quidem ex parte esse tactas, sed prorsus omissas. Hinc plerique cpinatorum sibi persuaserunt, tanquam si meum Sal Armoniacum Secretum tantæ non esset ἐνεργείας neu virtutis, quantam Helmontius suo Liquori Alcaheſt adscribit, atque cum primis cum ille in Coagulatione Mercurii commeminerit, quod idem (si quando suus Liquor Alcaheſt tantum semel inde abstractus fuerit) adeò fixetur, ut libra illius super cupella examinati una post se derelinquat XIV. lotones probi Argenti, quod sane pro vili non putandum Experimento, videlicet quod per talem exiguum laborem (qualis est unica Alcahesti abstractio, utpote quæ intra paucas absolvi potest horas) talis volatilis idemque unicus Alcumistarum omnium

omnium cavillator in Metallum fixum, quamlibet ignis explorationem perseveranter sustinens atque tractabile (idque mediante tali substantia, qualis est Liquor Alcaheſt, quippe qui per se non est nisi Sal volatile) transmutari nobilitarique possit Nihilominus tamen compertum est, confieri illud posse, & non tantum communem Mercurium per nostrum Sal Armoniacum Secretum (quod tamen alioquin omnia alia fixa Metalla reddit volatilia, purissimasque eorundem Animas seu Tincturas à rudibus corporibus secernit atque secum per Alembicum sursum avehit) in Argentum, sed alia etiam Metalla viliora in proprium Aurum constans transmutandi facultate præditum esse. Cujus assertionis veritatem ego non ex aliorum autorum scriptis excerpsi, sed assidua propriæ Inquisitionis industriâ experientiaque addidici, atque proinde tanto confidentius nemini non solidi quid de eadem asseverare possum. Ut autem rationem cognoscas, cur Mercurius volatilis à volatili Sale Armoniaco Secreto redda-

tur fixus atque in Igne conſtans, reſciſcas, illud tantummodò fieri per vim virtutemque Salmiaci noſtri mundificantem, quippe quoniam vulgari Mercurio à natura aliquid ingenitum eſt, quod Corpus ipſius totum reddat volucre. Quod ſi quis illud per Emundationem artificioſam inde ſeparare calluerit, Mercurius fugax non diutius manet volatilis, ſed ſibi aſſumit fixum, durum atque tractabile Corpus Metallicum, in quo Purificationis elaborandæ genere noſtrum Salmiacum fungitur vice magiſtri. Unde talis velox evenit Mercurii Fixatio, de quali nos in Praxi ſequenti uberius tractabimus atque demonſtrabimus, quod iſtiuſmodi accelerata Mercurii volatilis coagulatio in Aurum Argentumque conſtans non ſit unquam habenda pro re vilioris valoris, ſed pro uno aliquo præcipuorum Naturæ Secretorum: id quod nulla prorſus indiget probatione, quandoquidem peritorum omnium ſermone notorium jamdudum percrebreſcit, quod noxioſus ille cavillator Mercurius per

per ſuam volatilitatem aliquot centenis millibus Alcumiſtarum incautorum non tantum Aurum & Argentum, verum etiam domos, hortos, villas, ſuggrundas, vineas, agros, prata, cæteraſque fortunas omnes ſecum per caminum ſuſtulit & nihil reliqui fecit niſi copiam confractarum ollarum, cucurbitarum, vitrorum, fuliginis, pulveris cineriſque pro operæ precio ac præda opima, cui ſpe decollante inhiârant. Atenim quàm malè ille ἀλλοπρόσαλλος imperitis incautiſq; Chymiæ ciniflonibus atque calonibus conſuluit, tam benè idem fecit Philoſophis peritis cautiſque, utpote quibus (poſteaquam ipſi vaframentis ejus tergiverſantibus invigilarunt, uſquedum eadem emendare condidicerunt) ille viciſſim morigerari tenetur, uſque adeò ut ipſum edomare, vinculo illigare atque fixare poſſint. Id quod eſt minimè fabuloſum quid, ſed vel ſexcentis hiſtoriis veracibus comprobari poteſt condocentibus, quod in variis Mundi plagis vixerunt, qui Mercurium conſtantiâ ovantem figere potuerunt.

De ampliore Salmiaci noſtri uſu.



Sus Salmiaci noſtri longe digniſſimus in Tractatulo præcedente omiſſus (videlicet quod ipſius beneficio Mercurius ita purificari poſſit, ut idem perfacile in fixum atque in Igne conſtans Corpus rubrum fixari queat) me potiſſimum exſtimulavit atque permovit, ut hanc Appendicem typis Chalcographicis excudendum curarem, quippe qua inſuper quoque per occaſionem quamcunque opportunam nonnulla alia Arcana utililia complura notificantur, quæ ejus ope perfici queunt, prout inter auſcultandum animadvertes, eorum alterum ex altero conſecuturum eſſe.

Arrigens igitur aurem ad inaudiendum, quænam eximia plura etiamnum poſſit Secretum noſtrum Salmiacum præſtare in Medicina juxta atque in Alchymia, habeto primo, quod noſtrum Salmiacum non tantum Metalla purificet, eorumque partem impuram ab inutilibus corporibus craſſis ſeparet, volatilem verò ſecum ſurſum abducat, atque ſe poſtmodum in fixas *Tincturas* rurſus figendum præbeat, prout jam in præcedente *Parte Septima Pharmacopœiæ Spagyricæ* hac non minus quam in Tractatu de *Tribus Principiis Metallorum* ſatis ſuperque compro-

probavimus; verumetiam polleat potestate ducendi secum per Alembicum sine ullo Corrosivo fixissimum Aurum ad instar flaventis Spiritus dulcis, atque convertendi in verum *Aurum Potabile*, quandoquidem ejusmodi A urum otabile sine Çorrosivo adhærescente deprehensum, non modò efficax, suavis & insignis Medicina est ad Corpora humana, sed vera etiam Tinctura ad imperfectiora Metalla transmutanda in meliora. Certè equidem immensæ quæstionis est, quomodo Tinctura ad alia viliora Metalla possit esse istiusmodi Aurum, utpote quod Aurum commune, juxta plerorumque Philosophorum sententiam, compertamque rei veritatem per se non plus Tincturæ in se continet, quam quanto ipsummet sibi opus habet, atque citra detrimentum virium suarum aut nobilitatis nihil boni communicare Metallis aliis potest: accuratiores tamen Philosophi rem altius perquirentes invenerunt, Aurum vulgare posse Arte obstetricante destrui, ipsiusque Interius prolici foras, ipsius verò Exterius verti introrsum, quippe quam Destructionem Philosophi nominarunt *Exaltationem*, exarantes, quod *Auri Exaltatio* seu *Melioratio* fieri debeat *in signo Arietis*, cui assertioni ego nunquam album adjicere calculum potui, sed semper Contrarium credidi ac propugnavi, invehens asperè in *Toletanum*, qui conscripsit *Animadversiones*

adverſus illum probum antiquæ fidei Philoſophum *Braceſcum*, quaſi ei *caput* fuiſſet *ferreum* docenti in *Tractatu de Ligno vitæ*, Univerſalem Medicinam ex vulgari Marte parari poſſe, quippe quoniam me (poſteaquam ad prævium legendi relegendique Autores quoſque optimos ſtudium aſſiduum tandem Dei gratiâ etiam quæritando adinveni atque condidici Modum conficiendi iſtiuſmodi Tincturam ſeu Medicinam) non parum tæduit, quod tactus *Toletanus* tam protervè contra laudatum *Braceſcum* ſtylum ſuum acuit, inſignemque ejuſdem induſtriam contemſit, uſqueadeò ut hujuſmodi Zoilum nonnullibi Scriptorum meorum (quamvis zelo quodam, quod ingenuè fateor intempeſtivo) caſtigaverim, eò quod ipſe præ infrunita præſumptione adeò temerè arroganterque illud infeſtis contradictionum catapultis oppugnare aggreſſus eſt, quod nondum certò compertum habuit. Simulatque autem ex inſperato in manus meas aliquando talis *Exaltatio Auri in Ariete* inciderat, ex quali vidi, iſtiuſmodi *Exaltationem Auri* eſſe veram, me meæ παῤῥησίας pœnituit. Quocirca jam propalam confiteor, quod ego talem *Exaltationem Auri in Ariete Minerali* ope noſtri Salmiaci Secreti multò ſæpius quàm ſemel atque iterum elaboravi, in quantitate tamen perexiguâ, comperiendo, quod (quandocunque ſaltem duo vel tria talis ex-

exaltati Auri grana uni communium aquarum libræ integræ fuerint admixta) colore Auri ſatucro imbuatur. In Metallica autem Tranſmutatione ego inter hos meæ invaletudinis ingraveſcentis dies nondum quicquam attentare plus ultra potui. Quod ſi Deus Opt. Max. mihi Clinico ex tali diuturnæ ægritudinis infirmantis cubili (quod in futuram æſtatem incaleſcentem mihi eventurum ſpero) emergendi conſaneſcendique gratiam rurſus elargitus fuerit, nullus ego intermiſſurus ſum, quin pericliter, quidnam præſtare memoratum Aurum exaltatum in Tranſmutatione Metallorum poſſit. Interea loci jam ſat perſuaſum habeo, illud ad ☿ & ☽ fore Tincturam longe lateque patentem, idque inde addivino, quod (quoniam 2. vel 3. grana talis Auri exaltati integram Aquæ libram colore tingunt aureo) illud etim cum ☿ & ☽ fieri debeat. Atque ita nemini ulterius de eò dubitandum erit, quod Aurum commune ope noſtri Salmiaci in Ariete in unam aliquam veram Tincturam fixam reduci queat , prout deinceps, Deo volente, uberius ediſſeretur.

De

De ampliore nostri Salis Armoniaci usu fructuoso in Medicina & Alchymia.

PRæfatio mea in *Librum Septimum Pharmacopœiæ Spagyricæ* commeminit, quomodo *Mercurius vini* ex puro aliquo *Spiritu Ardenti* possit separari & fungi vice *Universalis Medicinæ* medentis hominibus Metallisq; quod quum tali Modo parandi Medicinam, qualem ego ibidem præscripsi, *Mercurius Vini* perpaucus acquiratur, avaris copiosioris non satisfiet, quandoquidem ex una libra *Spiritus Vini* vix 3. 4. aut 5. grana purissimi *Salis cœlestis* extrahuntur, quod tamen pro perpauco neutiquam putetur, si quis accuratiore mentis trutinâ perpenderit incredibiles ipsius vires medicamentosas quas exserit in humanos juxta atque metallicos morbos, usqueadeò ut in utraque Facultatum in tota rerum natura Medicamentum ei par reperias nullum. Certè est germana Medicina cœlestis in forma cujusdam suavis Salis candidi, utpote cujus granulum unum siquis hominum malè habentium in corpus assumserit, ipse inde in membris suis omnibus intra momentum notabiliter corroborabitur atque melius habere incipiet. Non possum non fateri, me ejusdem præparationem inter diuturnam morbi mei continuationem per varias speculationes non ita pridem

dem inveniſſe, atque (cum egomet me præ nimia invalentia ex lecto levare nequiverim, ut ipſemet Medicinam iſtam prænobilem appararem) eandem per manus intimorum meorum fideicommiſſarias apparandam curâſſe, in quantitate tamen perexiguâ, quandoquidem ego vix 2. aut 3. libras Spiritus vini cremavi, atque proinde non multum quidem Mercurii nanciſci potui, veruntamen tantundem in eo reperi, quanto animus meus tam in Medicina quàm in Alchymia ſat contentus acquieſcit, utpote qui credo, quod, prout ſuprà commemini, hac præſtabilior nulla detur Medicina in tota rerum natura. Quinetiam unuſquiſque ſecum poteſt ipſemet commentari, quantum ſalutis protinus corporibus hominum ægrotantibus cæleſtis iſtiuſmodi Medicina conferat, quotieſcunque ſubjectum, puta vinum, ex quo eadem Medicina apparatur, accuratè conſiderat. Quippe notorium eſt per Mundi plagas cunctas longè latéque pervagatum, quod nullum præſtantius Cordiale Subjectum ſub ſole dari queat bono vino puro, etiamſi illud multis adhuc inefficacibus humiditatibus aliiſque fecibus Tartareis ſcateat; cum tamen è contrario Mercurius ipſius puriſſimus ſeu ſuave Sal cæleſte ad puritatem ſummam ex Spiritu vini probo extractum ſit. Sed dicat quis, *Quidni* Spiritus Vini, *ſi in eo talis nobilis latenter ineſt* Mercurius, *ad ægrorum con-*

confortationem adhibeatur, prout idem in ſe ipſo eſt, & quid opus ſit, ut ille accendatur, comburatur, atque non ſine opera ac impenſa volatile ipſius ſal *in quodam* Refrigeratorio *excipiatur?* Ad quæ reſciſcat, quod *Spiritus Vini* ferè merum ſit *Sulphur*, ac proinde facilè inflammetur atque cum flamma devoretur, prout ſolemne *Sulphuri* eſt omni, ut, quandocunque accenſum fuerit, ſemetipſum conſumat & nihil reliqui faciat, præterquam cineres atque ſal fixum, *Mercurius* autem, qui *Sulphuri* inhæſit, cum flamma in auras diſſipatur, niſi ipſi Receptaculum frigens, in quo ſe refrigerare & condenſare poſſit, adaptetur. Sanè nos pro certo ſcimus, quod nullum inter decantatiſſima illa *tria Vegetabilium, Animalium* atque *Mineralium Principia* ſit ex toto purum, ſed ſemper ſecum nonnihil pauculi ex ambobus Principiorum cæteris inviſibiliter gerat, velut omnium optimè videre eſt in Entibus combuſtibilibus, qualia ſunt Lignum aliaque Vegetabilia, quippe quibus incenſis crematiſque, ſolum Sulphur accenditur, reliquæ verò ambæ partes, nempe Sal fixum Mercuriuſque volatilis remanent à combuſtione immunes. V. g. Si cremaveris lignum, herbam, vel aliud generis conſimilis vegetabile, interit duntaxat Sulphur, Mercurius autem Camini parietibus adhæreſcit. Quod ſi cineres aliaſque ſordes, quales unà evolarunt ſurſum, inde ſepara-

paraveris, aſſecuturus es candidum Sal volatile, *Animali Sali Urinæ volatili* omninò ſimile, excepto hoc uno ſolo, quod Sal volatile aduſtionem ſapiat. Atenim Sal fixum per communis aquæ elixiviationem ex cinere extrahitur. Porrò combuſtis Entibus Animalibus, videlicet oſſibus utrorumque animalium, exuritur Sulphur, Sal verò volatile avolat, & ferè Sal fixum remanet nullum in cineribus. Cremato denique communi Sulphure Minerali, Sulphur ferè omne inſtar flammæ abit in auras, atque ſuper ſe cum flamma conſcendit Mercurius incremabilis in forma gravis *Olei corroſivi*, quod Chymicis vulgò *Oleum Sulphuris* dicitur atque in campanis vitreis excipitur, quod tamen idem Oleum à Philoſophis nominatur *Mercurius Philoſophorum*, quandoquidem iſtiuſmodi Oleum in dulcem lapidem fuſilem (de quali meus nuper editus tractat Tractatulus de Sale Philoſophorum) facilè tranſmutatur. Ex quibus omnibus ſatis colligas, quod Sulphur tam purum reperiatur nullum, quod non imprægnatum ſit pauculo aliquo Salis atque Mercurii; quemadmodum etiam nullum comperias Mercurium, cui non inſit quicquam Salis Sulphuriſque; nullum item ſal, cui non inhæreſcat aliquantulum Mercurii Sulphuriſque. Quæ quum ita ſeſe habeant, quidni etiam in Spiritu Vini latenter inſit incombuſtibile Sal atque Mercurius? Et quemadmo-

admodum jam Spiritus Vini juxta Artis præcepta ritè rectificatus ſuper alia Sulphura cuncta reperitur omnium puriſſimus nulliſque præditus eſt fæcibus : Ita etiam neceſſariò ſuaviſſimum efficaciſſimumque Sal atque Mercurius, quando Sulphur accenditur atque comburitur, cum flamma ad inſtar incremabilis ſubſtantiæ debet adſcendere atque in Refrigeratorio excipi ad humanorum metallicorumque corporum emendationem. Quicunque hæc capere atque credere nequit, ille verè ac condignè Bœoticum ingenium ſeu Aſinus plumbeus appellari poterit, etiamſi ab imprudentioribus adulatoribus ſuis habeatur vel *Sapientum Octavus* aut *Paracelſus Secundus*.

Hoc quamvis hic ſit tam evidenter demonſtratum, ut vel quivis gregarius terrę filius intelligat ac conſpiciat, certò tamen mihi perſuaſum habeo, quod etiam multi Philoſophorum putatitiorum, quorum ſcientia duntaxat in nuda ſine ullo fundamento battologia conſiſtit, ſe eidem oppoſituri atque arroganter collocuturi ſint, quod nullum *Mercuriale Aſtrale Sal Cæleſte* in Spiritu Vini deliteſcat atque mediante Arte purè integréque ex eodem extrahi poſſit. Quicunque igitur talia inſulſa effutient, craſſam ſuam ignorantiam prudentiori Mundo toti prodent, uſqueadeò ut ipſi diutius haberi nequeant periti Philoſophi, ſed imperiti battologi ſuper-

ſuperbique Aſini; quandoquidem homines tales (dum ſe Veritati probabili ſuperciliis allevatis malignè opponunt eidemque protervè reſiſtunt) non niſi ſemel ipſos ignominioſè confundunt, idque cumprimis, ſi quando ſe nonnulli cordatorum virorum proferunt, qui Veritatem diligunt, dilectam colunt, cultam profitentur, quemadmodum ego ſpero brevi conſore. Ego namque animum induxi communicare nonnullis Amicis candidis hanc Medicinam ſummam, ut inde aliquid præſentanei confieri poſſit, cujus ſalutari ope ego quoque in hac mea præcipitata ætate ac morbi diuturnitate nonnihil allevamenti participare poſſem, utpote qui jam ipſemet æger in cubili Clinicus nihil operari valeo.

Certe equidem ego jam hoc Myſterium maximum quibuſdam Amicorum meorum veterum revelavi, idque hoc pacto, ut ipſi vegeti corporibuſque ſani in eo elaborarent, & poſt elaborationem (quæ intra octiduum conſummari poteſt) mihi ἐυχαριςίας ergo aliquantulum Medicinæ iſtius communicarent, unde ſenex corpus meum infirmatum refocillaretur: ſed tantum abeſt, ut tales gregales vel unum Medicinæ revelatæ granum mecum participârint, ut ne ſemel quidem, ſimul atque Artem ex me expectorante totam plenè ac planè expiſcati erant, limina manſionis meæ reſalutârint, ſed præterierint atque ne pro homine nunquam a-

gnito aut cognito putârint. Hoc autem meritò me manebat genus præmii longè digniſſimum, utpote qui nimium credulus tantum totius Medicinæ nobiliſſimum unionem adeò turpiter in cœnum abjeceram, nullus ruminans fidam illam ſummi præceptoris præmonitionem: *Cavete vobis ab hominibus.*

Non poſſum non fateri, illud non eſſe Opus Avarorum quippe quales rei nulli alii niſi magnis Auri maſſis inhiant, Artemque prænobilem non niſi pro titivilitio putant. Conſimiliter quoque ego confiteor, quod Spiritus vini vulgatus duntaxat parvam Cæleſtis iſtiuſmodi Salis quantitatem de ſe dat, prout etiam magna ejuſdem quantitas nemini opus eſt, utpote cujus vis ac efficacia ſe longè lateque protendit ac exſerit? Quod ſi quem inceſſerit cupido acquirendi ſibi quantitatem hujus noſtri Mercurii cæleſtis majorem, is voti ſui compos fieri poſſet, ſi modò adhiberet probum *Medicinale Subjectum Reſtaurativum*, velut, *Sulphur* vel *Antimonium ad rubedinem fixatum*; nec non Aurum, margaritas, coralia rubra, exuvias ſerpentinas, boletos ſeu fungos cervinos, conſimiliaque reſtaurantia ſeu renovantia Spiritu vini adminiculante extraheret eundemque vini Spiritum exureret; quippe quo facto, cum flamma adſcenderet Mercuriale ſal puriſſimum, quod in Receptaculo reciperetur frigente.

Con-

Consimiliter Metalla omnia, quando ipsa ritè mediante Spiritu vini extrahuntur, inter cremandum dè se dant volatile Sal Mercuriale, quod tam in Medicina quàm in Chymia utiliter administrari potest. Enimverò *Sal Saturni* est præsentissimum *Pestilentiale*; Sal *Veneris* verò efficax *Venereum*; Sal *Lunæ* autem, præstantissimum *Cephalicum*; Sal *Auri* verò, insigne *Cordiale*; Sal *Martis* autem egregium *Stomachale*, & vera Tinctura cujus ope vulgaris Mercurius ac Luna in Aurum tingi queat. Ad labores autem Metallicos utiliter illud adhiberi nequit nisi prius Auri communis beneficio in fixitatem rubentem reducatur, utpote quod post primam præparationem, quantumvis ex Subjecto rubente promanantem, etiamnum quidem ex toto album cum flamma adscendit, perfacile tamen fixari ac rubefieri potest; fixatur quippe atque rubefit, si quis scilicet inde duntaxat semel *Aquam Saltaberis* (ut *Paracelsi* phrasi utar) abstraxerit. Quid autem *Aqua Saltaberis*, sit, è Paracelso laudato petas; meum namque non est hac vice illud Aquæ genus expectorare ac divulgare. *Helmontius* totâ viâ erravit, quando putavit, esse *Aquam albuminum ovorum*, quod tamen non est, sed Aqua quædam ubique vili precio parabilis, quantum ejus sat est.

Interea loci sanè nullus imperitorum credere potest; quanta vi purgandi, sursum evocandi

 atque

atque fixandi flamma probi Spiritus vini polleat. Quicunque igitur avidus eſt conſciendi, operi manum admovens, periculum ejus faciat. Spiritus Ardentis flamma omnia Corroſiva pariter atque amara Subjecta Metallica reddit ſuavia ac dulcia, uſqueadeò ut rectè Lullius dixerit; *Amarum immaturum eſſe dulcificandum, ut totum habeatur Magiſterium*. In ſumma, ejuſdem beneficio tantum eximii perfici poteſt, ut ægrè credere queat, niſi quis prius opus aggreſſus fuerit eventumque conſpexerit. In quo impræſentiarum acquieſcimus, hoc tamen ex abundanti indicantes, quod (quandocunque cuiquam fuerit animus ſubtiliſandi Metallica Subjecta per Spiritum Ardentem, deſtillandi vel ſublimandi in ſuavia Salia ſive Tincturas) ille nequaquam conſtrictus ſit neceſſitate adhibendi ad illud nihil aliud niſi ſolum Vini Spiritum, quippe quoniam idem quoque præſtare poterit Spiritus Ardens ex frumento aliiſve Vegetalibus eliquatus. Quicumque verò ſuavem Mercurium Medicinalem ſibi per ſe abſque Metallis acquirere ſatagit, ille ſibi eundem ex Spiritu Vini ſuavi apparare debet, quandoquidem frumentum non ſubminiſtrat tantum Salis Mercurialis, quantum haberi poteſt ex vino, id quod obſervatu dignum mente reponatur alta.

Atque hîc ego ſummam Medicinam, qualis unquam in rerum natura fuit aut eſſe poterit, lucu-

luculenter revelavi, id quod nemo Philoſophorum unus ante me unquam præſumpſit. Equidem *Albertus Magnus*, ipſiuſque diſcipulus *Thomas Aquinas* aliquantò dilucidius cæteris de ea ſcripſerunt, ita tamen ut Lectorum perpauci mentem eorum aſſequi potuerint. Nam de Spiritu Vini quidem commeminerunt, Inſtrumentum tamen, ſub quo comburatur, ne minima quidem ex parte expreſſerunt aut attigerunt. Baſilius quidem perdocuit, fabrefaciendum eſſe Inſtrumentum ex ♀, ſub quo Mercurius Vini excipiatur, hoc tamen Inſtrumenti genus non eſt unicuique ex omni parte conducibile, ſed etiamnum in eo quicquam deſideratur. Quantum ad me attinet, ego diu perquiſivi ac requiſivi, antequam Inſtrumentum adinvenire potui idoneum, in quo Sal hoc Cæleſte ac Mercurium exciperem. Quærant alii poſt me etiam, uſquedum inveniant. Meum non eſt una vice omnia ante pedes indignorum projicere. Quippe vetor fatis, utpote qui jam plus ſatis evulgavi. Quicunque verò eſt cupidus addiſcendi plura de hoc Laboris genere, perlegat de noſtra Aqua Mercuriali Braceſcum in ſuo Tractatu de Ligno Vitæ, ubi tot notatu digna inveniat, quot ſufficienter contentus evadat. Avicenna quidem quoque exarat excellenter, ſed perbreviter. Coſmopolita atque Neuſementius quidem paulò luculentius conſcripſerunt

ſuos codices, veruntamen charactere adeo philoſophico, ut ex mille Lectoribus vix unus perfectè ibidem invenerit, quodcunque perquiſiverit. Plura mihi hac vice non licet ediſſerere; ediſſerenda verò in reliqua ſuam quiſque commentationem atque meditationem ipſemet conferat.

De Ulteriore Uſu noſtri Salmiaci.

IN meo nuper edito *Tractatulo* de *Tribus Principiis Metallorum*, quemadmodum ope *Proſerpinæ* uxoris *Plutonis* ex *Vitriolo Martis* Oleum ſanguinei coloris tingens deſtilletur atque deinceps in dulcem Lapidem fuſilem coaguletur, cujus beneficio Magnalia in tranſmutatione Metallorum gemmarumque patrari poſſunt. Quid autem per Proſerpinam intelligatur, conſulto Lectorem celavi non minus quàm Coagulationem rubentis albentiſque Corroſivi Olei Vitrioli in Lapidem dulcem, qui tunc temporis in animum non induxeram de iſtis plura publicare. Poſteaquam autem ſub hæc nonnulli Artis noſtræ rivales me convenerunt etiam atque etiam deprecantes, ut ſibi quoque revelarem *Proſerpinam* pariter atque *Coagulationem Vitrioli*, meum perſuaſoriis ſuis precibus animum eouſque flexerunt, ut illis benevolè gratificarer participans, hac tamen lege, ut, ſimul atque elaborâſ-

laborâssent, mecum non nihil tantæ Medicinæ participarent, quæ tamen promissa eucharistica in hodiernum diem usque nondum persolverunt, usqueadeò ut in contrarium veritus sim, ne tantum Secretum (videlicet quomodo ope *Proserpinæ* ex Vitriolo *Oleum sanguineæ rubedinis* tingens Lunam in Aurum atque deinceps in dulcem Lapidem fusilem coaguletur) ingratiis meis in vulgus disseminetur, mecum constitui, quod egomet ipse tantum Arcanum publicaturus sum, quandoquidem semper ex meliori fundamento Magister de Opere suo ipse sermocinari potest quàm discipulus; nullus dubitans, quin hac mea Apocalypsi seu notificandi viâ plerique Alchymistarum, qui alioquin ad incitas Iri mendici redacti miserè intermorituri essent, reflorescere possint æmuli omnibus in lauta & benè aucta parte positis. De Arcano igitur patefaciendo sic habeto.

Per *Proserpinam* in Tractatulo memorato intelligitur *Oleum Antimonii corrosivum*, aut, eo deficiente, *Butyrum Antimonii*, quod (quando Vitriolo Martis pro rata proportione additur & per Retortam destillatur) Aurum Philosophorum seu Tincturam Martis in forma spissi Olei sanguineam rubedinem referentis secum abducit, quod rubicundum Oleum quando in fusibilem Lapidem dulcem coagulatur, multum auxilii præbet ad emendationem Metallorum

rum, nominatimque Lunæ in probum Aurum tingendæ, quemadmodum paulò pòst audiemus. Hæc Laconice dicta ſunto de Proſerpina Antimoniali, dicetur quoque mox à nobis, quomodo noſtrum Sal Armoniacum Secretum loco Proſerpinæ Antimonialis utiliter uſurpari poſſit, poſteaquam nos præmiſerimus rationem coagulandi Oleum Vitrioli rubens in Lapidem minimè corroſivum, cujus ope Metalla variè emendari queant. Quantum attinet ad Coagulationem rubri pariter atque albi Olei Vitrioli, nec non reliquorum Corroſivorum, ea eſt quidem perfacilis peractu, ſed perdifficilis adinventu. Omnes namque Philoſophi oppidò perquàm obſcurè de hoc operandi genere ſcripſerunt hujuſcemodi Laconiſmo: *Solve & coagula.* Solutio Martis in Vitriolum fit mediante Oleo Vitrioli communi, aut quidem etiam Spiritu Salis, Coagulatio verò in tingentem *Lapidem* minimè corroſivum confiat ope Saturni ſenio frigido ſicci, quippe qui intentiſſimo frigore ac ſiccitate omnes humentes Ignes frigidulos extinguere atque in lapides duros mutare pollet. Nemo Philoſophorum unus de Coagulatione Mineralium Spirituum ſcripſit explanatius *Paracelſo* in *Tractatu* qui inſcribitur *Cælum Philoſophorum*, utpote in quo ipſe de natura & proprietatibus VII. Metallorum agit, atque in cap. V. de *Saturno* hic ediſſerit:

Canon

Canon quintus de Natura & proprietatibus Saturni. De propria ſua Natura Saturnus ita loquitur : Pro ſuo me ejecerunt Examinatore *ſex alia, deque loco ſpirituali extruſerunt à ſe : corruptibile Corpus in manſionem etiam adjecerunt, ut quod ipſa nec ſunt, nec habere cupiunt, ſim id Ego. Sex fratres mei Spirituales exſiſtunt, inde fit, ut corpus meum, quoties ignitus ſum, penetrent; ac unà mecum igne pereant, ☉ & ☽ tamen exceptis : quæ mea mundantur & ſuperliunt aqua. Spiritus meus eſt aqua emolliens fratrum meorum rigida & congelata corpora. Corpus meum tamen ad terram eſt proclive : Quicquid in me recipitur, etiam conforme fit ejus, & per nos in Corpus unum convertitur. Mundo minimè foret utile, ſi cognoſceret, aut ſaltem crederet, quænam in me lateant, efficereque poſſim : utilius foret, ſi mecum id, quod poſſum facere calleret : Alchymiſtarum artes omnes deſerens, hoc ſolo, quod in me eſt, & per me fieri poteſt, uteretur. Frigoris lapis eſt in me, hæc eſt aqua, per quam Spiritus congelari facio Metallorum ſex in Eſſe corporeum ſeptimi, hoc eſt, ☉ cum ☽ promovere.*

Hæc ita adverbum ex Paracelſo huc tranſtulimus, ut ex illis ſatis conſtare poſſit, quod ipſe coagulationem acrium Spirituum Mineralium per Saturnum frigidum ſiccumque perficere conſcivit, dum de ea tam evidenter exaravit quàm qui maximè, quanquam perpauci vixe-

runt, qui iſtum principem Philoſophorum rectè intellexerunt, atque tactam Coagulationem acrium Spirituum Mineralium ex ipſius verbis addiſcere potuerunt; cum tamen in Tranſmutatione Metallorum particulari Methodus nulla detur facilior, quàm per noſtrum Sal Philoſophorum, quod ex Oleo Vitrioli rubente per Saturnum frigidum coagulatur, fieri poteſt: ut ſilentio tranſeam, quid fructuoſi alioquin ejuſdem beneficio in emendatione ignobiliumque prænobiliumque lapillorum perfici queat, utpote ex quo Laboris genere haberi poteſt decuplo plus emolumenti quàm ex gradatione Metallorum in ☉ & ☽; quippe quoniam noſter Lapis rubens omnes gemmas in ſuis coloribus exaltat, cryſtalloſque albentes in omnigenos colores tingit, qua in re nihil ei quicquam par præſtare inter fœtus terræ poteſt. Quocirca hanc Lapidum colorationem priſci Philoſophi pluris fecerunt quam Artem tingendi Argentum in Aurum, prout elucet ex antiquo quodam Triſticho allegato ac relato à Joh. Bapt. Porta in ſua Magia Naturali, ubi de præparatione gemmarum ſcribit:

Arctus eſt hominis, qui conſtat Sex Elementis:
Cui P *ſi addideris, &* S *in* M *mutare bene ſcis,*
Hoc erit Æs noſtrum, conſtanſque Lapis Philoſophorum.

In

In paucis his verbis eſt deſcriptus totus Proceſſus conſequendi Lapidem Philoſophorum, qualis tamen adhibeatur non niſi ad ſolam Metallorum emendationem. Ad Medicinam namque nihil ſalutis confert.

Arctus hominis eſt *Lumbus*; cujus vocabuli *Lumbus* fronti ſi præpoſueris literam P, vertetur illud in *Plumbus*; ſin pro ultima ejusdem litera eraſa ſeu diſpuncta repoſueris M, legetur *Plumbum*, quod degenerare poteſt in *Lapidem Philoſophorum*, vigore Carminis laudati, utpote quo non canitur: *Hoc Plumbum eſt Æs noſtrum & Lapis Philoſophorum*; ſed ſic: *Hoc erit Æs noſtrum & Lapis Philoſophorum*, ſive, *poteſt fieri Lapis Philoſophorum*, hoc eſt, quando ope rubri tingentis *Olei Martis & Antimonii* in Lapidem rubeum adducitur, quippe qualis Lapis non tantum Metalla emendat, verum etiam nobiliores pariter atque ignobiliores Lapillos graduat, & in meliores formas coloreſque tingit. Enimverò plus egregii ac boni in deſpicatiſſimo Plumbo de iteſcit, quam ſibi imperitiſſimorum quiſque imaginari ſeu perſuadere valeat; quandoquidem Interius ipſius Bonum non eſt niſi merum Aurum, uſqueadeò ut Philoſophi illud appellârint *Aurum Leproſum*.

Simul atque jam hoc Aurum impurum rubente Oleo Vitrioli Antimoniali fuerit imprægnatum, & utrumque unà conjunctim in Lapidem

dem rubentem coagulatum neceſſario inde Tinctura ad Metalla juxta atque Lapides confici debet. Quicunque verò adeò veſano laborat cerebro, ut prius cathartico indigeat veratro, quàm præſcripta iſthæc capere poſſit aut credere velit, maneat meâ pace incredulus. Mea quippe nihil refert, utrum quis credat ac perficiat necne: ſufficit mihi αὐταρκεῖ ſeu contento, quod ego Talentum meum in ſalutem totius Chriſtianæ Reip. collocavi, atque Mundo ingrato tantum irradiantiſſimi fulgoris lumen accendo, quanto ante me nemo alter filiis Artis præluxit. Dicendum quidem eſſet etiamnum multum præclari de noſtro rubeo Oleo Vitrioli coagulato: ſed ad quid confert ante cæcigenæ oculos adducere hypotypoſin bellorum colorum, quippe quos ipſe non contemplari, neque de illis quicquam arbitrari poteſt. Enimverò hodiernus Mundus eſt in Avaritiam, Superbiam, Odium, Invidiam, comeſſationem, compotationem, ſcortationem ac nequitiam ita immerſus ut præ occæcatione, ſeipſum noſſe neſciat, & tamen interim præter alios ſui ſimiles pro oculatiſſimo putari Argo diſcupiat, uſqueadeo ut in ejuſmodi hominibus Veritas proverbii antiqui comprobetur: *Regnum Monophthalmus ſeu Luſcus in Mundo aut Metropoli cæcorum obtinet ſive Monarcham agit.* Neque etiam ullum tali, ex ſuperbia, orienti cæcitati invenias remedium præſentaneum. Quinetiam ſi vel

vel omnes Ophthalmicos cum ſuis argenteis aureisve acubus concurrentes adhiberes, membranulam tamen officientem ab occæcatis ipſorum oculis vix ac ne vix quidem demeres. Quotus quiſque etiam poterit atrum corvum aut Æthiopem dealbare? Nequicquam enim eos omni Hiſpaniarum ſmegmate lavabis, uſquedum albeſcant. Quippe

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

In Parte Septima *Proſperitatis Germaniæ* de conſimili acrium Spirituum coagulatione tractatur, quò avidiſſimum quemque egregiarum Artium amatorem ablegatum volo. Quæ enim hic tractantur brevius, ita traduntur verboſius, juxta quòd communicati ſibi quiſque lectorum conſulat atque attendat. Tempus enim non largitur, ut hic uberius de iſtiuſmodi Spiritibus ſalis acribus ediſſeratur.

Adhuc

De uberiore *Salmiaci* noſtri uſu.

Primò vulgaris Mercurius ope noſtri Salmiaci Secreti intra unum diem ita depurari poteſt, ut poſtridie per Abſtractionẽ unicam *Aquæ Saltaberis* in rubentem Medicinam fixam coaguletur: quæ Velox Mortificatio, Coagulatio ſive Fixatio à *Paracelſo Helmontioque* maximi fiunt. Hunc Mercurium *Paracelſus* titulo *Mercurii Corallini* inſignivit, eundemque hac illuſtri lau-

laude celebravit, quod in tota Rerum natura nullum eo præstabilius remedium ad relevandum Podagram Gallicumque morbum comperias, addendo, quod recreet animum Artistæ, utpote quod in Aurum ingrediatur & cum eo in Aurum convertatur, atque ita non paucos Alchymistas depauperatos vicissim locupletare possit. Cæterum post Philosophi hujus obitum hactenus nondum unum aut alterum Chymiæ alumnum compereris, qui istiusmodi fixum Mercurium rubentem apparare potuerit, idque propterea quod *Aquam Saltaberis*, quâ ille in rubedinem fixam adducendus erat, nemo filiorum Artis comprehendere potuit, usque dum doctissimus ille seculi nostri Philosophus *Helmontius* se protulit attestando, se talem Mercurium quoque præparâsse, qualem mactat novo *Auri Horizontalis* nomine, edisserendo, quòd ille sufficienter suppeditare possit, quæcunque Medico Chirurgoque opus sunt.

Consimiliter expertissimus ille Philosophus *Nuysementius* de istiusmodi Mercurio scripsit testificans, quod ille in quodam Confortante exiguæ quantitatis 2. vel 3. duntaxat granorum assumptus omnes vitiositates ex hominis corpore expurgat. Aliis id quidem *Helmontius* verbis exprimit, quibus tamen innuit, quod *omnem ex venis amurcam* expurget. Eccos tibi Triumviros inclytos vice Marpesiarum totius Hermeticæ

meticæ Philoſophiæ Medicinæque columnarum fungentes, quippe qui præclare de hoc Mercurio conſcripſerunt, quorum inventis plurimi ſucceſſores nihil addiderunt, ſed acquieverunt fugitantes laboris præparandæ Medicinæ Univerſalis. Poſteaquam autem ego jam octo perpetuis amplius menſibus ob morbum gravem, ſenium occiduum infirmitatemque ingentem decumbere in cubili clinicus neceſſe habui, interea loci mihi affulſit occaſio perquirendi meditatius abſtruſa rerum, quoaduſque *Aquam Saltaberis* demum adinveni, quâ obſtetricante Mercurium totaliter fixavi, non quidem, prout Helmontius egit, in conſtans Argentum probum, ſed in Aurum perbonum. Quicunque verò amore ſuccurrendi miſeriæ ægrotantium flagrat, melius ſaluti publicæ conſulit, ut Mercurium iſtiuſmodi fixatum potius adhibeat ad depellendam Podagræ Tyrannicæ carnificinam juxta atque Morbum Gallicum, quàm ad Aurificandum, niſi quatenus eodem ſaltem ad nuda alimenta neceſſaria opus habeat.

Quicunque plura de hoc *Mercurio Corallino*, ſive, juxta Helmontium, *Auro Horizontali* ſcire affectat; Tractatulum noſtrum, qui inſcribitur *Pars Pharmacopœiæ Spagyricæ Septima*, perlegat, ubi non tantum complures reperiet Mercurios, qui huic neutiquam cedunt, neu

primas

primas deferunt, ſed in multis antecellunt; verumetiam perdoceberis, quemadmodum ex omnibus Vegetabilibus diſtilletur Spiritus Ardens, atque ex tali Spiritu per inflammationem combuſtionemque cum flamma Mercurius vini à Sulphure ſeparetur, & tanquam purum Sal cæleſte cum adaptato Receptaculo excipiatur & tanquam *Summa Medicina Universalis* contra quoſvis morbos adminiſtretur. Quinetiam ibidem condocetur Modus depurandi taliter Mercurium Vulgi, privandique eundem omni faſtidioſo ſapore atque odore, ut reddatur ſuavis idoneuſque ſimiliter Igni morbos conſumenti ad corrigendam cachexiam corporis univerſi omnem. Conſimiliter quoque ibidem dodetur Modus imponendi taliter Mercurium, ut ſe per *Secretum Artephii Ignem* in *Summam Medicinam* maturandum præbeat, idque brevi tempore, minimaque opera ac impenſa.

Hactenus ego de multiplici Alcaheſti noſtri Uſu variè perdocui, ſed quum hoc doctrinæ genus potius junioribus Medicis, pharmacopolis, Chymicis aliiſque viris eruditis prodeſſe poſſit quàm opificibus mechanicis, conſtitui mecum hîc ſubjungere nonnulla quoque Secreta, qualia uſui eſſe poſſunt plebi, uſqueadeò ut noſter *Alcaheſtus* evadat communis multorum ſervus *Oneſimus*, atque hoc pacto verificetur, quod in ſuperiori ſeu præcedenti Tractatu traditur,

traditur, videlicet ex despicabili Urina omnes omnium Ordinum homines, dummodò velint, emolumenta atque alimenta sufficientia capere posse. Quamvis autem Spiritus Urinæ solus citra suppetias Olei Vitrioli aliusve cujusdam Spiritus Acidi non perficere perficienda omnia possit, subterfugiendus tamen propterea non est Labor conficiendi Oleum Vitrioli, utpote quod in copia vilibus sumptibus nullo ferè negocio quantocyus parari potest, si quis saltem aliquantò peritior sit quàm Chymicus proletarius, quandoquidem tunc quatuor ad minimum libras uno Imperiali parare poterit. Quod si hoc præstare nequiveris, præstò est Oleum Sulphuris, quod ad præparationem Alcahesti est conducibilius Oleo Vitrioli, atque ocyssimè ex centum libris Sulphuris procul ullis ingratiis x aut x i i. libras talis Olei in peculiari fornacula parare poteris, idque sumptibus minimè grandibus. Quare quicunq; vult Alcahesti beneficio aliquid fructuosi elaborare, antea sibi quantitatem Spiritus Urinæ atque etiam Vitrioli vel Sulphuris non parvam debet in futuros usus tempestivè præparare, ut hac via citra ullam remoram præpedientem in opere suo occepto feliciter ac velociter pergere valeat, quod alioquin absolvi nequit. Si cui enim Spiritus Urinæ, nec non Oleum Vitrioli coëmenda essent, ei Alcahestum precio nimis caro constaret ad paran-

parandum ex eo res ampliſſimas, prout ex ſequentibus videre erit. Quid? quod Pontanus adſcribat, Corpus Mercurii totum ſine prævia ſeparatione puri ab impuro totaliter in fixam Medicinam ſeu Tincturam adminiculante *Igne Artephii Secreto* ſine ulla ponderis imminutione maturari poſſe, de quali mirifica Fixatione ego in meo ægrotantis cubili puſillum cepi experimentum, atque tantum cupiti comperi, ut jam quæ *Pontanus* de tali Igni Secreto exaravit, credere tenear, confitendo propalam, ejuſcemodi Ignem Secretum in Medicina & Alchymia eſſe pluris faciendum, quàm alia Secreta Magna omnia, quæ unquam Philoſophis innotuerunt. Quocirca nihil mihi tam efflictim dolet, quàm quod ob ingentem invalentiam meam ſemper cubili Clinicus tenear affixus, uſqueadeò ut plus ultra nihil in eo periclitari queam.

Hic Ignis omnia ſubjecta venenata convertit in ſalutifera Medicamenta, omnia fixat volatilia, omnia acria amaraque reddit dulcia ac ſuavia. In ſumma, Ignis hic ſecretus nulli rei concinnius conferri poteſt quam Titani ſeu ſoli, unde res omnes hauriunt vitam ſuam atque incrementum. Ille namque Ignis primò ex Terra, Aqua & Aëre producit craſſos, amaros acerboſque fructus, deinde immaturos maturat mutatque fructus in ſuaves dulceſque æmulans

ritum

ritum Solis, ceu progignentis uvas acidas, quas post variam in eas operationem dulcificat. Idem intelligas dictum de maturatione vulgaris Mercurii, quippe qui per se, quando ipse adhuc est volatilis, pro immaturo amaroque fructu venenoso est putandus: quamprimum verò per nostrum Ignem Secretum sua ipsi amarities venenumque noxium fuerit ademptum, atque ipse evaserit fixus, ignitionisque examinatricis perpetiens, ipse non amplius est venerum amarulentum, sed in salutiferum degeneravit medicamentum. Hinc Lullius laudatus exclamavit: *Amarum si dulcificaveris, Magisterium totum habebis*. Quam Dulcificationem noster Ignis Secretus tam perfectè perficere potest quàm Sol ex omnibus acidis acerbisque arborum fœtibus facit fructus dulces, suaves salubresque. *Pontanus* attestatur, se quidem in Materia Lapidis vera elaborâsse, attamen sæpius quàm ducenties errâsse, neque in viam operationis infallibilis regiam remeaturum fuisse, nisi Artephium legisset atque ex eo *Ignem Sapientum* addidicisset. Hoc sanè habet admirationem, quod Chymicorum fere nemo curas, meditationes, consilia ac studia sua conferat ad inquirendum inveniendumque nostrum Ignem Secretum, cui tamen par secundusq; vix datur alius ullus in tota rerum natura. *Artephius* illum Ignem tam luculenter descripsit, ut demireris, cur tam

pauci Investigatorum capere mentem Ipsius nequeant. Cæteri Philosophorum, qui talis Ignis fuerunt participes, scribunt expresse cum Artephio, illum continenter in suo ipsorum vitro ardere atque non extrinsecus in uno jugiter gradu flagrare. Unde sanè satis constare poterit, illum non esse Ignem communem ex ligno carbonibusque structum. Cæterum Superbia diabolica & Avaritia probrosa seu fames Auri sacra ita occæcat cor sensusque hominis, ut Mysteria naturæ non cernere neque capere possit. Itaque ego ex abundanti dico, quod Ignis noster Secretus Mercurium totum brevi tempore in rubentem dulcem suavemque Tincturam ad corpora humana atque metallica transmutare possit.

Adhuc

De ulteriore Usu Alcahesti *nostri fructuosissimi in Laboribus Metallicis emolumenti magni feracibus.*

QUemadmodum audivimus, ope *Alcahesti* nostri fixari atque in Igne constantem reddi *Mercurium Vulgi* volatilem : Ita ipsemet quoque taliter figit alia Mineralia Metallaque volatilia atque etiamnum immatura, ut eadem suum post se ☉ ac ☽ non sine utilitate notabili

notabili in cupella relinquant. Cumprimis autem emolumentum ingens inde capias, si volatile ☉ ac ☽ per Aquas fortes ex lapidibus, arena ac terra extractum, vicissim illius ope taliter fixaveris, ut in Vulcano non quærat ansam avolandi, sed se similiter alii cuidam ☉ ac ☽ fundendum præbeat. Nos non fugit, quod Metalla (quandocunque ipsa mediantibus Aquis Fortibus tractantur, etiamsi antea fuerint fixa) in aliam degenerent naturam atque volatilisentur, ut succenso Igne fusionis forti avolent, ac ingens damnum dent. V. g. Si in 🜅 solveris ☽ atque in ejusmodi Solutionem infuderis communem Aquam salsam, præcipitabitur ☽ ex ▽ in forma pulveris albicantis, quem si mediante Aqua probè edulcoraveris exsiccaverisque, consequeris calcem ☽, at multò ponderosiorem pondere, quo ☽ antea examinabatur; Quod accrementi genus non nisi à solis Spiritibus Salis acribus proficiscitur, quales argentum in se pertraxerunt, eidemque tam firmiter incorporantur, ut Aquæ communis beneficio ab ☽ totaliter separari nequeant, sed in eo permaneant non tantū inter excandefaciendum, sed inter fortem quoque fundendi actum, usqueadeò ut ☽ non ad instar alterius cujusdam argenti tractabilis, sed veluti lapis ex igne fusionis prodeat, inter quem fundendi actum illi Spiritus Salis multum Argenti in fumum ave-

hunt, & pars ejus etiam in crucibulum ſe penetrat, adeò ut tale cum ſale præcipitatum ☽ non ſine jactura ſeu detrimento rurſus in ☽ ductile fundi queat, ſed ad inſtar cornu tranſparentis appareat intractabile, unde & *Lunæ Cornua* à Chymicis appellatur; ego verò hoc Argentum, utpote quod eſt omninò volatile ac fuſibile, in Scriptis meis *Mercurium Lunæ* nominavi.

Eodem quoque modo *Saturnus* in liquabilem volatilemque Mercurium converti poteſt, de qualis Uſu admirabili fructuoſiſſimoque integer quidem Tractatus, qui inſcribitur *Opus Saturni*, eſt conſcriptus, ſed nondum excuſus, de quo hîc Non Plus Ultra. Sed dies jam in veſperam inclinata monet, ut ad noſtrum volatile ☽ redeuntes tradamus Modum reducendi illud in ☽ fixum ac molle ſeu tractabile, id quod quidem ab imperitis meritò pro Arte ardua putatur, ſed à peritis illud in copia facilè apparatur cum inſigni Operarii utilitate.

Sed dicat quis: Cur in id curas meditationeſque noſtras potiſſimas conferre debeamus, ut tale cum ſale præcipitatum ☽ volatile reducamus in fixum ac probum, cum aliæ etiamnum pateant ſuppetantque viæ præcipitandi Argentum ex ▽, nempe ope ♀ bractearum. Cui ego reſpondeo, quod illi, qui vulgò ☉ ab ☽ ſeparant, ex parte quidem tali præcipitatione per

per ♀ laminas abutantur, ſed illa impendioſa præcipitatione neutiquam uterentur, ſi utilioris cognitione gauderent. Sumptuoſa, inquam, contingit illis talis Præcipitatio, utpote quibus multum Aquæ in Solutionem eſt infundendum, ad diluendum ſeu infirmandum eâ Aquam Fortem, ut Argentum tantò promptius ad ♀ præcipitetur, & 🜅 quoque non ſolvat nimium ex ♀. Per hanc Separationem primò fit jactura Aquæ Fortis, quippe quæ efficitur cuprea atque inidone ad uſum ſeparandi novum: quippe quoniam una Marca Argenti (non computato operæ laboriſque impendio) quoad ſolam 🜅 ferè dimidio ſtat Imperiali, uſqueadeò ut Secretores noſtratis Belgii pro ſeparandis ſingulis aurei argenti marcis efflagitent perſolvendum ſibi operæ pretium binos florenos Hollandicos ſeu ⅟ unius Imperialis, idque non injuria, utpote qui vel alioquin haud multum inde lucrifaciant; tametſi eorum nonnulli ☽ non ope ♀ laminarum præcipitent & 🜅 diſperdant, ſed per deſtillationem ab Argento Aquam Fortem abſtrahant, atque poſtmodum denuò in uſus ſuos convertant. Cæterum iſtiuſmodi Abſtractio difficulter perficitur & ſuo non vacat periculo. Fracto namque inter abſtrahendum vitro, Argentum ſe ita in arenam proripit, ut illud ſine intertrimento aliquantillo inde haudquaquam totaliter

recuperari reſtaurarique queat, ſed non nunquam multum jacturæ fiat. Hac quippe ratione Modus ſeparandi talis, etiamſi partem Aquæ Fortis conſervaveris, manet tamen ſumptuoſus pariter atque (quando in majore ad parandum Aquam Fortem quantitate peragitur, prout fieri conſuevit tam in metallicis auri argentique fodinis quàm in monetariis officinis) periculoſus, utpote qui expoſtulat multum operæ ſordidatæ, laboris improbi, impendii varii, diuturnitatis faſtidioſæ atque moleſtiæ periculoſæ. Periculoſæ addo, idque non immerito: quippe quoniam illi operarii, qui per Aquas Fortes perficiunt ſeparationes frequentes, plærumque evadunt Peripneumonici ſeu pulmonarii, dum inter reſpirandum cum halitu ad pulmonem in ſe acrimoniam ſpirituum attrahunt, quibus tactus pulmo læditur, putrefactionique obnoxius redditur, uſqueadeò ut inter Secretores Auri perrarò magiſtrum incanum uſquam comperias; quippe quales ſodales falx Libitinæ præmatura inter florentes ætatis integræ annos hinc è terra viventium demetere & ad plures præmiſſos demittere aſſolet. Sed quidnam illi miſelli inermes contra tantam è Parcarum Regno Reginam moliantur? Ex aureo argento prius artifices monetarii monetam cudere neſciunt, quàm Aurum fuerit ab eo ſeparatum, etiamſi ad ſeparandum vel quantoſvis ſumptus requiras.

requiras. Ego quidem abhinc biennio ſcripſi de artificioſa quadam Methodo ſeparandi in copia Aurum ab Argento, ſed quoniam paulò poſt in morbum gravem incidi, quicum hactenus confligandum mihi infirmato fuit, ego laudatum Opus Separandi utiliſſimum ad effectum perducere nequivi.

Poſtquam autem ego in iſthac diuturna invaletudine mea, quamvis nullo doloris alicujus notabilis ſenſu me divexante, in meo cubili clinicus agere nihil ſcivi, niſi aſſiduas indeſinenteſque Meditationes meas in Naturam ac Artem unicè conferre, Deus & Fortuna mihi viam commonſtrârunt, quâ quilibet communis Mercurius fixari atque in Igne conſtans reddi poteſt. Quæ pernix Fixatio *volatilis Mercurii* cavillatoris Alchymiſtarum omnium mihi ulteriorem ſuppeditavit anſam figendi alia quoque Subjecta volatilia. Inter cætera quoque ego tyrocinium faciendum ſeu Probam capiendam curavi de volatili quidem, ſed verò ope Aquæ ſalſæ præcipitata calce ☽, periclitandi gratiâ, annon poſſit iſtiuſmodi ☽ volatile ita ligari, ut ſimiliter alii cuidam ☽ ſine detrimento ſeu jactura ulla ſe fundendum præbeat, cujus examinis ſeu Probæ effectus mihi ex voto ſucceſſit. Id quod revera eſt magnum magnæ Inventionis βραβεῖον, uſqueadeò ut mihi ſuppetat ſufficiens materia aſſeverandi cum Archimede: *Inventum*

centum boum mactatione dignum. Quia hæc Fixatio Argenti volatilis profectò in Alchymia & cumprimis in ſeparatione Auri ab Argento fructum utilitatis inſignem præbebit, quippe quoniam tali ratione ſeparatio Auri ab Argento facilè in copia fieri poteſt, quum nimirum non opus fuerit ſolutione Argenti per 🜅, ſed ſufficerit, ut illud ſaltem granuletur, & ☉ quod in eo ineſt, per 🜆 extrahatur; quippe quo peracto, Argentum totum videbis jacere reſiduum. Atque licet vel ſemuncia Auri in quavis Argenti Marca ineſſet; non tamen indigebis plus Aquæ Regiæ ad extrahendum illud ex argento niſi duntaxat tantulum illius, quantulum ad ſolutionem Auri deſideratur, ita ut vir cordatus intra ſolum unius diei curriculum perbenè centum Marcàs aurei argenti poſſit trium ducatorum impendio ſeparare. Quale artificioſum pariter atque minimè impendioſum genus ſeparandi Aurum ab Argento nunquam hactenus Mundo innotuiſſe credo. Atque hæc Methodus Separandi artificioſa non tantum cum emolumento maximo uſurpari poteſt à ſecreturis Aurum ab ☽, verùm etiam fructum utilitatis longè majorem inde capere potes, ſi quando mediante Aqua Forti ex lapidibus, arena ac argilla, quorum copiam immanem ubique gentium reperias, argentum extraxeris atque cum Sale præcipitaveris; hac quippe viâ conſerva-

ſervatur omnis Aqua Regia, atque adhibito Sale in Aquam Regiam convertitur, quæ potiſſimum conducit ad extrahendum ejuſdem ope aurum ex ſaburra lapidibuſque,& ad præcipitandum per Mercurialem præcipitationem Auri ex 🜂, atque ſub hæc poteſt illa 🜂 rurſus cum inſigni utilitate adhiberi ad Extractionem Auri conſimilem. De quali lucroſa Extractione fuſe agitur in *Parte Septima Proſperitatis Patriæ*: hîc verò duntaxat artificioſam pariter atque minimè ſumptuoſam rationem ſeparandi Argentum at Auro publicare mihi animus fuit.

Atque ita hoc recens inventum Opus ſeparationis eſt εὕρημα utiliſſimum, cujus beneficio non nemo peritorum poſthac ſibi vim pecunioſæ ſubſtantiæ ingentem fortunaſque amplas animoſiſſimè comparabit; quandoquidem ego nullus credo poſſe unquam adinveniri ullum noſtro hoc jam allegato compendioſius Opus novum, quo Aurum ab Argento ſeparetur; quapropter nos in illo etiam acquieſcimus. Si quis verò avet prolixius edoceri de hac Separatione artificioſa, perlegat tactam *Partem Septimam Proſperitatis Germaniæ*, ubi famem deſideriorum ſuorum explere poterit. Hîc itaque explicit *Appendix Prima* in *Partem Septimam Pharmacopœiæ Spagyricæ* meæ: in ſequenti autem *Appendice Secunda* (Deo volente) etiamnum plura Ardua

Secreta

Secreta patefacturus sum, quæ quidem per Alcahestum nostrum perfici possunt, sed nondum Mundo unquam patefacta sunt. Quibus pauculis Lector benevolus hac vice æqui bonique consulat atque præstantissima quæque sub platano patientiæ utriusque propediem participanda præstoletur.

Quum itaque (quemadmodum jam in medium allatum ac indicatum est) noster *Secretus Alcahestus* multis emolumenti lucrosi generibus mortales accumulare possit, nunquam vitio dandum erit, si quis ad peritiam talis præclari operis elaborandi adspiraverit, quomodo Oleum Vitrioli vel Sulphuris sibi præparet, aut exiguis impensis in copia consequatur; nihil quippe prohibet, quo minus 4. aut 5. libræ uno Imperiali comparari possint. Taceo quod Spiritus Urinæ facilè in copia acquiri queat, nempe simul atque quis in grandi Vesica destillatoria Urinam calce vivâ mixtam evocaverit ad adscendendum. Si quis enim taliter suum Alcahestum paraverit, ei post elaborandum 8. vel 10. libræ vix stabunt uno Imperiali, quippe quâ ratione plus lucrifaciet, quàm si illum ab aliis venditoribus magno coëmerit. Nullus interim dubito, quin facillima Mercurii Coagulatio seu Fixatio, qualis fit ope hujus Alcahesti, non paucos Lectorum imperitiores accendet in amorem discendi ex peritioribus Artistis Artem parandi Alcahestum in copia.

RE-

RECAPITULATIO.

Sive

Amplior Declaratio ſuper præcedentia Secreta Revelata.

Benevole Lector ,

HIc ego in hac Appendice egi de Secretis quidem perpaucis, ſed oppidò perquam arduis, quæ per Alcaheſtum noſtrum acquiri poſſunt, quippe qualium conſimilia nemo ante me alter unquam cum Mundo participavit. Contemplare jam ac perbenè tecum commentare pernicem miniméque impendioſam Mercurii volatilis Fixationem, qualem tot celebres aſſiduorum inveſtigatorum myriadas abhinc aliquammultos annos operoſè inquiſiviſſe, toti Mundo notorium eſt. Atenim maxima eorum pars incaſſum perquiſivere atque omnem patrimonii ſui ſubſtantiam fortunaſque quaſi caſtrenſes irrito conatu ac auſis miſerè dilapidarunt in aliorum feliciorum ludibrium nudi à bonis quibuſvis, circumvagando, prænobili Chymiæ labeculam ignominiæ adſperſerunt, eidemque tantám apud ignarum vulgus invidiam paſſim conflarunt, ut vir aliquis hone-

ſtior

ſtior (etiamſi egregiam quandam Medicinam creberrimis inquiſitionibus conſecutus ſit) tamen fateri nullus auſit, ſe eximii quippiam in Spagyricis præſtitiſſe, quominus ullam Empæctis Ariſtarchicis præbeat anſam diffamandi cognominandiqúe ipſum *Animal Aurificum.* Certe equidem nullo non ſeculo in omnibus Europæ regionibus tales experientiſſimos viros vixiſſe conſtat, quales non modò ſolum Mercurium, ſed alia etiam viliora Metalla in Aurum probum ignitioniſque cujuſvis perpetiens tranſmutârunt. Atenim perquam ſecreto hoc factum eſt, ut ipſi in Tyrannorum manus ne inciderent. Monarcha ille Philoſophorum, Medicorum & Chymicorum omnium famigeratiſſimus *Paracelſus* ex profeſſo quidem de *Fixatione Mercurii* ſcripſit, ſed charactere dicendi tam abſtruſo, ut per totam vitam meam ego neminem quidem unum viderim, qui potuiſſet fixum ipſius *Mercurium Corallinum* in conſpectu teſtium locupletiſſimorum certiſſimorumque locare, præterquam *Helmontium* ſcribentem, ſe ſibi eundem talem comparâſſe, qualis omnia in Medicina præſtare poſſit, quæ Medico opus ſunt. Quod autem idem Mercurius, quemadmodum *Paracelſus* de eodem ſuum ipſius experti teſtimonium perhibet, in Aurum ingrediatur, illudque adaugeat, & bonam Alchymiſtarum depauperatorum partem exhilaret

atque

atque in ſecundiorem fortunarum florentiſſimarum ſtatum reſtituat, de his ejuſdem effectibus *Helmontius* laudatus nihil commeminit, veruntamen ſcribit, ſe Mercurium per unicam Alcaheſti ſui abſtractionem ita fixiſſe, ut ſibi de 1. ℔. in Capella remanſerint VII. unciæ Argenti probi, quod quidem inſigne eſt in Chymia βραβεῖον ac operæ pretium; præſtitiſſet tamen aurum. Ego quidem non poſſum non fateri, me multum faſtidioſæ operæ fruſtra inſumpſiſſe atque nondum quicquam probi argenti unquam ex eo cum fructu utilitatis elicere potuiſſe niſi parum argenti, quod ſemper nactus ſum: veruntamen tandem aliquando, poſteaquam ego in meo ægrotationis quadriennalis cubili clinicus omnia mea per Medicinam parta peculia conſumſeram, tale mihi Deus Opt. Max. lumen illuminantiſſimum gratificatus eſt; ut eodem prælucente viam rectæ operationis regiam invenerim & jam quemvis Mercurium vulgarem intra paucos dies in fixum pulverem rubentem figere poſſim, qualis Mercurius fixus procul dubio Magnalia in Medicina præſtabit. Paracelſus namque ſcribit, ejuſdem beneficio Podagram dolorificam radicitus depelli poſſe. Helmontius ſubſcribit, eundem præſtare poſſe, quæcunque Medicus quiſque deſiderat ac optat. Quod ſi idem tanta, prout ego de hujus aſſertionis veritate nullus dubito, præſtat,

præſtat, Medicorum nemini præter eundem quicquam amplius opus eſt, ſed ipſi ubique terrarum, ubi degit, alimenta ſufficientia ſuppetunt, neque ei ulla imponitur neceſſitas mancipandi ſe ignobili alterius ſervitio arbitrioque, prout maxima cæterorum Medicorum proletariorum pars ſe promercales proſtituunt. Hoc namque ſolo Mercurio ipſe ſibi ſat honorificentiæ ſubſtantiæque acquirere poteſt, etiamſi alioquin in Alchymia nihil egregii patraret. Quippe ubivis gentium dantur qui cum morbis gravibus conflictantur; de quo nullatenus dubitandum eſt, quemadmodum paulò poſt audiemus. Quapropter à Medico probitatis candidato erat ſumma cura, ſtudio ac zelo talis fixus Mercurius conquirendus, miſſis interim omnibus ſupervacaneis operationibus futilibuſque ſine fundamento confabulationibus de aliis remediis inutilioribus. Quod ſi quando fieret, in Galenicis Apothecis ſeu pharmacopoliis non opus foret, ut ordine ſtaret longo immanis ac inanis Pompa tot herbarum interareſcentium, inutilium inefficaciumque, tot oppletarum pyxidicularum, tot capſularum ſuperbarum, expenſarumque frivolarum. Sed quid proficias ſurdo narraturus fabulam & cæco commendaturus Opticam? In ſumma, pars Medicorum maxima communiter grata ſibi ſectantur ocia atque interim laborioſa aſpernantur negocia, uſque-

uſqueadeò ut hodierna ætate noſtrate profectò verorum Medicorum ſit rara *meſſis in herba.*

Auſcultabimus jam porrò, quidnam egregii patrare fixus noſter Mercurius in Metallicis poſſit. Paracelſus ſcribit, quod ille omnem Alchymiſtam ad incitas redactum exhilaret, aurum ingrediatur atque adaugeat. De quo ego cum benevolo Lectore meam quoque experientiam gratis participabo, quantum ejus mihi innoteſcere hactenus cœpit. Reſciſcat itaque benevolus Lector, me Artem figendi Mercurium non temporius inveniſſe quàm præterito menſe Martio hujus anni elabentis CIↃ IↃCLXVII. ac inſequenti demum menſe Aprili inde Probam cepiſſe, atque poſt veritatem inventam præſumpſiſſe tantum Inventum toti terrarum orbi notificare; intra quantillum tamen temporis brevis ſpacium ego non omnia perveſtiganda perveſtigare potui, utpote qui perpetuò ratione invaletudinis meæ in cubili decumbere neceſſe habui, uſqueadeò ut notificationem tantæ Inventionis præclaræ nullatenus acceleraſſem, niſi pertimuiſſem, ne forſitan inſalubris aliqua Martii Aprilisve aura me malè habentem afflaret, ac in terram ſepultorum raptaret, atque ita ſpes omnis publicandi tantum Secretum decollaret. Quodcunque autem eximii ego intra tantillum temporis in eodem comperi, hîc evulgatum abeo. Ego tribus diverſis vicibus Fixatio-

xationem Mercurii in quantitate minori perfeci, eundemque semper in coloris altioris formosiorisque gradu vice una quam altera comperi; quem fixum Mercurium ego cum Saturno cupellavi, sed remansit Mercurius meus in catillo cinereo fixus procul ullo facto ingressu in plumbum, usqueadeò ut ipse de se nihil auri dare potuerit. Deinceps aliam ego Probam expedivi, atque posteaquam fixo Mercurio aliquantum communis Auri addideram atque in unam massam colliquefeceram, Aurum hoc à Mercurio præterpropter mediam accrementi partem sibi adscivisse conspexi; ingressum autem non molitum est ejus residuum, sed remansit jacens ad instar fixæ calcis rubeæ. Quod Probæ genus animum meum sat tranquillavit, quippe quoniam residuum Mercurii, quod in Aurum ingressum non est, non disperiit, sed in eximiam Medicinam abiit. Quod si Deus Opt. Max. in pristinum sanitatis statum (quod spero futura æstate incalescente confore) me restituerit, in hac Proba sola non acquiescam, sed periclitaturus sum, num adhuc plus egregii ex isthoc Mercurio evincere valeam. Interea loci gratias Deo immortali immortales canto pro impetrata contra Podagram dolorificam Medicina nobilissima. Atque ita habes meam, mi Lector, Experientiam de *Fixo Mercurio Corallino*. Quod si quid excellentioris Experimenti (de quo nullus dubito)

dubito) etiamnum adinvenero, ego tecum propediem in ſubſequente *Appendice Secunda* participaturus ſum. Quodcunque igitur ego jam ſupra de *Mercurio Vini* tanquam *Sale* præſtabili ac *ſumma Medicina Mundi* præſcripſi, ſatis luculenter explanavi, præterquam Inſtrumentum fabricandum ad Spiritum Vini comburendum, quod nondum ſufficienter expreſſimus.

Obſervandum quoque hoc eſt, quod Spiritus Ardens ex frumento extractus neutiquam elargiatur tantundem Mercurii, quantum ſubminiſtrat Spiritus Vini & nominatim deſtillatus ex generoſo vino Rhenano. Conſimiliter quoque non haberi poteſt tantundem Mercurii ex quovis dulci Gallico aut Hiſpanico quàm ex Rhenano vino; cujus differentiæ rationem ſimul atque indagando aſſecutus ſum, jam ego ex quovis Spiritu Ardente ex frumentis extracto utique tantundem Mercurii conſequi poſſum, quantum ex Vino Rhenano, uſqueadeo ut ego (laus ac gratia Deo) jam æque Rhenano atque quovis vino alio facile carere poſſim. Summus ille bonorum univerſorum largitor in me ex ſe fonte gratiæ inexhauſto plus boni affatim inſtillet, ut ex me in alios officioſorum ſervitiorum meorum indigos quoſvis deſtillet, qui mecum Magnalia Dei ebuccinare geſtiunt. Amen.

Plus ultra progredientes, paucis etiamnum percipiamus, qualiter comparatum ſit cum *Igne*

gne priſcorum Philoſophorum Secreto, quippe quo illi ſuas ematurarunt Tincturas. Pro coronide itaque Amator Divinæ Naturaliſque Sophiæ reſciſcat, talem Ignem non ex lignis carbonibusve conflari, ſed eſſe Aquam Igneam, qualis de ſe neque fumum neque flammam exhalat, quandoquidem idem per Ignem externum non arcetur, ſed in vitro apud Subjectum, quod fixare atque dulcificare decreveris, identidem in gradu flagrat æquali, atque immaturum acerbumque convertit in dulce, ſuave, fixum ac maturum, quemadmodum etiam amarum venenum convertit in ſalutarem *Medicinam* ſive *Theriacam*. Quemcunque igitur Deus ſuus tanto lumine illuminat, quanto talem Ignem Secretum cognoſcat, ille nihil amplius in Philoſophia ac Medicina Hermetica quæritabit neu deſiderabit, ſed Deo tanquam omnis boni fonti gratias habere inceſſabiles non ceſſabit, quippe qui de ſublevanda pauperum inopia ſemper cogitabit, atque ex beneficio θεόθεν conceſſo pro ſuis copiis cum illis indigentibus quicquam largiter participabit. Summa ſummo ſit in ſempiterna ſecula

SOLI DEO GLORIA.